


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
11 B
9





[illegible]


PHILOSOPHIA PER ARGVMENTA BREVITER EXPLICATA,

AD VSVM, ET EXEMPLVM huius ſcientiæ ſtudio vacantium.

Auctore P. GVILLELMO CHABRONO, *è Societate* IESV.

TOMVS SECVNDVS,

PRIMA PARS PHYSICÆ.





PARISIIS,

Apud GASPARVM METVRAS, patrem & filium, viâ Iacobæâ, ſub ſigno SS. Trinitatis, prope Mathurinenſes.

M. DC. LXIV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



INDEX DISPVTATIONVM, ET SECTIONVM,

quæ in hoc secundo Tomo continentur.

TRACTATVS I.

TRACTATVS II.

De Causis.

DISPVTATIO I.

De Natura.

DISPVTATIO II.

De Causis in communi.

DISPVTATIO III.

De Causa materiali & formali.

DISPVTATIO IV.

De Causa efficiente.

DISPVTATIO V.

De Causa exemplari.

DISPVTATIO VI.

De Causa finali.

TRACTATVS III.

De affectionibus rerum naturalium.

DISPVTATIO I.

De Motu.

DISPVTATIO II.

De Loco.

DISPVTATIO III.

De Vacuo.

DISPVTATIO IV.

De Tempore.

DISPVTATIO. V.

De Continuo.

DISPVTATIO VI.

De Infinito.

TRACTATVS IV.

De Mundo, & Cœlo.

DISPVTATIO I.

De Mundo. 448

DISPVTATIO II.

De natura Cœli, eiúsque proprietatibus.

DISPVTATIO III.

De Elementis, vt sunt partes mundi, & corpora grauia, & leuia.

TRA-



IN TRACTATVS PHYSICOS

PRÆFATIO.



PHYSICA iucundissima totius Philosophiæ pars, quàm non iniuria scientiæ sibi nomen vendicet, variæ, quas in ea instituemus demonstrationes de existentia materiæ primæ, & formæ substantialis, de efficientia causæ primæ, & causarum creatarum, aliorúmque huiusmodi planissimum facient.

Practicam eam esse saltem ex parte contendunt ex iis aliqui, qui Medicinam, iudicio omnium maximè practicam ad eam reuocant; verùm cùm illius vna pars naturam, & proprietates her-

barum consideret : altera remedia curandis morbis præscribat, & sola prima, quæ nullo modo sui obiecti factibilis est Physica sit, non est cur eam totam, & integram speculatiuam non fateamur.

De obiecto eius definire res est facilis, quæ enim in decursu disputabimus, tum de corpore naturali in communi, tum de varijs eius speciebus in particulari, plus quàm satis probabunt, & corpus naturale in genere, & secundùm varias suas species sumptum ab ea considerari. Quæ de eo differemus in varios partiemur Tractatus. Primus erit de principijs rerum naturalium ; secundus de causis earumdem ; tertius de variis ipsarum affectionibus ; quartus de mundo, & cœlo ; quintus de generatione & corruptione ; & sextus tandem de corpore animato.






TRACTATVS I.

DE PRINCIPIIS RERVM *Naturalium.*

PRINCIPIVM in genere definiunt Philosophi ex Aristotele, Id primum, vnde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur. Hoc est, quod est prius eo, respectu cuius dicitur principium, & cum eo habet connexionem. Particulæ, *est*, aut *fit*, explicant eius diuisionem in intrinsecum, seu quod est pars principiati, & extrinsecum quod nihil est illius. Istud nos in præsenti non curamus, de solis enim agimus in hoc tractatu principijs intrinsecis rerum naturalium: quæ cùm spectari possint, vel secundùm ea quæ illis conueniunt in genere, vel secundùm illa, quæ ipsorum in particulari sunt propria, & per quæ ab inuicem distinguuntur, duas de illis instituemus disputationes. In prima explicabimus quæ illis communia sunt, & in secunda examinabimus quæ sunt propria vnicuique illorum.



DISPVTATIO I.

De Principijs rerum naturalium generatim sumptis.

SECTIO VNICA.

Quid sint, & in quo numero.

PRIMA CONCLVSIO:

Principia intrinseca rerum naturalium, rectè dicuntur ab Aristotele non fieri ex se, nec ex alijs, sed ex ipsis omnia.



LLA non fiunt ex se, nec ex alijs, sed ex ipsis omnia, quæ non habent nec se inuicem, nec alia pro partibus in eo genere principij, in quo sunt principia: & ipsa sunt partes aliorum in suo genere principiandi; atqui principia intrinseca rerum naturalium, non habent nec se inuicem, nec alia pro partibus in eo genere, in quo principiant, & ipsa sunt partes aliorum in suo genere principiandi: ergo rectè dicuntur ab Aristotele non fieri ex se, nec ex alijs, sed ex ipsis omnia.

Prima & secunda pars minoris probatur.

Principia intrinseca rerũ naturalium de qui-

bus Aristoteles, & Philosophi, sunt omnium prima; atqui principia intrinseca omnium prima non habent se inuicem, nec alia pro partibus in genere, in quo sunt principia: ergo principia intrinseca rerum naturalium non habent se inuicem, nec alia pro partibus in eo genere, in quo principiant.

Minor pr. Quod habet aliud se prius non est primum; atqui quod habet aliud pro parte in genere, in quo principiat, habet aliud se prius: ergo principia omnium prima non habent, nec se inuicem, nec alia pro partibus.

Minor pr. Quod habet principium eiusdem generis secum, habet aliud se prius; atqui quod habet aliud pro parte in genere, in quo principiat, habet principium eiusdem generis secum: ergo & aliud se prius.

Minor pr. Pars alterius est eius principium, & pars in genere, in quo illud principiat est principium eiusdem generis secum: ergo quod habet aliud pro parte in genere, in quo principiat, habet principium eiusdem generis secum.

Tertia pars minoris, scilicet, esse partes aliorum in suo genere principiandi, pr.

Illa alia sunt composita naturalia; atqui sunt partes compositorum naturalium: ergo sunt partes aliorum in suo genere principiandi.

Maior pr. Illa alia sunt ea, quæ fiunt, seu absolutè fieri dicuntur; atqui sola composita naturalia fieri absolutè dicuntur: ergo illa alia sunt composita naturalia.

Obijcies. Principia intrinseca rerum naturaliũ fiunt ex se inuicem: ergo non benè asseruntur ab

Ariſtotele ea eſſe,quæ nec ex ſe,nec ex aliis, ſed ex ipſis omnia fiunt.

Antecedens pr. Principia intrinſeca rerum naturalium ſunt materia, forma,& priuatio;atqui materia, forma,& priuatio fiunt ex ſe inuicem: ergo & principia intrinſeca rerum naturalium.

Minor pr. Illa fiunt ex ſe inuicem, quorum vnum fit ex alio; atqui forma fit ex materia:ergo fiunt ex ſe inuicem.

Solutio: Atqui *forma fit ex materia tanquam parte*, Nego. *tanquam aliquo extrinſeco*,Concedo. ergo *principia intrinſeca fiunt ex ſe inuicem tanquam partibus*, Nego. *tanquam aliquo extrinſeco*, Concedo.

Contrà. Priuatio fit ex materia tanquam parte: ergo principia fiunt ex ſe inuicem tanquam partibus.

Solutio: *Priuatio fit ex materia tanquam parte,in quo genere ipſa eſt principium*, Nego. *Ipſa enim principiat,vt terminus à quo: materia autem non eſt aliquid ipſius, vt terminus à quo. In alio genere*, Concedo. ergo *principia fiunt ex ſe inuicem tanquam partibus in eo genere, in quo ſunt principia*, Nego. *in alio genere*, Concedo.

Contrà. Non magis repugnat principia fieri ex ſe inuicem tanquã partibus,in eo genere,in quo ſunt principia,quàm idem ex ſe ipſo; atqui vnũ ex illis fit ex ſeipſo tanquam parte in eodem genere,in quo principiat: ergo principia fiunt ex ſe inuicem,in eo genere, in quo principiant.

Minor pr. Materia eſt vnum ex ipſis;atqui materia fit ex ſeipſa tanquam parte,in eo genere,in quo principiat: ergo vnum ex principiis fit ex ſe

ipſo tanquam parte, in eo genere, in quo principiat.

Minor pr. Quod fit ex ſuis partibus, fit ex ſeipſo; atqui materia fit ex ſuis partibus in eo genere, in quo principiat: ergo fit ex ſeipſa tanquam parte, in eo genere, in quo principiat.

Minor pr. Materia fit ex ſuis partibus tanquam alia materia; atqui principiat in genere materiæ: ergo fit ex ſuis partibus in eo genere, in quo principiat.

Solutio: *Materia fit ex ſuis partibus tanquam alia materia, hoc eſt, tanquam ſubiecto*, Nego. *vna enim pars materiæ non eſt ſubiectum alterius: tanquam aliquo eiuſdem rationis, cum alia compar:e, ex qua ſimul, & ipſa conſtituitur*, Concedo. atqui *principiat in genere materiæ, hoc eſt, tanquam ſubiectum alterius compartis, formæ ſcilicet ſubſtantialis*, Concedo. *tanquam eiuſdem cum illa rationis*, Nego. Ex *quo patet, cùm forma non fiat ex alia forma, ſicut nec priuatio ex alia priuatione, aut materia ex alia materia, ſeu ſubiecto, veriſſimum eſſe principia intrinſeca non fieri ex ſe inuicem, nec ex aliis in eo genere, in quo ſunt principia. Ad hoc autem vt ex ipſis omnia fiant ſufficit, vt nullum ſit compoſitum naturale, quod non conſtituatur ex illis omnibus, aut ſaltem aliquibus ex ipſis.*

CONCLVSIO SECVNDA:

Tria sunt principia fieri rerum naturalium, quod est vera mutatio.

MATERIA, forma, & priuatio sunt principia intrinseca illius fieri: ergo tria sunt principia intrinseca fieri rerum naturalium, quod est vera mutatio.

Antecedens pr. Fieri illud est mutatio substantialis; atqui materia, forma, & priuatio sūt principia mutationis substātialis: ergo & illius fieri.

Minor pr. Mutatio substantialis, est materia habens formam, qua antea carebat; atqui eius, quod est materiam habere formam, qua antea carebat: materia, forma, & priuatio sunt principia intrinseca: ergo & mutationis substantialis.

Minor pr. Illa sunt principia intrinseca eius, quod est materiā habere formā, qua antea carebat, quæ sūt partes illius; atqui materia, forma, & priuatio sunt partes illius: ergo & principia.

Minor pr. Illud est pars alterius, quo sublato, remanentibus licèt reliquis omnibus per possibile, vel impossibile illud non remanet; atqui sublata materia, forma, aut priuatione non manet id, quod est materiam habere formam, qua antea carebat: ergo materia, forma, & priuatio sunt partes illius.

Obijcies. Tot sunt principia fieri rerum naturaliū, quod est vera mutatio, quot sunt generationis illarum; atqui non sunt tātùm tria principia generationis illarum: ergo nec fieri rerū natu-

ralium, quod est vera mutatio.

Minor pr. Materia, forma, priuatio, & causa efficiens sunt principia generationis rerũ naturaliũ: ergo nõ sunt tantùm tria illius principia.

Respondeo *Antecedens esse verum quoad tres primas partes; falsum verò quoad quartam, & ultimam.*

Contrà Illud est principium generationis rerũ naturalium, ad quod illa dicit essentialem ordinem; atqui dicit essentialem ordinem ad causam efficientem: ergo causa efficiens est principium generationis rerum naturalium.

Solutio: *Illud est principium generationis rerum naturalium, ad quod illa dicit essentialem ordinem, tanquam ad aliquid intrinsecum*, Concedo. *tanquam ad aliquid extrinsecum*, Nego. *h c enim agimus tantùm de principiis intrinsecis, quale non est, vt patet, causa efficiens, quæ adæquatè distingui debet, tam ab actione, quàm ab effectu. Distinctio applicanda est vice versa minori, quæ etiam permissa maiori animi gratia, alio modo distingui potest*; atqui *generatio dicit essentialem ordinem, ad causam efficientem vt est actio*, Concedo. *vt est passiua mutatio*, Nego. ergo *causa efficiẽs est principium generationis rerum naturalium, vt hæc generatio est actio*, Concedo. *vt est passiua mutatio*, Nego. *De ea autem hîc agimus tantùm, vt est passiua mutatio.*

Contrà. Non minùs generatio, vt est passiua mutatio, dicit essentialem ordinem ad causã efficientem, quàm ad alia à tribus primis; atqui vt est passiua mutatio, dicit essentialem ordinẽ ad alia à tribus primis: ergo & ad causam efficiẽtẽ;

Minor pr. Actio per quam fit ignis ex ligno est generatio, vt est passiua mutatio; atqui illa dicit essentialem ordinem ad alia à tribus primis: ergo & generatio, vt est passiua mutatio.

Minor pr. Forma ligni est aliud à tribus primis: atqui dicit essentialem ordinem ad formam ligni: ergo & ad aliud à tribus primis.

Minor pr. Dicit ordinem essentialem ad terminum à quo; atqui forma ligni est terminus à quo istius generationis: ergo dicit essentialem ordinem ad formam ligni.

Solutio: *Dicit essentialem ordinem ad terminum à quo necessarium*, Concedo. *non necessarium*, Nego. atqui *forma ligni est terminus à quo non necessarius*, Concedo. *necessarius*, Nego.

Contrà Priuatio est terminus à quo non necessarius; atqui dicit ordinem ad priuationem: ergo & ad terminum à quo non necessarium.

Maior pr. Quod se habet per accidens ad generationem est terminus à quo non necessarius illius; atqui priuatio ex Aristotele habet se per accidens ad generationem: ergo est terminus à quo non necessarius illius.

Solutio: Atqui *priuatio habet se per accidens ad generationem secundùm se sumptam*, Concedo. *vt est mutatio*, Nego. ergo *priuatio est terminus à quo non necessarius generationis secundùm se sumpta*, Concedo. *vt est mutatio*, Nego. *Certum est generationem esse posse & verè fuisse in prima productione terræ v. g. sine priuatione, seu absentia formæ grauis in subiecto, in quo illam producebat, non tamen vt est mutatio, de cuius ratione est, vt subiectum careat forma, quam per illam acquirit.*

Conclusio Tertia:

Duo sunt tantùm principia rerum naturalium in facto esse, & fieri ipsarum, quod non est vera mutatio.

Res naturales in facto esse, aut fieri ipsarum, quod non est vera mutatio, sunt tantùm materia habens formam; atqui eius, quod est materiam habere formam duo sunt tantùm principia: ergo & rerum naturalium in facto esse, & fieri ipsarum, quod non est vera mutatio.

Minor pr. Materia, & forma sunt tantùm eius principia: ergo sunt tantùm duo principia eius, quod est materiam habere formam.

Antecedens pr. Illa sunt tantùm principia intrinseca alterius, quæ sunt eius partes: atqui materia, & forma sunt tantùm partes eius, quod est materiam habere formã: ergo & eius principia.

Minor pr. Illud est pars alterius, quo sublato remanẽtibus licèt cæteris omnibus per possibile, vel impossibile illud non manet; atqui sublata materia, & forma remanentibus licèt reliquis omnibus per possibile, vel impossibile non manet id, quod est materiam habere formam: ergo materia, & forma sunt tantùm partes eius, quod est materiam habere formam.

Obiicies primò contra primam partem conclusionis.

Materia, forma, vnio, & subsistentia sunt principia intrinseca rerum naturalium in facto esse: ergo quatuor sunt principia illarum, & non tantùm duo.

Antecedens pr. Materia, forma, vnio, & subsistentia sunt partes rerum naturalium in facto esse: ergo & illarum principia intrinseca.

Solutio: *Vnio, & subsistentia sunt partes rerum naturalium in facto esse, vt quo,* Concedo. *vt quod,* Nego. ergo *& illarum principia vt quo,* Concedo. *vt quod,* Nego. *Hîc autem agimus tantùm de principiis vt quod.*

Contrà. Quod est aliquid rerum naturalium in facto esse, est verè pars illarum vt quod; atqui vnio est aliquid rerum naturalium in facto esse: ergo est pars vt quod illarum.

Solutio: *Quod est aliquid rerum naturalium in facto esse, si non sit ratio principiandi alteri est verè pars vt quod,* Concedo. *si sit ratio principiandi alteri est pars vt quod,* Nego. atqui *vnio est aliquid rerum naturalium, & non est ratio principiandi iis qua vnit,* Nego. *& est ratio principiandi, seu id, per quod principiant,* Concedo.

Contrà. Quod est aliquid rerum naturalium, & non est ratio alteri principiandi est verè pars vt quod ex cõcessis; atqui subsistẽtia est aliquid rerum naturalium, & non est ratio alteri principiandi: ergo est verè pars vt quod illarum.

Solutio: *Quod est aliquid rerum naturalium, & non est ratio principiandi, nec complementum principiorum vt quod, est verè pars vt quod,* Concedo. *quod est complementum principiorum vt quod, est verè pars vt quod,* Nego. *Subsistentia autem est complementum principiorum vt quod, complet enim vltimò materiam, & formam in suo esse substantiali.*

Obiicies secundò contra secundam partem con-

clusionis, scilicet duo esse tantùm principia fieri rerum naturalium, quod non est vera mutatio.

Materia, forma, & priuatio sũt principia fieri rerum naturalium, quod non est vera mutatio: ergo tria sunt principia illius, & nõ tãtùm duo.

Duæ primæ partes minoris patent, tertia verò pr.

Fieri rerum naturalium, quod non est vera mutatio est transitus formæ de non esse ad esse ex præsupposita materia; atqui priuatio est principium huiusmodi transitus: ergo & fieri rerum naturalium, quod non est vera mutatio.

Minor pr. Non esse formæ est principium trãsitus illius; atqui priuatio est illud non esse formæ: ergo & principium huiusmodi transitus.

Minor pr. Priuatio est absentia formæ in materia; atqui illud non esse formæ est illa absentia: ergo priuatio est illud non esse formæ.

Solutio: *Priuatio est absentia formæ in materia præsupposita tempore*, Concedo. *tantùm natura*, Nego. atqui *illud non esse formæ est illa absentia in materia præsupposita tempore*, Concedo. *præsupposita tantùm natura*, Nego.

Contrà. Non esse formæ in materia præsupposita tantùm natura est verè illa absentia: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Non existentia formæ in aliquo instanti, in quo sit materia, est verè illa absentia; atqui non esse formæ in materia præsupposita natura est verè non existentia formæ, in aliquo instanti, in quo sit materia: ergo non esse formæ in materia præsupposita tantùm natura est verè illa absentia.

Minor pr. Est non esse formæ in illo priori

naturæ; atqui prius illud naturæ est aliquod instans: ergo est non existentia formæ in aliquo instanti, in quo fit materia.

Solutio: *Est non existentia formæ in aliquo instanti temporis*, Nego. *causalitatis*, Concedo. *Verum quidem est materiam esse priorem natura forma, hoc est dare illi esse, seu esse illius causam; at falsum est illam esse in aliquo instanti temporis, in quo non fuerit forma: hæc enim fuit simul cum illa producta, & iam ad minorem*; atqui *prius illud natura est aliquod instans temporis*, Nego. *causalitatis*, Concedo.

Ex dictis hac disputatione: Inferes primò in eo differre Principia extrinseca, & intrinseca, quòd illa nihil sint eorum respectu quorum dicũtur principia, hæc verò sint aliquid ipsorum, & inadæquatè tantùm ab ipsis distinguantur.

Secundò, Cùm de ratione primi principij alicuius rei sit, vt nihil habeat in eo, quod principiat priùs in suo genere principiandi: Ideo materiam, formam & priuationem dici prima principia rerum naturalium; quia in istis nihil est in genere subiecti, actus ipsius, aut huius absentiæ prius materia, forma, aut priuatione.

Tertiò, fieri rerum naturalium dici mutationem, quando materia præcedit tempore formam. Quando verò illa non præcedit tempore istam, non esse propriam mutationem quæ necessariò requirit, vt materia de nõ habente formam (quod non potest esse verum quando illa non antecedit tempore istam) fiat illam habẽs.

Quartò, eodem modo cum proportione philosophandum esse de Principiis Compositi acci-

dentalis, ac totius substantialis: Illiúsque fieri cùm est mutatio, habere tria principia, & cùm non est mutatio duo tantùm.



DISPVTATIO II.

De Principijs rerum naturalium in particulari.



DIXIMVS præcedenti disputatione, materiam, formam, & priuationem esse principia intrinseca mutationis substantialis; ista de iisdem inquirenda sunt duo: primò, an sint? & secundò, quid sint tum essentialiter, tum accidentaliter. Quia verò materia est quasi basis & fundamentum aliorum, æquum est, vt de ea primùm agamus.

SECTIO PRIMA.

An & quid sit materia prima.

PRIMA CONCLVSIO:

Datur materia prima in rebus naturalibus.

IGNIS, aqua, homo &c. de nouo producta sunt res naturales; atqui in igne, aqua, homi-

ne &c. de nouo productis datur materia prima: ergo & in rebus naturalibus.

Minor pr. In igne de nouo producto, ex ligno v. g. datur aliquid, quod antea erat in ligno; atqui illud est materia prima: ergo datur in igne de nouo producto materia prima.

Maior pr. Ignis de nouo productus nihil habens ex iis, quæ erant in ligno fit totus, & totaliter de nouo, & lignum totaliter destruitur; atqui ignis non producitur totaliter de nouo, neq; lignum totaliter destruitur: ergo in igne de nouo producto ex ligno datur aliquid, quod antea erat in ligno.

Minor pr. Ignis productus de nouo totaliter, seu secundùm se totum creatur; atqui ignis, qui de nouo producitur ex ligno non creatur: ergo ignis non producitur totaliter de nouo.

Minor pr. Quod producitur ab agentibus naturalibus non creatur; atqui ignis productus de nouo ex ligno producitur ab agentibus naturalibus: ergo non creatur.

Maior pr. Quod producitur ab illis, quæ non habent vim producendi ex nihilo suos effectus, non creatur; atqui agentia naturalia non habent vim producendi ex nihilo suos effectus: ergo quod producitur ad agentibus naturalibus non creatur.

Minor pr. Quod prærequirit subiectum vt agat, non habet vim producendi ex nihilo, seu ex non subiecto; sed agentia naturalia, vt agant prærequirunt subiectum: ergo non habent vim producendi ex nihilo suos effectus.

Minor pr. Ignis, aqua &c. sunt agentia natura-

lia; atqui, vt agant prærequirunt ſubiectum: ergo agentia naturalia, vt agant prærequirunt ſubiectum.

Reſpondent *Aduerſarij diſtinguendo*, atqui *vt agant prærequirunt ſubiectum ex quo agant*, Negant. *quod deſtruant per ſuam actionem*, Concedunt. *& eandem diſtinctionem applicant conſequenti*.

Contrà. Ratio, cur dicatur ab ipſis lignum debere deſtrui, vt producatur ignis, eſt, quia alioquin daretur penetratio; atqui hæc ratio nulla eſt: ergo ignis non prærequirit lignum tanquam aliquid, quod debeat deſtruere, ſed tanquam ſubiectum.

Minor pr. Ex eo quod perſtet ſimul lignum cum igne, non aliud debet ſequi, quàm aliqua condenſatio; atqui hæc condenſatio non eſt penetratio: ergo non ſequitur penetratio ex eo, quod perſtet ſimul lignum cum igne.

CONCLVSIO SECVNDA:

Materia prima eſt ſubſtantia incompleta.

QVOD eſt primum ſubiectum, & pars eſſentialis compoſiti naturalis eſt ſubſtantia incompleta; ſed materia prima eſt primum ſubiectum, & pars eſſentialis compoſiti naturalis: ergo eſt ſubſtantia incompleta.

Prima pars minoris probatur.

Quod nullum præſupponit ſubiectum, eſt primum ſubiectum; atqui materia prima nullum

præsupponit subiectum ; ergo est primum subiectum.

Minor pr. Quod est basis, & fundamentum illorum, quæ sunt in corpore naturali, nullū præsupponit subiectum; atqui materia prima est basis, & fundamentum eorum, quæ sunt in corpore naturali : ergo nullum præsupponit subiectum.

Secunda pars minoris, quòd sit pars probatur. Quod constituit aliud est pars illius ; atqui materia prima constituit compositum naturale: ergo est pars illius.

Minor pr. Compositum naturale est totum physicum ; atqui materia simul cum forma, & vnione constituit totum physicum: ergo & compositum naturale.

CONCLVSIO TERTIA:

Materia est eiusdem speciei in omnibus compositis sublunaribus.

MATERIAE omnes sublunares sunt eiusdē speciei: ergo materia est eiusdem speciei in omnibus compositis sublunaribus.

Antecedens pr. Illæ materiæ sunt eiusdem speciei, quæ sunt susceptiuæ earumdem formarum; atqui materia quæcunque sublunaris est susceptiua earumdem formarum: ergo materiæ omnes sublunares sunt eiusdem speciei.

Minor pr. Formæ sublunares sunt elementares, vel mixtę ; atqui quælibet materia sublunaris recipit formas elementares, & mixtas: ergo ma-

teria quæcunque sublunaris est susceptiua earundem formarum.

Minor pr. Forma ignis, aëris, aquæ, & terræ sunt elementares, & formæ herbarum, florum, hominis, leonis &c. sunt formæ mixtorum; atqui quælibet materia illas recipit: ergo & elementares, & mixtas.

Minor pr. Materia recipit formas compositorum, in quæ illud, in quo est, conuertitur mediatè, aut immediate; atqui composita conuertuntur mediatè, aut immediatè in alia quælibet composita, vt probabimus in tractatu de Elementis: ergo quælibet materia recipit illorum formas.

CONCLVSIO QVARTA:

Materia est ingenerabilis, & incorruptibilis.

ILLVD est ingenerabile, & incorruptibile, quod non producitur ex subiecto, nec destruitur remanente subiecto; atqui materia prima non producitur ex subiecto, nec destruitur remanente subiecto: ergo materia prima est ingenerabilis, & incorruptibilis.

Minor pr. Quod nullum habet subiectum non producitur ex subiecto, nec destruitur eo remanente; atqui materia prima nullum habet subiectum: ergo non producitur ex subiecto, nec destruitur remanente subiecto.

Minor pr. Quod est primum subiectum nullum habet subiectum; atqui materia prima est pri-

mum subiectum: ergo materia prima nullum habet subiectum.

Obijcies. Quod est subiectum generationis est generabile; atqui materia prima est subiectum generationis: ergo est generabilis.

Maior pr. Quod est subiectum generationis dicitur generabile: ergo quod est subiectum generationis est generabile.

Antecedens pr. Quod est subiectum generationis accipit ab illa aliquam denominationem; atqui non accipit aliam potiori ratione, quàm generabilis: ergo accipit denominationem generabilis.

Respondeo, *Accipere aliam denominationem, scilicet, passa generationem.*

Contrà. Materia prima hominis est verè subiectum generationis; atqui ab illa accipit denominationem generabilis: ergo subiectum generationis accipit ab illa denominationem generabilis.

Minor pr. Materia prima hominis, seu corpus hominis accipit à corruptione denominationem corruptibilis: ergo & à generatione denominationem generabilis.

Antecedens pr. Corpus hominis est corruptibile: ergo accipit à corruptione denominationem corruptibilis.

Antecedens pr. Debet esse corruptibile, vel incorruptibile; atqui non est incorruptibile: ergo est corruptibile.

Minor pr. Anima hominis est incorruptibilis: ergo corpus eius non est incorruptibile.

Consequentia pr. Anima hominis, vel eius

corpus sunt corruptibilia; sed anima non est corruptibilis ex concessis: ergo corpus est corruptibile.

Maior pr. Homo est corruptibilis: ergo anima eius, vel corpus sunt corruptibilia.

Consequentia pr. Totum corruptibile habet aliquam partem corruptibilem; sed homo est corruptibilis ex concessis, & partes eius sunt corpus & anima rationalis: ergo anima eius vel corpus sunt corruptibilia.

Solutio: *Totum corruptibile debet habere aliquam partem corruptibilem, vel separabilem ab alia*, Concedo. *corruptibilem tantùm*, Nego. *& concessa minori*: ergo *anima eius, aut corpus sunt corruptibilia, vel separabilia*, Concedo. *corruptibilia tantùm*, Nego. *Ad destructionem totius sufficit desitio partis, vel vinculi partium. Hoc enim ad permanentiam in esse, & conseruationem totius tam essentialiter requiritur, ac partes.*

CONCLVSIO QVINTA:

Materia prima non est infimum ens.

ILLVD non est infimum ens, quod non est omnium ignobilissimum; sed materia prima non est ens omnium ignobilissimum: ergo nec infimum.

Minor pr. Illud non est ens omnium ignobilissimum, quod est nobilius multis aliis; atqui materia prima est nobilior multis entibus: ergo non est ens omnium ignobilissimum.

Minor pr. Calor, frigus, nigredo, albedo &c.



ſunt multa entia ; atqui materia eſt nobilior illis : ergo eſt nobilior multis entibus.

Maior pr. Subſtantia eſt nobilior accidente ſaltem naturali ; atqui materia eſt ſubſtantia, nigredo verò, albedo &c. ſunt accidentia naturalia : ergo materia eſt nobilior illis.

Ex dictis facile eſt inferre, materiam rectè dici ſubſtantiam ſimplicem, incompletam conſtitutiuam compoſiti per modum ſubiecti. Primæ particulæ explicant eius conuenientiam cum forma ſubſtantiali : reliquæ verò illam diſtinguunt & ab ipſa forma, & ab omnibus alijs. Nihil enim aliud eſt præter materiam, quod ſit pars ſubiectiua totius naturalis.

SECTIO II.

An, & quomodo materia ſit potentia.

CONCLVSIO PRIMA:

Materia non eſt pura potentia obiectiua, ſeu logica.

ILLVD non eſt pura potentia obiectiua, quod eſt ſimul actus reſpondens huic potentiæ; atqui materia prima ita eſt potentia obiectiua, vt ſit etiam actus reſpondens huic potentiæ : ergo non eſt pura potentia obiectiua.

Minor pr. Actus reſpondens huic potentiæ

est actus entitatiuus; atqui materia prima est actus entitatiuus: ergo est actus respondens potentiæ obiectiuæ.

Minor probatur. Illud est actus entitatiuus, quod de facto existit; atqui materia prima de facto existit: ergo est actus entitatiuus.

Respondent aduersarij: *Illud est actus entitatiuus, quod de facto existit existentia propria,* Concedunt. *existentia aliena*, Negant. atqui *materia prima de facto existit existentia aliena,* Concedunt. *propria*, Negant.

Contrà. Materia non existit per existentiam formæ: ergo existit existentia propria.

Antecedens pr. Existentia formæ non est existentia materiæ: ergo materia non existit per existentiam formæ.

Antecedens probatur. Existentia formæ producitur ab agentibus naturalibus; atqui existentia materiæ non producitur ab agentibus naturalibus: ergo existentia formæ non est existentia materiæ.

Minor probatur. Quod agentia naturalia producere non possunt, non producitur ab agentibus naturalibus; atqui agentia naturalia producere non possunt existentiam materiæ: ergo non producitur ab illis.

Minor pr. Agentia naturalia non possunt producere id, quod est impenetrabile, & incorruptibile ex superiori sectione; sed materiæ primæ existentia est impenetrabilis, & incorruptibilis: ergo agentia naturalia non possunt illam producere.

Minor pr. Existentia materiæ primæ est idem

cum ipſa; atqui ipſa eſt ingenerabilis; ergo & eius exiſtentia.

Obiicies. Illud eſt pura potentia obiectiua, quod non eſt actus entitatiuus; ſed materia prima non eſt actus entitatiuus: ergo eſt pura potentia obiectiua.

Minor pr. Materia prima non exiſtit: ergo non eſt actus entitatiuus.

Antecedens probatur. Materia prima non habet propriam exiſtentiam: ergo non exiſtit.

Antecedens probatur. Materia prima exiſtit tantùm per exiſtentiam formæ: ergo non habet propriam exiſtentiam.

Antecedens pr. Materia exiſtit tantùm per exiſtentiam eius, à quo eſt omnis exiſtentia; atqui omnis exiſtentia eſt à forma: ergo exiſtit tantùm per exiſtentiam formæ.

Minor pr. Eſſe, & exiſtentia ſunt idem; atqui omne eſſe eſt à forma: ergo & omnis exiſtentia eſt ab eadem.

Solutio: *Atqui omne eſſe completum compoſitorum eſt à forma, tanquam ab vltimo complente,* Concedo. *omne eſſe incompletum eſt à forma,* Nego. *ergo omnis exiſtentia eſt à forma, omnis exiſtentia completa,* Concedo. *incompleta,* Nego *Exiſtẽtia autem materiæ, ſicut & eius entitas eſt incompleta, ac proinde nec illa, nec hac debent eſſe à forma, ſed independenter ab ipſa habere ſuum eſſe, & exiſtẽtiam. Quod autem à forma dicatur eſſe, omne eſſe, inde factum eſt, quod forma ſit præcipua pars compoſiti, & ad conſtitutionem ipſius vltimò adueniens. Quod autem eſt præcipuum in aliqua re, & vltimò illam perficit, cenſetur ſæpè illi*

illi toti, & integra dedisse esse, quamuis alia ad illud ei dandum concurrerint.

CONCLVSIO SECVNDA:

Materia non est pura potentia metaphysica.

ILLVD non est pura potentia metaphysica, quod est simul actus metaphysicus; atqui materia prima ita est potentia metaphysica, vt sit etiam actus metaphysicus: ergo non est pura potentia metaphysica.

Minor pr. Illud est actus metaphysicus, quod est differentia specifica, & indiuidualis; atqui materia prima est differentia sua specifica, & indiuidualis: ergo est actus metaphysicus.

Minor pr. Quod distinguitur specie, & numero ab aliis est sua differentia specifica, & indiuidualis; atqui materia prima distinguitur specie, & numero ab aliis: ergo est sua differentia specifica, & indiuidualis.

Minor pr. Nihil est, quod non distinguatur (si sit creatum) specie, & numero ab aliis: ergo materia distinguitur specie, & numero ab aliis.

Obijcies. Materia prima est actus metaphysicus: ergo est pura potentia metaphysica.

Antecedens probatur. Quod est totum potentia metaphysica, non est actus metaphysicus; atqui materia prima est tota, & integra potentia metaphysica: ergo materia prima non est actus metaphysicus.

Maior pr. Nihil poteſt eſſe ſecundùm ſe totum potentia, & actus: ergo quod eſt ſecundùm ſe totum potentia metaphyſica non eſt ſecundùm ſe totum actus metaphyſicus.

Solutio: *Nihil poteſt eſſe ſecundùm ſe totum potentia, & actus ſub eadem ratione*, Concedo. *ſub diuerſa*, Nego. *Materia, vt repræſentatur conueniens cùm aliјs ſubſtantiis dicitur potentia: eadem verò, vt repræſentatur ab aliis diſtincta, dicitur actus metaphyſicus, ſeu differentia.*

Contrà. Materia vt repræſentatur ab aliis diſtincta non poteſt eſſe actus: ergo nulla ſolutio.

Antecedens pr. Quod eſt vltimum ſubiectum non poteſt dici actus etiam, vt repræſentatur ab aliis diſtinctum; atqui materia prima eſt vltimum ſubiectum: ergo non poteſt dici actus etiam, vt repræſentatur ab aliis diſtincta.

Solutio: *Quod eſt vltimum ſubiectum non poteſt dici actus phyſicus*, Concedo. *metaphyſicus, vel obiectiuus*, Nego. *& conceſſa minori:* ergo *non poteſt dici actus phyſicus*, Concedo. *metaphyſicus, vel obiectiuus*, Nego. *Actus phyſicus aduenit realiter alteri præſuppoſito, qualem nullum habet materia; metaphyſicus verò tantùm per mentem, ſeu ratione diuerſorum conceptuum de eadem planè re, quorum vnus eſt amplior, & alter reſtrictior, vt explicuimus in Logica ſectione de differentia.*

TERTIA CONCLVSIO:

Materia prima est pura potentia physica.

ILLVD est pura potentia physica, quod non est actus physicus; atqui materia prima non est actus physicus: ergo est pura potentia physica.

Minor pr. Actus physicus est forma substantialis, vel accidentalis; atqui materia prima non est neque forma substantialis, neque accidentalis: ergo non est actus physicus.

Minor pr. Illud non est forma substantialis, neque accidentalis, quod non aduenit alteri realiter; atqui materia prima non aduenit alteri realiter: ergo non est forma substantialis, neque accidentalis.

Minor pr. Illud non aduenit alteri realiter, quod nihil aliud realiter præsupponit, in quo sit; atqui materia prima nihil aliud realiter præsupponit, in quo sit: ergo non aduenit alteri realiter.

Minor pr. Illud nihil aliud præsupponit realiter, in quo sit, quod est primum subiectum; atqui materia prima est primum subiectum: ergo nihil aliud realiter præsupponit.

CONCLVSIO QVARTA:

Materia prima est potentia immediatè receptiua formarum substantialium.

ILLVD est potentia immediatè receptiua formarum substantialium, quod immediatè illa recipit; atqui materia prima immediatè recipit formas substantiales: ergo est potentia immediatè receptiua illarum.

Minor pr. Illud immediatè recipit formas substantiales, quod præsupponitur illis, & immediatè illis vnitur; atqui materia prima immediatè illis vnitur, & præsupponitur ab illis: ergo ipsas immediatè recipit.

Prima pars minoris probatur.

Materia prima vnitur formis substantialibus nullo mediante: ergo immediatè.

Antecedens pr. Medium illud non potest esse nisi accidens vel substantia: atqui neutrum est: ergo materia vnitur formis substantialibus nullo mediante.

Prima pars minoris, medium illud non esse accidens probatur.

Illud accidens, vel recipit formam substantialem, vel non; atqui neutrum dici potest: ergo non est accidens.

Prima pars minoris probatur.

Accidens non potest recipere substantiam; sed forma substantialis est verè substantia: ergo accidens non potest illam recipere.

Secunda pars minoris, quòd dici non possit quòd illam non recipiat, probatur.

Illud non poteſt dici mediũ receptionis formæ ſubſtantialis in materia, quod illam non recipit: atqui accidens ex conceſſis illam non recipit: ergo non eſt medium, per quod materia recipiat formam ſubſtantialem.

Minor quarti argumenti præcedentis, medium illud, quo materia dicitur recipere formam non eſſe ſubſtantiam, probatur.

Illa ſubſtantia vniri deberet immediatè materiæ; atqui non poteſt ei vniri: ergo non eſt ſubſtantia.

Minor pr. Subſtantia illa non magis vniri poteſt materiæ immediatè, quàm forma ſubſtantialis; atqui forma ſubſtantialis per aduerſarios vniri non poteſt ei immediatè: ergo neque illa ſubſtantia.

Maior pr. Subſtantia illa eſt forma ſubſtantialis: ergo non magis vniri poteſt materiæ, quàm forma ſubſtantialis.

Antecedens pr. Illa ſubſtantia eſt forma ſubſtantialis, quæ præſupponit materiam, & illi vnitur; atqui illa ſubſtantia præſupponit per aduerſarios materiam, & illi vnitur: ergo eſt forma ſubſtantialis.

Obiicies Materia non recipit formas ſubſtãtiales per ſeipsã: ergo non recipit illas immediatè.

Antecedens pr. Recipit illas per potentiamà ſe diſtinctam: ergo non recipit illas per ſeipſam.

Antecedens pr. Illa diſtinguuntur, quibus conueniunt prædicata contradictoria; atqui materiæ primæ, & potentiæ eius receptiuæ conueniunt prædicata contradictoria: ergo recipit formas per potentiam à ſe diſtinctam.

Minor pr. Suscipere magis, & minus, & non suscipere sunt prædicata contradictoria; atqui potentiæ conuenit suscipere magis, & minus,& materiæ non suscipere:ergo ipsi & eius potentiæ conueniunt prædicata contradictoria.

Prima pars minoris probatur.

Illud suscipit magis,& minus,quod modò est maius,modò minus; atqui potentia materiæ est modò maior, modò minor: ergo potentia materiæ suscipit magis, & minus.

Minor pr. Illa potentia est modò maior, modò minor,quæ potest modò plures formas recipere, modò pauciores; atqui potentia materiæ modò potest plures formas recipere, modò pauciores: ergo est modò maior, modò minor.

Minor pr. Illa potentia, quæ non potest modò recipere formam aliquam, quam antea poterat, potest modò plures formas recipere, modò pauciores; atqui potentia materiæ non potest modò recipere aliquam formam,quam antea poterat: ergo potentia materiæ modò potest plures formas recipere, modò pauciores.

Minor pr. Potentia materiæ non potest modò recipere formam,quam antea poterat, ad quam materia modò non habet potentiam, cùm antea haberet; atqui materia ad formam,quã actu habet non habet potentiam,cùm antea haberet: ergo potentia materiæ non potest modò recipere formam aliquam, quam antea poterat.

Minor pr. Materia non habet potentiam ad illam formam, ad quam non est in potentia;atqui ad formam,quam actu habet,non est in potentia: ergo non habet potentiam ad formam, quam actu habet.

Solutio : *Ad illam formam materia non habet potentiam non redactam ad actum, ad quam est in potentia,* Concedo. *non habet potentiam redactam ad actum* Nego. *& concessa minori :* ergo *non habet potentiam non redactam ad actum ad formam, quam actu habet,* Concedo. *redactā ad actum,* Nego. *Sensus distinctionis est, materiam habere potentiam ad illam formam, non quidem separatam ab actu illi correspondente actuali, scilicet receptione formæ, sed cum illo coniunctam.*

Contrà. Materia nullam habet potentiam ad illam formam : ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Materia nullam habet potentiam ad formas corruptas: ergo neque ad illam.

Solutio : *Materia nullam habet potentiam ad formas corruptas secundùm id, quod illa potentia dicit in recto,* Nego. *secundùm id, quod illa potentia dicit in obliquo,* Concedo. *Potentia materiæ in recto ad formas corruptas est ipsius entitas, quæ semper est eadem, in obliquo verò est potentia productiua illarum, quæ non est semper eadem, tunc scilicet cùm fuerunt destructæ, neque enim res semel destructa potest naturaliter reproduci.*

Contrà. Potentia materiæ secundùm id, quod dicit in recto est potentia passiua; atqui potentia passiua distinguitur à materia : ergo potentia materiæ secundùm id, quod dicit in recto distinguitur ab illa.

Minor pr. Potentia actiua distinguitur à suo subiecto : ergo & passiua.

Antecedens pr. Nihil dicitur habere seipsum; atqui subiectum dicitur habere potentiam acti-

nam: ergo potentia actiua distinguitur à suo subiecto.

Solutio: *Negatur maior. Iustitia enim v. g. in Deo est ipsemet Deus, & tamen Deus dicitur illam habere: verè enim, & propriè dicitur iustus. Ratio verò est, quia verbum habere non significat semper id, quod dicit inesse subiecto, seu habenti esse in illo per veram vnionem realem, qualis est inter duo realiter distincta; sed vel per illam, vel per aliam quamcunque, vel etiam per identitatem, vt facile videre est in multis propositionibus vsu receptis. Qualis est, Deus est iustus, misericors, seu habens iustitiam, misericordiam, & Petrus habet viginti annos, &c.*

SECTIO III.

Quomodo habeat se materia ad formas substantiales.

CONCLVSIO PRIMA:

Materia prima nullam habet formam substantialem sibi coæuam, & inseparabiliter vnitam.

NVLLA est alia forma, quæ dicatur esse coæua materiæ, & ab ea inseparabilis, quã forma corporeitatis; atqui materia prima non habet formam corporeitatis: ergo nullam.

habet formam substantialem sibi coæuam, & inseparabiliter vnitam.

Minor pr. Nulla est necessitas admittendi formam corporeitatis in materia: ergo materia non habet formam corporeitatis.

Antecedens pr. Necessitas formæ corporeitatis est per aduersarios, vt compositum naturale constituatur corpus; atqui nulla est necessitas formæ corporeitatis, vt constituatur corpus: ergo nulla est necessitas admittendi formam corporeitatis.

Minor pr. Compositum naturale verè, & propriè est corpus sine illa forma corporeitatis: ergo nulla est necessitas illam admittendi.

Antecedens pr. Illud verè est corpus, quod est corporeum, & materiale; atqui compositum naturale sine forma corporeitatis est verè corporeum, & materiale: ergo sine forma corporeitatis compositum naturale verè, & propriè est corpus.

Minor pr. Illud compositum est verè corporeum, & materiale, quod habet aliquam sui partem materialem; atqui sine forma corporeitatis compositum naturale habet aliquam sui partem materialem: ergo sine forma corporeitatis est verè corporeum.

Minor pr. Materia est maximè materialis: atqui sine forma corporeitatis compositum naturale habet materiam: ergo sine forma corporeitatis habet aliquam sui partem materialem.

Obijcies. Materia habet formam corporeitatis; atqui illa est coæua materiæ, & ei inseparabiliter vnita: ergo materia habet aliquam for-

mam substantialem sibi coæuam, & inseparabiliter vnitam.

Maior pr. Materia hominis habet formam corporeitatis: ergo materia illam habet.

Antecedens probatur Materia hominis habet formam necessariam, vt homo constituatur corpus; atqui illa est forma corporeitatis: ergo materia hominis habet formam corporeitatis.

Minor pr. Illa forma est necessaria, vt homo constituatur corpus, sine qua non potest constitui corpus; seu corporeus; atqui sine forma corporeitatis non potest constitui corpus, seu corporeus: ergo est necessaria, vt homo constituatur corpus.

Minor pr. Homo non potest constitui corpus nisi per animam rationalem, vel per formam corporeitatis; atqui non constituitur corpus per animam rationalem: ergo constituitur corpus per formam corporeitatis.

Maior probatur. Homo constituitur corpus per aliquam formam; atqui non est alia forma in homine, quàm forma corporeitatis, aut anima rationalis: ergo homo constituitur corpus per animam rationalem, aut per formam corporeitatis.

Maior probatur. Homo constituitur corpus per formam, vel per materiam; atqui non constituitur corpus per materiam: ergo constituitur corpus per aliquam formam.

Minor probatur. Tota ratio, quare homo dici possit constitui corpus per materiam, est quia materia est eius pars; atqui hęc ratio non suffi-

cit : ergo non constituitur corpus per materiam.

Minor pr. Pars materialis non potest constituere suum totum corpus : ergo hæc ratio non sufficit.

Antecedens pr. Pars spiritalis non potest constituere suum totum spiritale : ergo neque materialis suum totum materiale.

Consequentia pr. Non est maior ratio, cur hoc possit pars materialis, quàm spiritalis ; atqui spiritalis non potest : ergo neque materialis.

Solutio : *Negatur maior. Ratio autem quare materialis hoc possit, & non possit spiritalis, est, quia totum spiritale est illud, quod nullam habet partem materialem. Ad quod non sufficit habere tantùm vnam. Materiale verò totum dicitur illud, quod habet aliquam partem materialem, quod de illo verè, & propriè verificatur, quando eius vna pars est materialis. Ratio autem vlterior, quare totum spiritale nullam debeat habere partem materialem, est, quia spiritale est prædicatum negatiuum, quod omnino negat, quod alterum, materialem scilicet ipsi oppositum importat ; negatio enim est malignantis naturæ.*

CONCLVSIO SECVNDA:

Materia non potest esse naturaliter sine vlla forma substantiali.

MATERIA non potest esse sine eo, quod necessariò cum ipsa est coniunctum ; atqui forma substantialis aliqua necessariò est coniuncta cũ

B vj

materia: ergo materia esse non potest sine forma substantiali.

Minor pr. Materia prima cum illo necessariò est coniuncta, quod habuit ab initio, habet, & est habitura; atqui materia prima habuit ab initio formam substantialem, habet illam iam, & est habitura in posterum: ergo forma aliqua substantialis est necessariò coniuncta cum materia.

Prima pars minoris probatur.

Formæ cœlorum, & terræ sunt veræ] formæ substantiales; sed materia illas habuit ab initio: ergo materia habuit ab initio formam substantialem.

Minor pr. Materia habuit ab initio illas formas, quibus ab initio fuit vnita; atqui ab initio fuit vnita formis cœlorum, & terræ: ergo habuit ab initio formas cœlorum, & terræ.

Minor pr. Materia illis formis ab initio fuit vnita, cum quibus constituit cœlum, & terram; atqui ab initio constituit cœlum & terram: ergo ab initio fuit vnita formis cœlorū, & terræ.

Minor pr. Materia statim ac extitit constituit cœlum, & terram: ergo ab initio constituit cœlum, & terram.

Antecedens pr. Non est producta antequam constitueret cœlum, & terram: ergo statim ac extitit constituit cœlum, & terram.

Antecedens pr. Non est producta ante cœlum & terram: ergo non est producta antequam constitueret cœlum, & terram.

Antecedens pr. Materia non est producta antea, quæ in principio, seu primò producta

sunt; atqui cœlum, & terra in principio producta sunt, ex capite primo Gen. ergo non est producta ante cœlum, & terram.

Prima, & tertia pars minoris secundi argumenti superioris, materiam habere iam, & habituram in posterum formam aliquam, pr.

Materiam habere iam, & esse habituram formam, est, nunquam spoliari vna, quin acquirat aliam; atqui nunquam spoliatur vna, quin acquirat aliam: ergo materia habet iam, & est habitura semper formam aliquam.

Minor pr. Materia non spoliatur vna forma, nisi introducantur dispositiones illi contrariæ; atqui cùm introducuntur dispositiones illi contrariæ, acquirit aliam: ergo materia cùm spoliatur vna acquirit aliam.

Minor pr. Materia acquirit illam, quæ introducitur, cùm introducuntur dispositiones contrariæ formæ præcedenti; atqui introducitur alia, cùm introducuntur dispositiones cõtrariæ formæ præcedenti: ergo cùm introducuntur dispositiones illi contrariæ, acquirit aliam.

Minor pr. Introducitur illa, quam exigunt dispositiones illæ contrariæ; atqui exigunt aliam: ergo introducitur alia, cùm introducuntur dispositiones contrariæ formæ præcedenti.

Minor pr. Exigunt aliquam; atqui non exigunt præcedentem: ergo exigunt aliam.

Obijcies. Materia potest esse sine eo, à quo non dependet; atqui non dependet à forma substantiali: ergo potest esse sine forma substantiali.

Solutio: *Materia potest esse sine eo, à quo non dependet, neque à priori, neque à posteriori.* Con-

cedo. *à priori tantùm*, Nego. atqui *non dependet à forma substantiali à priori*, Concedo. *à posteriori*, Nego.

Contrà. Materiam dependere à forma à posteriori, est, depēdere ab illa tanquam à complemento; atqui materia potest esse sine illo complemento: ergo materia potest esse sine eo, à quo dependet à posteriori.

Minor pr. Non minùs materia potest esse sine suo complemento, quàm forma; sed forma potest esse sine suo complemento: ergo & materia.

Maior pr. Ideò materia non potest esse sine suo complemento, quia illud exigit; atqui forma nō minùs exigit suum complementum: ergo non minùs materia potest esse sine suo complemento, quàm forma.

Solutio: *Ideò materia non potest esse sine suo complemento, quia illud exigit præcisè*, Nego. *quia illud exigit, & quia parata sunt agentia naturalia ad illud illi dandum*, Concedo. atqui *forma etiam illud exigit, & parata sunt agentia naturalia ad illud ei dandum*, Nego. *& non sunt parata*, Concedo.

Contrà. Agens vniuersale est agens naturale; atqui illud paratum est ad dandum formæ suum complementum: ergo parata sunt agentia naturalia ad dandum formæ suum complementum.

Minor pr. Agens vniuersale est paratū ad dandum formæ, quod exigit; atqui illa exigit suum complementum: ergo paratum est ad dandum illi suum complementum.

Maior pr. Agens vniuersale est paratum ad dandum rebus naturalibus, quod exigunt; at-

qui forma substantialis est res naturalis: ergo agens vniuersale est paratum ad dandum formæ quod exigit.

Solutio: *Agens vniuersale est paratum ad dandum forma, quod exigit, si nihil aliud obstet, & se opponat illi exigentia*, Concedo. *si aliud obstet*, Nego. ergo *agens vniuersale est paratum ad dandum forma, quod exigit. si nihil est, quod impediat, & opponat se illi exigentia*, Concedo. *si aliquid impediat, & opponat se illi exigentia*, Nego. *Illud quod obstat, ne agens vniuersale, seu causa prima det forma, anima v. g. rationali suum complementum scilicet alteram materiam, cùm ex priori expellitur, est quia, & ea quam deserit, & alia occupantur ab aliis formis, cum quibus ipsa non potest esse in illis.*

Contrà. Illud, quod obstat ex concessis, ne agens vniuersale det animæ rationali, quæ separatur à corpore id, quod exigit, est, quod aliæ materiæ occupentur ab aliis formis cum quibus ipsa non potest esse in illis; atqui non occupatur ab vlla forma, cum qua ipsa non possit esse: ergo nihil obstat quominùs agens vniuersale det illi, quod exigit.

Minor pr. Quo tempore anima rationalis, Petri v. g. separatur à suo corpore, introducuntur sæpè dispositiones in materiam embrionis destruentes illius formam, & disponentes ad animam rationalē; atqui tunc illa materia embrionis non occupatur à forma, cum qua non possit esse anima Petri, separata à suo corpore: ergo materia non occupatur à forma, cum qua non possit esse anima rationalis, quæ separatur à corpore.

Minor pr. Forma, à qua occupari debet illa materia, est aliqua anima rationalis; atqui anima rationalis Petri non modò non est incompossibilis cum aliqua anima rationali, sed habet identitatem cum illa, & est verè aliqua animà rationalis: ergo tunc illa materia embrionis non occupatur à forma, cum qua non possit esse anima Petri, separata à suo corpore.

Solutio: *Forma, à qua occupari debet illa materia, est aliqua anima rationalis praexistens*, Nego. *de nouo producta*, Concedo. atqui *anima rationalis praexistens, non est incompossibilis in eadem materia, cum anima rationali de nouo producta*, Nego. *cum praexistente*, Concedo.

Contrà. Non est potior ratio, cur anima rationalis, occupans illam materiam sit aliqua de nouo producta, quàm præexistens: ergo forma, à qua occupatur illa materia est anima rationalis præexistens.

Solutio: *Negatur antecedens. Ratio enim cur forma occupans illam materiam debeat esse producta de nouo, potiùs quàm praexistens, est fœcunditas materia capacis plurium huiusmodi formarum, & pulchritudo vniuersi, qua sine dubio augetur multiplicitate indiuiduorum.*

CONCLVSIO TERTIA.

Materia prima potest esse diuinitus sine forma substantiali.

NON implicat materiam esse sine vllà formà substantiali: ergo potest esse diuinitus, sine vlla forma substantiali.

Antecedens pr. Illud non implicat, quod non inuoluit esse, & non esse eiusdem rei; atqui materiam esse sine vlla forma substantiali non inuoluit esse, & non esse vllius eiusdem rei: ergo non implicat materiam esse sine vlla forma substantiali.

Minor pr. Inuoluit tantùm materiam esse,& non esse formam : ergo non inuoluit esse, & non esse eiusdem rei.

Consequentia pr. Materia, & forma,non sunt eadem res: ergo materiam esse, & non esse formam non inuoluit esse, & non esse eiusdem rei.

Antecedens pr. Potentia, & actus physicus non sunt eadem res; atqui materia est potentia, & forma eius actus physicus: ergo materia, & forma non sunt eadem res.

Obijcies. Tam implicat materiam esse sine forma substantiali, quàm sine accidentali; atqui implicat esse sine accidentali, ergo & sine substantiali.

Maior pr. Materia non magis dependet à forma accidentali, quàm à substantiali : ergo tam implicat materiam esse sine forma substantiali, quàm sine accidentali.

Solutio: *Materia non magis dependet à forma accidentali, quàm à substantiali à priori, seu tanquam à causa*, Concedo. *à posteriori, seu tanquam aliquo, cum quo debeat esse necessariò connexa*, Nego.

Contrà. Materia non magis dependet à posteriori ab vno suo effectu,quàm ab alio,sed formæ accidentalis est effectus materiæ æquè, ac substantialis:ergo non magis dependet etiam à po-

ſteriori à forma accidentali, quàm à ſubſtantiali.

Maior pr. Materia dependere non poteſt à poſteriori ab vllo ſuo effectu: ergo non magis dependet ab vno ſuo effectu, quàm ab alio.

Antecedens pr. Materiam dependere à poſteriori ab aliquo ſuo effectu, eſt effectum eſſe quid requiſitum, vt ipſa ſit; atqui effectus materiæ non eſt quid requiſitum, vt ipſa ſit: ergo materia non dependet à poſteriori ab vllo ſuo effectu.

Minor pr. Illud non eſt quid requiſitum, vt materia ſit, quod non requiritur ad eius exiſtentiam; atqui effectus materiæ non requiritur ad exiſtentiam materiæ: ergo effectus materiæ non eſt quid requiſitum, vt ipſa ſit.

Minor pr. Poſterius non requiritur ad exiſtentiam prioris; atqui materia eſt prior, & eius effectus poſterior ipſa: ergo effectus materiæ requiritur ad exiſtentiam materiæ.

Solutio: *Poſterius non requiritur ad exiſtentiam prioris tempore*, Concedo. *prioris tantùm natura*, Nego. atqui *materia eſt prior, & eius effectus poſterior ipſa, tempore*, Nego. *natura*, Concedo.

Contrà. Nihil requiritur ad exiſtentiam eius, quod præſupponit habere ſuum eſſe; atqui poſterius præſupponit id, quod eſt prius natura habere ſuum eſſe: ergo poſterius non requiritur ad exiſtentiam prioris natura.

Solutio: *Nihil requiritur ad exiſtentiam eius, quod præſupponit habere ſuum eſſe præſuppoſitum tempore*, Concedo. *præſuppoſitum natura tantùm*, Nego. atqui *poſterius præſupponit id, quod eſt prius*

natura habere suum esse præsuppositum tempore, Nego. *præsuppositum tantùm natura,* Concedo. *Sensus responsionis est, id, quod præsupponit aliud tempore prius, nullomodo requiri ad eius existentiam. Benè verò aliquando id, quod præsupponit aliud, tantùm prius natura; quia cùm prioritas naturæ nihil aliud sit, quàm quod una res sit independens ab alia, & ista ab ipsa dependens; rectè intelligi potest dependentem constituere independentem in hoc tempore, vel loco potiùs, quàm in alio, & consequenter eùm hoc requisitum sit, vt independens sit. Neque enim esse potest, quin sit in loco, & tempore.* Dependentem, *qua hoc ei dat requiri ad eius existentiam, seu vt sit non absolutè, sed hoc, aut illo modo. Cum quorum aliquo debet semper esse, vt probabitur sect. sequenti.*

CONCLVSIO QVARTA:

Materia conseruaretur eodem influxu sine forma, quo cum forma.

ACTIO, per quam conseruaretur materia sine forma, est eadem cum illa, per quam conseruatur simul cum forma; atqui actio illa est influxus: ergo conseruaretur eodem influxu sine forma, quo cum forma.

Maior pr. Actio est eadem, quamdiu eius causæ, & effectus per illam productus sunt eadem; atqui causæ productiuæ istius actionis sunt eædem, terminus etiam productus idem: ergo actio, per quã conseruaretur materia sine forma,

est eadem cum illa, per quam conseruatur simul cum forma.

Minor probatur. Causa productiua istius actionis est Deus, & terminus per illam productus materia prima; atqui Deus est idem, sicut & materia prima: ergo causæ sunt eædem, terminus etiam productus idem.

Respondent *Aduersarij distinguendo: Causa productiua est Deus solus*, Negant. *Deus simul cum forma substantiali*, Concedunt. atqui *Deus est idem*, Concedunt. *forma, qua simul cum ipso concurrit*, Negant.

Contrà. Forma non concurrit ad productionem eius, cuius non est causa; atqui forma non est causa materiæ: ergo non concurrit ad eius productionem.

Minor pr. Forma non est causa eius, à quo causatur, aut quod præsupponit; atqui forma causatur à materia, aut illam præsupponit: ergo forma non est causa materiæ.

Maior pr. Formam esse causam eius, à quo causatur, aut quod præsupponit, est dari mutuam causalitatem; atqui non datur mutua causalitas ex dicendis disputatione de causa efficiente: ergo forma non est causa eius, à quo causatur.

Obijcies. Influxus est idem cum actione; atqui actio, qua conseruaretur materia sine forma est diuersa ab illa, qua conseruatur cum illa: ergo influxus, per quem conseruaretur materia sine forma, non est idem cum illo, per quem conseruatur simul cum forma.

Minor pr. Actio naturalis est diuersa, ab actione supernaturali; atqui actio, qua conserua-

tùr materia cum forma est naturalis, & illa, qua conseruatur sine forma est supernaturalis: ergo actio, qua conseruatur materia sine forma est diuersa ab alia, qua conseruatur cum forma.

Solutio: *Actio naturalis est diuersa ab actione supernaturali quoad substantiam*, Concedo. *supernaturali tantùm quoad modum*, Nego. atqui *actio, qua conseruatur materia sine forma, est supernaturalis quoad substantiam*, Nego. *quoad modum*, Concedo.

Contrà. Actio supernaturalis quoad modum est etiam supernaturalis quoad substantiam; atqui ex concessis illa actio est supernaturalis quoad modum: ergo est quoque supernaturalis quoad substantiam.

Maior pr. Modus ille, secundùm quem illa actio est supernaturalis nõ distinguitur ab ipsamet actione; atqui ille modus est supernaturalis in substantia: ergo etiam & ipsa actio.

Maior pr. Ille modus non potest esse aliud distinctum ab illa actione, quàm voluntas Dei, de conseruanda materia sine forma; atqui non est illa voluntas Dei: ergo non est quid distinctum ab illa actione.

Minor pr. Modus ille est supernaturalis in substantia ex concessis; atqui voluntas illa non est supernaturalis in substantia: ergo non est illa voluntas.

Minor pr. Voluntas illa est merè naturalis: ergo non est supernaturalis in substantia.

Antecedens pr Illa voluntas Dei est merè naturalis, per quam Deus vult priùs ea, quæ sunt priora, & posteriùs, quæ sunt posteriora; atqui

voluntas Dei de conseruanda materia sine forma vult priùs ea, quæ sunt priora, & posteriùs quæ sunt posteriora: ergo voluntas illa est merè naturalis.

Solutio: *Illa voluntas est merè naturalis, per quam Deus vult priùs ea, quæ sunt priora, & posteriùs quæ sunt posteriora. si posteriora non sint finis, & complementum priorum*, Concedo. *si sint finis, & complementum priorum*, Nego. atqui *voluntas Dei de conseruanda materia sine forma, vult priùs ea, quæ sunt priora, & posteriùs quæ sunt posteriora, & ista posteriora non sunt finis, & complementum priorum*, Nego. *& sunt finis, & complementum priorum*, Concedo. *Explicatur responsio. Materia est quidem prior forma, vnde quando Deus vult illam conseruare sine forma, vult priùs ea, quæ sunt priora. Forma tamen ita est posterior materia, vt sit finis, & complementum illius, ac proinde, si Deus velit conseruare materiam, sine ipsa vult conseruare illam, sine suo complemento. Voluntas autem non dandi rei suum complementum, non potest dici naturalis. Res enim illud naturaliter exigit.*

Contrà. Proprietas est complementum eius, à quo oritur, frigus v. g. aquæ; atqui voluntas Dei non dandi aquæ, cùm calefit suum frigus vt octo, est naturalis: ergo voluntas Dei non dandi rei suum complementum est naturalis.

Solutio: Atqui *voluntas Dei non dandi aquæ, cùm calefit frigus vt octo, est naturalis, propterea quod sit contraria exigentia prævalens exigentiæ aquæ, illa, scilicet, quam habet ignis producendi in illa calorem*, Concedo. *si nulla esset contraria*

exigentia praualens, Nego. ergo *voluntas Dei non dandi rei suum complementum est naturalis, si sit contraria exigentia praualens*, Concedo. *si non sit*, Nego. *Quod Deus facit consequenter ad exigentiam rerum naturalium, facit naturaliter. Quod verò contra illam, aut sine illa, supernaturaliter.*

SECTIO V.

Quomodo habeat se materia ad formas accidentales.

CONCLVSIO PRIMA:

Materia etiam diuinitus non potest existere, sine forma accidentali aliqua.

VBI, & duratio sunt formæ accidẽtales; atqui materia prima existere non potest sine vbi, & duratione: ergo non potest existere sine forma accidentali aliqua.

Prima pars minoris probatur.

Nullum ens creatum mobile existere potest sine vbi; atqui materia prima est ens creatũ mobile: ergo materia existere non potest sine vbi.

Maior pr. Nullum ens creatum mobile existere potest, quin sit alicubi; atqui non potest esse alicubi sine vbi: ergo nullum ens creatum mobile existere potest sine vbi.

Maior pr. Nullum ens creatum existere po-

test; quin coexistat Dei immensitati; atqui isti coexistere non potest, quin sit alicubi: ergo nullum ens creatum mobile existere potest, quin sit alicubi.

Maior pr. Illud coexistit Dei immensitati, cui Dei immensitas est præsens; atqui nullum eius creatum existere potest, cui immensitas Dei nõ sit præsens: ergo nullum ens creatum existere potest, quin coexistat Dei immensitati.

Minor pr. De ratione diuinæ immensitatis est; vt sit præsens omni ei, quod existit, & magis pręsens quàm ipsum sibi: ergo nullum ens creatum existere potest, cui immensitas Dei non sit præsens.

Antecedens pr. Deus inest omni ei, quod existit non tantùm potentia illud producendo, & conseruando, & cognitione illud, & quæcumque sunt in ipso repræsentando; sed etiam præsentia illud sua substantia in immensum diffusa quasi vestiendo, permeando, & penetrando: ergo de ratione immensitatis est, vt sit præsẽs omni ei, quod existit, & magis præsens quàm ipsum sibi.

Duæ primæ partes antecedentis certæ sunt, & tertia probatur.

Deo conuenit quidquid est melius, & perfectius; atqui melius est, & perfectius Deum diffusione suæ substantiæ, esse pręsentem omni ei, quod existit, & illud quasi vestire, penetrare, & permeare: ergo Deus inest omni ei, quod existit, & sua præsentia in infinitum diffusa illud quasi vestit, permeat, & penetrat.

Minor pr. Illud est perfectius, quod nullam habet

abet admixtam imperfectionem; atqui Deum
ſſe præſentem diffuſione ſuæ ſubſtantiæ omni
i, quod exiſtit, nullam inuoluit imperfe-
tionem: ergo melius eſt, & perfectius Deum
iffuſione ſuæ ſubſtantiæ eſſe præſentem omni
i, quod exiſtit, & illud quaſi veſtire, penetra-
e, & permeare.

Minor probata eſt in Metaphyſica diſp. 3. de Deo ſect. 2. & altera minor ſuperioris argumenti, quòd ens creatum coëxiſtere non poſſit partialiter Dei immenſitati quin ſit alicubi, probatur.

Ens creatum coëxiſtens Dei immenſitati coëxiſtit ei partialiter; atqui ei coëxiſtere non poteſt partialiter, quin ſit alicubi: ergo ens creatum non poteſt coëxiſtere Dei immenſitati, quin ſit alicubi.

Minor pr Ens creatum coëxiſtens tantùm partialiter Dei immenſitati debet eſſe tale, vt aliud ens ſimul cum ipſo productum, aut pòſt, non debeat ei neceſſariò coëxiſtere, ſeu eſſe ab ipſo indiſtans; atqui quod eſt tale, vt aliud ens ſimul cum ipſo productum, aut pòſt, non debeat ei neceſſariò coëxiſtere, ſeu eſſe indiſtans, eſt neceſſariò alicubi: ergo coëxiſtere non poteſt partialiter Dei immenſitati, quin ſit alicubi.

Minor pr. Illud eſt neceſſariò alicubi, quod habet certum, & determinatum vbi; atqui quod eſt tale, vt aliud ens ſimul cum ipſo productum, aut pòſt non debeat ei neceſſariò coëxiſtere, habet certum, & determinatum vbi: ergo eſt neceſſariò alicubi.

Minor pr. Quod eſt tale, vt aliud ens ſimul cum ipſo productum, aut pòſt, ei non coëxiſtat

non coexiſtit alicui, quod coexiſtit eidem, cui ipſum coexiſtit; atqui quod non coexiſtit alteri coexiſtenti eidem, cui ipſum coexiſtit, habet vbi certum, & determinatum: ergo quod eſt tale, vt aliud ens ſimul cum ipſo productum, aut pòſt, non debeat ei neceſſariò coexiſtere, ſeu eſſe ab ipſo indiſtans, eſt neceſſariò alicubi.

Minor pr. Debet, habere aliquid, ratione cuius ei non coexiſtat: atqui illud eſt vbi certum, & determinatum: ergo habere debet vbi certum, & determinatum.

Minor pr. Illud, per quod ei non coexiſtit eſt aliquid ab ipſo realiter diſtinctum: atqui illud diſtinctum realiter eſt vbi certum, & determinatum: ergo illud ratione cuius non coexiſtit eſt vbi certum, & determinatum.

Maior pr. Illud, per quod ei non coexiſtit, non eſt nuda ipſius entitas: ergo eſt aliquid realiter ab ipſo diſtinctum.

Reſpondent aduerſarij: *Non eſt nuda ipſius entitas ſumpta ſine alterius entitate, cui non coexiſtit*, Concedunt. *ſumpta ſimul cum ea*, Negant.

Contrà. Non coexiſtentia illa vtriuſque, non eſt vtriuſq; entitas ſimul exiſtēs: ergo nulla ſolutio.

Antecedens pr. Illa non ſunt idem, quorum vno exiſtente, non exiſtit aliud: atqui exiſtentibus ſimul illis duabus entitatibus, non exiſtit neceſſariò earum non coexiſtentia: ergo non coexiſtentia illa vtriuſque, nō eſt vtriuſque entitas.

Minor pr. Exiſtente duarum illarum entitatum coexiſtentia, non exiſtit earum non coexiſtentia: atqui exiſtentibus ſimul illis duabus entitatibus exiſtere pòteſt earum coexiſtentia:

ergo existentibus illis duabus entitatibus, non existit necessariò earum non coëxistentia.

Minor pr. Sibi coëxistere possunt : ergo existere potest earum coëxistentia.

Antecedens pr. Non debent sibi necessariò non coëxistere, ex concessis supra : ergo possunt sibi coëxistere.

Obijcies Materia potest esse sine eo, sine quo produci potest ; atqui produci potest sine vlla forma accidentali : ergo existere potest sine vlla forma accidentali.

Minor pr. Formæ accidentales, sine quibus produci non potest materia sunt vbi, & duratio; atqui Deus producere potest materiam sine vbi, & duratione : ergo materia produci potest sine vlla forma accidentali.

Minor pr. Sine eo potest Deus producere materiam, quod liberè producit cùm illam producit; atqui cùm Deus producit materiam producit liberè eius vbi, & durationem : ergo producere potest materiam sine vbi, & duratione.

Solutio : Atqui *cùm Deus producit materiam, producit liberè eius vbi determinatè sumptum,* Concedo. *indeterminatè sumptum*, Nego.

Contrà. Deus producit liberè vbi materiæ, etiam indeterminatè sumptum : ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Deus producit liberè quidquid producit ad extra ; atqui vbi etiam indeterminatè sumptum est aliquid extra Deum: ergo Deus illud liberè producit.

Solutio : *Quod Deus producit ad extra producit liberè absolutè,* Concedo. *ex suppositione ali-*

qua, Nego. *& concessa minori* : ergo *producit illud vbi liberè*, *absolutè* Concedo. *ex suppositione quòd velit materiam producere*, Nego.

Contrà Illud Deus producit liberè, ad cuius productionem non necessitatur; atqui non necessitatur ad productionem illius vbi, etiam posito, quòd velit materiam producere: ergo producit liberè illud vbi, etiam ex suppositione, quòd velit materiam producere.

Minor pr. Ex duobus entibus distinctis, & quorum vnum est causa alterius, Deus producto illo, quod est causa, non necessitatur ad producendum aliud, quod est effectus; atqui materia, & vbi distinguuntur, & materia est causa vbi: ergo Deus non necessitatur ad productionem vbi illius, etiam posito, quòd velit materiam producere.

Solutio: *Ex duobus entibus distinctis, & quorum vnum est causa alterius, Deus producto illo, quod est causa, non necessitatur ad producendum aliud quod est effectus, si ex non productione istius, non sequatur illud prius non esse*, Concedo. *si sequatur illud prius non esse*, Nego. Atqui *materia, & vbi distinguuntur, & materia est causa vbi, & ex non productione istius, hoc est, vbi non sequitur illud prius, seu materiam non esse*, Nego. *& sequitur eam non esse*, Concedo. *sequitur enim nullibi esse, vt ostensum est in probatione conclusionis. Nullibi autem esse est non esse.*

CONCLVSIO SECVNDA:

Quantitas est proprietas materiæ.

ILLVD est proprietas materiæ, quod tanquam actus conuenit omnibus eius indiuiduis solis,& semper; atqui quantitas tanquam actus conuenit omnibus indiuiduis materiæ solis, & semper : ergo est proprietas materiæ.

Prima pars minoris probatur.

Illi conuenit quantitas tanquam actus, quod est eius subiectum, & necessariò habet partes extra partes; atqui omnis materia est subiectum quantitatis, & necessariò habet partes extra partes: ergo quantitas conuenit tanquam actus, omnibus indiuiduis materiæ.

Secunda pars minoris probatur.

Non conuenit aliis à materia : ergo conuenit solis indiuiduis materiæ.

Antecedens pr. Non est aliud, de cuius existentia non ambigatur, cui dici possit quantitas conuenire tanquam actus, quàm forma substantialis, & accidentia aliorum prædicamẽtorum; atqui non conuenit illis tanquam actus : ergo non conuenit aliis à materia tanquam actus.

Minor pr. Illis quantitas non conuenit tanquam actus, quæ non sunt ipsius subiectum; atqui nec forma substantialis, nec accidentia aliorum prædicamentorum sunt eius subiectum : ergo quantitas non conuenit illis tanquam actus.

Minor pr. Illud non est subiectum quantitatis, quo pereunte ipsa non perit; atqui pereunte

forma substantiali, & aliis accidentibus aliorũ prædicamentorum non perit quantitas: ergo nec forma substantialis, nec accidentia aliorum prædicamentorum sunt ipsius subiectum.

Distinguunt aduersarij: *Illud non est subiectum quantitatis, quo pereunte, & non substituto alio in eius locum, & ad subiectandam quantitatem non perit quantitas*, Concedo. *substituto alio in eius locum*, Nego. atqui *pereunte forma substantiali, & substituta alia in eius locum, ad subiectandam quantitatem non perit quantitas*, Concedo. *si non substitueretur alia*, Nego.

Contrà. Forma embrionis est vera forma substantialis; atqui cùm perit non substituitur alia forma in eius locum ab subiectandam quantitatem: ergo pereunte forma substantiali, non substituitur alia in eius locum ad subiectandam quantitatem.

Minor pr. Non potest dici alia substitui forma, quàm anima rationalis; sed anima rationalis non substituitur ad subiectandam quantitatem: ergo formæ embrionis non substituitur alia ad subiectandam quantitatem.

Minor pr. Illa forma non substituitur ab subiectandam quantitatem, quæ est inepta ad subiectandam quantitatem; atqui anima rationalis est inepta ad illam subiectandam : ergo anima rationalis non substituitur ad subiectandam quantitatem.

Minor pr. Illa forma est inepta ad subiectandam quantitatem, quæ nullas habet partes; atqui anima rationalis nullas habet partes: ergo est inepta ad subiectandam quantitatem.

Maior pr. Illa forma eſt inepta ad ſubiectandam quantitatem, cui communicari non poteſt præcipuus eius effectus; atqui præcipuus effectus quantitatis non poteſt communicari formæ, quæ nullas habet partes: ergo forma quæ nullas habet partes eſt inepta ad ſuſtentationem quantitatis.

Minor pr. Præcipuus effectus quantitatis eſt efficere, vt ſubiectum habeat partes extra partes; atqui hoc communicari non poteſt formæ, quæ nullas habet partes: ergo præcipuus effectus quantitatis communicari non poteſt formæ, quæ nullas habet partes.

Obijcies. Proprietas producitur actiuè ab eo, cuius eſt proprietas; atqui quantitas non producitur actiuè à materia: ergo non eſt proprietas materiæ.

Minor pr. Quantitas non producitur ab eo, quod non eſt actiuum; atqui materia non eſt actiua: ergo quantitas non producitur à materia.

Solutio: Atqui *materia non eſt actiua actione tranſeunte*, Concedo. *actione, qua eſt emanatio*, Nego. ergo *quantitas non producitur à materia actione tranſeunte*, Concedo. *actione, qua eſt emanatio*, Nego.

Contrà. Quod eſt pura potentia non eſt actiuum etiam actione, quæ eſt emanatio; atqui materia eſt pura potentia: ergo non eſt actiua etiam actione, quæ eſt emanatio.

Solutio: *Quod eſt pura potentia receptiua, non eſt actiuum etiam actione, qua eſt emanatio*, Concedo. *quod non eſt pura potentia receptiua*, Ne-

go. atqui *materia est pura potentia receptiua*, Nego. *non est pura potentia receptiua*, Concedo.

Contrà. Materia non potest dici non esse pura potentia receptiua nisi ratione quantitatis, quam producat; atqui illam non producit: ergo falsum est non esse puram potentiam receptiuam.

Minor pr. Vel illam producit iam, vel ab initio, quo fuit; atqui neutrum dici potest: ergo illam non producit.

Minor pr. Quantitas producta iam, & ab initio à materia est illi coæua; atqui quantitas non est coæua materiæ: ergo quantitas non est producta iam, & ab initio à materia.

Minor pr. Non potest quantitas esse coæua materiæ, quin compositum per accidens sit prius composito per se, & materia maiorem habeat connexionem cum accidente, quàm cum substantia; atqui vtrumque hoc falsum est: ergo quantitas non est coæua materiæ.

Solutio: *Non potest quantitas esse coæua materia, quin compositum per accidens, sit prius ordine intentionis composito per se*, Nego. *sit prius ordine executionis*, Concedo. *& materia habeat maiorem connexionem cum accidente, hoc est, tenaciorem*, Concedo. *maiorem connexionem, hoc est nobiliorem*, Nego. atqui *compositum per se est prius composito per accidens ordine intentionis*, Concedo. *ordine executionis*, Nego. *& materia habet nobiliorem connexionem cum accidente*, Concedo. *tenaciorem*, Nego.

SECTIO VI.

Quænam, & quando priuatio sit principium generationis.

PRIVATIO, seu absentia formæ in subiecto apto, duplex est; vna in subiecto proximè apto, & dicitur priuatio proxima; altera in subiecto remotè tantùm apto, & dicitur priuatio remota.

PRIMA CONCLVSIO:

Priuatio proxima est principium generationis, quæ fit modo naturali.

ILLA priuatio est principiũ generationis, quæ fit modo naturali, quæ est illius pars; sed sola priuatio proxima est illius pars: ergo sola priuatio proxima est principium generationis, quæ fit modo naturali.

Minor pr. Illa priuatio est pars generationis, quæ est terminus à quo illius; atqui sola priuatio proxima est terminus à quo illius: ergo sola priuatio proxima est illius pars.

Minor pr. Illa priuatio est terminus à quo generationis, quæ derelinquitur cùm acquiritur forma; atqui sola priuatio proxima derelinquitur cùm acquiritur forma: ergo sola priuatio proxima est terminus à quo illius.

Minor pr. Illa sola priuatio derelinquitur, quæ

immediatè antecedit introductionẽ formæ; atqui ſola priuatio proxima immediatè antecedit formam, quæ introducitur: ergo ſola priuatio proxima derelinquitur, cùm acquiritur forma.

Minor pr. Illa priuatio immediatè antecedit introductionem formæ, quæ eſt immediatè antequam forma introducatur; atqui ſola priuatio proxima eſt immediatè antequam forma introducatur: ergo ſola immediatè antecedit formam, quæ introducitur.

Minor pr. Priuatio proxima eſt abſentia formæ in materia habente diſpoſitiones ad recipiendam formam; atqui forma non introducitur, niſi ſint illæ diſpoſitiones in materia: ergo ſola priuatio proxima eſt immediatè antequam forma introducatur.

CONCLVSIO SECVNDA:

Priuatio eſt principium immediatè ante introductionem formæ.

TVNC priuatio eſt principium generationis, cùm eſt principium mutationis ſubſtantialis; atqui priuatio immediatè ante introductionem formæ, eſt principium mutationis ſubſtantialis: ergo immediatè ante productionem formæ, eſt principium generationis ſubſtantialis.

Minor pr. Tunc priuatio eſt principium mutationis ſubſtantialis, cùm eſt illius pars; atqui eſt pars mutationis ſubſtantialis immediatè antequam introducatur forma: ergo immediatè ante introductionem formæ, eſt principium mutationis ſubſtantialis.

Minor pr. Tunc est pars mutationis substantialis, cùm est ipsius esse inadæquatè, & dimidiatum; atqui immediatè ante introductionem formæ, est ipsius esse inadæquatè, & dimidiatum: ergo immediatè antequam introducatur forma est eius pars.

Minor pr. Mutatio substantialis est ista duo sibi succedentia in materia, absentia formæ, & vnio formæ; atqui priuatio est alterum ex istis immediatè antequam forma introducatur: ergo & eius esse inadæquatè, & dimidiatum.

Minor pr. Priuatio, vel est alterum ex illis cùm introducitur forma, vel postquam est introducta, vel antequam introducatur; atqui non est duo prima: ergo est vltimum.

Minor pr. Priuatio non est alterum ex illis, cùm est forma, aut iam ab aliquo tempore fuit; atqui cùm sunt duo prima, est, aut fuit forma: ergo non est duo prima.

Obijcies in penultimam conclusionem.

Generatio ignis est vera mutatio substantialis; atqui priuatio non est principium generationis ignis: ergo non est principium mutationis substantialis.

Minor pr. Non ens non potest esse principium entis positiui; atqui priuatio est non ens, & generatio ignis est ens positiuum: ergo priuatio non est principium generationis ignis.

Solutio: *Non ens non potest esse principium entis omnino positiui*, Concedo. *partim positiui, & partim negatiui*, Nego. atqui *priuatio est non ens*, Concedo illam partem, *& generatio ignis est ens omnino positiuum*, Nego. *partim positi-*

num, & partim negatiuum, Concedo.

Contrà. Generatio ignis est adæquatè positiua : ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Generatio ignis est actio, per quam producitur forma ignis; atqui illa actio est adæquatè positiua : ergo generatio ignis est adæquatè positiua.

Solutio : *Generatio ignis est actio, per quam producitur forma ignis*, Concedo maiorem. atqui: *illa actio est adæquatè positiua prout est mutatio*, Nego. *prout non est mutatio*, Concedo. ergo *generatio ignis est adæquatè positiua, prout est mutatio*, Nego: *prout non est mutatio*, Concedo.

Contrà. Priuatio proxima non est principium illius actionis, etiam prout est mutatio: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Priuatio proxima, vel est principium illius actionis, antequam sit forma, vel cùm est forma, vel postquam fuit forma; atqui nullum horum dici potest : ergo non est principium illius actionis, etiam prout est mutatio.

Respondeo *esse principium antequam sit forma*.

Contrà. Priuatio non est principium cùm non est; atqui antequam sit forma priuatio non est: ergo non est principium antequam sit forma.

Minor pr. Priuatio proxima est absentia formæ, in materia proximè apta ad habendam formam; sed materia non est proximè apta ad habendam formam antequam sit forma : ergo antequam sit forma priuatio non est.

Minor pr. Materia non est proximè apta ad habēdam formam, nisi cùm habet dispositiones

completas ad illam habendam ; atqui materia non habet illas diſpoſitiones completas antequam ſit forma : ergo non eſt proximè apta ad habendam formam antequam ſit forma.

Maior pr. Materia vel eſt proximè apta , cùm non habet diſpoſitiones omnino completas, vel cùm habet illas completas; atqui non eſt proximè apta cùm illas non habet omninò completas:ergo tantùm cùm illas habet completas.

Solutio : Atqui *non eſt proximè apta cùm illas non habet omnino completas , hoc eſt , ſufficientes ad recipiendam formam , ſeu non praualentes diſpoſitionibus formæ veteris ,* Concedo. *hoc eſt , non quidem omnino integras , ſed ſufficientes ad formam nouam , & ſuperantes valde diſpoſitiones formæ veteris ,* Nego..

Contrà Cùm ſunt diſpoſitiones ſuperantes valdè diſpoſitiones formæ veteris , materia non eſt proximè apta ad formam nouam : ergo nulla ſolutio.

Antecedens pr. Tunc materia non eſt proximè apta, cùm nō eſt in ipſa priuatio proxima; atqui cùm ſunt diſpoſitiones ſuperantes valdè diſpoſitiones formæ veteris, priuatio proxima nō eſt in materia: ergo cùm ſunt diſpoſitiones ſuperantes valdè diſpoſitiones formæ veteris, materia non eſt proximè apta ad formam nouam.

Minor pr. Cùm priuatio proxima eſt in materia principiat generationē; atqui cùm ſunt diſpoſitiones ſuperantes valdè diſpoſitiones formæ veteris in materia, priuatio non principiat: ergo cùm ſunt diſpoſitiones ſuperantes valdè diſpoſitiones formæ veteris , priuatio proxima non eſt in materia.

Minor pr. Cùm sunt dispositiones superantes valdè dispositiones formæ veteris, vel est forma noua , vel non est; atqui priuatio proxima non principiat,neque quando est forma,neque quando non est:ergo cùm sunt dispositiones superantes valdè dispositiones formæ veteris priuatio non principiat.

Respondeo *principiare quando non est forma, immediatè tamen pòst est extitura.*

Contrà. Quod principiat tantùm vt terminus à quo,non principiat quando non est forma, licèt immediatè pòst sit extitura; atqui priuatio principiat tantùm vt terminus à quo : ergo priuatio non principiat quando non est forma , licèt immediatè pòst sit extitura.

Maior pr. Quod principiat tantùm vt terminus à quo,principiat tantùm cùm deseritur ;atqui terminus à quo nõ deseritur quando non est forma:ergo quod principiat tantùm vt terminus à quo,non principiat quando non est forma , licèt immediatè pòst sit extitura.

Maior pr. Quod principiat tantùm vt terminus à quo principiat tantùm cùm verè est terminus à quo; atqui est tantùm terminus à quo cùm deseritur:ergo quod principiat tantùm vt terminus à quo , principiat tantùm cùm deseritur.

Solutio: *Quod principiat tantùm vt terminus à quo, principiat tãtùm cùm verè est terminus à quo, secundùm id , quod terminus à quo dicit pro materiali & in recto* Concedo. *secundum id,quod dicit pro formali & in obliquo*, Nego. *Terminus à quo dicit pro materiali & in recto illud,quod deseritur, aut desinit : pro formali verò, & in obliquo dereli-*

ctionem ipsam, aut desitionem. Iam ad minorẽ, atqui *est tantùm terminus à quo, cùm descritur, hoc est, existit tantùm illud termini à quo, quod dicit pro formali,* Concedo. *quod dicit pro materiali,* Nego. *Importat si quidẽ illud, quod deseritur, & cuius incipit esse desitio, cum qua, vt per se patet, consistere non potest; ac proinde clarum est verè dici posse esse terminum à quo etiam quando non deseritur, seu est eius derelictio, licèt non secundùm se totum, sed secundùm partem illam secundùm quam condistinguitur à derelictione altera sui parte, ratione cuius habet, vt dicatur terminus à quo. Derelictio enim, seu quod idem est, successio immediata termini oppositi habet se cum proportione, respectu eius, quod derelinquitur in toto successiue, ac vnio in permanente; sicut enim hac est ratio, qua facit, & id quo mediante forma, & subiectum constituunt totum, & dicuntur partes, illa informans, ista subiectum; ita derelictio, & successio immediata facit vt id quod derelinquitur dicatur terminus à quo, & id quod acquiritur, terminus ad quem; licèt ipsa neutrum ex illis sit, sed tantùm quid requisitum, vt illa sortiantur huiusmodi denominationem.*

Contrà. Quod principiat tantùm vt terminus à quo, principiat tantùm cùm est terminus à quo secundùm id, quod hic dicit pro formali: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Quod principiat tantùm vt terminus à quo, principiat tantùm, cùm est eius principiatum; atqui eius principiatum est tantùm, cum ipse est secundũ id, quod dicit pro formali; ergo quod principiat tantũ vt terminus à

quo, principiat tantùm, cùm est terminus à quo secundùm id, quod hic dicit pro formali.

Solutio: *Quod principiat tantùm vt terminus à quo principiat tantùm cùm est eius principiatum adæquatè sumptum, aut secundùm partem per quam completur*, Nego. *inadequatè sumptum, aut secundùm partem, à qua incipit*, Concedo. atqui *eius principiatum est tantùm, cùm est terminus à quo secundùm id, quod hic dicit pro formali, adæquatè sumptum, aut secundùm partem, per quam completur eius esse*, Concedo. *inadæquatè sumptum, aut secundùm partem, à qua incipit*, Nego. *secundùm enim hanc partem est, cùm non est derelictio, cùm qua componi non potest. Hoc tamen non impedit, quin ex ipso, & derelictione resultet concretum appellatum communiter terminus à quo: habemus enim multa concreta similia constituta ex partibus simul incompossibilibus, v. g. futurum possibile, antiquum &c. quæ dicunt vnum pro vno tempore, & alterum per idem nomen importatum pro diuerso. Primum, scilicet, futurum negat coëxistentiam cum instanti præsenti, affirmat verò illam pro futuro. Idem applicandum est aliis cum proportione. Ita etiam terminus à quo, importat pro vno tempore existentiam rei, & sequenti eius non existentiam, & quidem illam in recto; hanc verò in obliquo, quo ostenditur faciIè de illa dici posse, etiam antequam sit terminus ad quem, modò immediatè post hic sit futurus, quod sit terminus à quo. Ad veritatem enim propositionis accidentalis sufficit, vt quod dicit prædicatum in recto sit idem cum eo, quod dicit subiectum etiam in recto, quod totum verum est de*

priuatione, cui immediatè succedit forma, ac proinde generationis, seu mutationis ex ipsis constata, amba verò dicuntur principium, illa vt terminus à quo, & cùm nondum est completa, sed tantùm incipit, ista verò cùm est completa & perficitur.

Contrà. Quod principiat tantùm vt terminus à quo, non principiat cùm est suum principiatum inadæquatè sumptum, & secundùm partem secundùm quã incipit: ergo quod principiat vt terminus à quo, non principiat cùm est eius principiatum etiam inadæquatè sumptum.

Antecedens pr. Quod principiat tantùm vt terminus à quo, non principiat, cùm id, quod dicitur principiare non est; atqui cùm ipsius principiatum est tãtùm inadæquatè sumptum, non est: ergo quod principiat tantùm vt terminus à quo, non principiat, cùm ipsius principiatum est tantùm inadæquatè sumptum.

Solutio: *Quod principiat tantùm vt terminus à quo, non principiat cùm id, quod dicitur principiare non est neque adæquatè, neque inadæquatè,* Concedo. *adæquatè tantùm,* Nego. atqui *cùm ipsius principiatum est tantùm inadæquatè sumptum, non est adæquatè sumptum,* Concedo, *non est inadæquatè sumptum,* Nego.

In hoc differt res successiua à permanente, quòd esse istius, seu partes eius omnes sint totæ simul: illius verò esse, seu quæ illud constituunt non sibi coëxistant, sed vnum antecedat aliud, & cùm istud ponitur aliud debeat desinere, quo fit vt nunquam sit ipsius esse nisi vna pars, quæ si sit illa, quæ desinit dicitur terminus à quo: si

verò sit illa, quæ incipit habere esse, vocatur terminus ad quem. Per primam dicitur incipere esse, & esse inadæquatè, & per secundam consummari eius esse, & per illam esse adæquatè, per illud *adæquatè* intelligendo non simultatem omnium suarum partium, & earundem coexistentiam, vtpote impossibilem, sed aduentum, & positionem vltimæ post quam non supersit alia addenda.

Ex dictis inferes, priuationem esse alteram speciem negationis in genere, seu in communi sumptæ. Cùm hæc enim sit non existentia formæ in subiecto præsciadendo ab eo, quod sit in eo aptitudo ad illam recipiendam, vel non sit huiusmodi capacitas, non existentia formæ in subiecto importans illam aptitudinem constituit vnam speciem, quæ vocatur priuatio, & illa, quæ non importat huiusmodi aptitudinem dicitur negatio strictè sumpta.

Sectio VII.

An, & quid sit forma substantialis.

Conclusio Prima:

Datur forma substantialis in omnibus compositis physicis sublunaribus.

Aqua, ignis, homo, &c. sunt composita naturalia, sed in illis datur forma substantialis: ergo datur forma substantialis in omnibus

compositis physicis sublunaribus.

Minor pr. Debet dari causa aliqua effectuum, qui oriuntur ab aqua, igne, homine &c. atqui illa non potest esse alia, quàm forma substantialis illorum : ergo in illis datur forma substantialis.

Minor probatur de aqua.

Reparatio frigoris deperditi remoto agente extrinseco est effectus aquæ ; atqui reparationis illius non est alia causa, quàm forma substantialis : ergo causa effectuum, qui oriuntur ab aqua non est alia causa: quàm forma substantialis.

Minor pr. Alia quæ dici possunt causa illius reparationis frigoris, sunt vel intra aquam, vel extrà; atqui nihil ex illis, quę sunt extra aquam vel intra, excepta forma substantiali, potest dici causa illius reparationis frigoris : ergo non est alia causa reparationis frigoris in aqua, quàm forma substantialis.

Secunda pars minoris probatur primò.

Quæ possunt dici intra aquam esse causa illius reparationis frigoris, sunt materia aquæ, eius humiditas, frigus remanens ; & qualitas occulta ; atqui illa non sunt causa illius reparationis frigoris: ergo nihil ex illis quę sunt intra aquam potest dici causa illius reparationis.

Duæ primæ partes minoris probantur.

Illa non debent dici causa frigoris, quæ non expellunt calorem : atqui neque materia, neque humiditas expellunt calorem : ergo dici non possunt causa reparationis frigoris.

Minor pr. Quæ sunt indifferentia ad calorem, & frigus non expellunt calorem, vt introducant

frigus; atqui materia prima, & humiditas sunt indifferentia ad calorem, & frigus: ergo non expellunt calorem.

Minor pr. Illa, quæ naturaliter, & sine violentia coniunguntur modò cum calore, modò cum frigore, sunt indifferentia ad calorem, & frigus; atqui materia prima, & humiditas coniunguntur naturaliter, & sine violentia modò cum calore, & modò cum frigore: ergo sunt indifferentia ad calorem, & frigus.

Minor pr. Materia prima, & humiditas coniunguntur naturaliter in aqua cum frigore, & in aëre cum calore: ergo & modò cum frigore, & modò cum calore.

Tertia pars minoris argumenti superioris, scilicet frigus remanens non esse causam illius reparationis frigoris, probatur.

Frigus intra aquam, quod potest dici causa reparationis illius debet esse, vel remissum illud, quod manet in omnibus partibus, vel intensum valdè manens in aliqua eius particula; atqui non est neque primum, neque secundum: ergo non est frigus remanens intra aquam.

Secunda pars minoris probatur.

Quod non est dici non potest causa reparationis frigoris; atqui nullum est frigus intensum in aqua: ergo frigus intensum remanens in aliqua eius particula non est causa illius reparationis.

Minor pr. Frigus intensum esse non potest in aqua, simul cum calore intenso; atqui in tota aqua, & in omnibus eius partibus est calor intensus: ergo nullum est frigus intensum in aqua.

Minor pr. In illis omnibus partibus aquæ est calor intensus, quibus ignis fuit applicatus diutiùs; atqui ex suppositione ignis fuit applicatus diutiùs omnibus aquæ partibus; ergo in illis est calor intensus.

Prima pars minoris superioris argumenti, scilicet, neque etiam frigus remissum esse causam illius reparationis frigoris, probatur.

Illud non est causa reparationis frigoris, quod non potest expellere calorem; atqui frigus remissum non potest expellere calorem; ergo frigus remissum remanens non est causa reparationis frigoris.

Minor pr. Debilius non potest expellere fortius; atqui frigus remanens remissum, est debilius calore: ergo frigus remissum non potest expellere calorem.

Minor pr. Frigus remissum est quid debilius quàm sit calor valdè intensus; atqui calor aquæ calefactæ est valdè intensus & frigus remissum: ergo frigus eius remissum est debilius quàm sit calor, qui est in illa.

Quarta pars minoris argumenti superioris, scilicet qualitatem occultam non esse causam illius reparationis, probatur.

Causa reparationis frigoris, non est quid impossibile; atqui qualitas illa est quid impossibile: ergo non est causa reparationis frigoris.

Minor pr. Impossibile est, vt ista qualitas occulta nullum supponat sui principium, & radicem in aqua; atqui nullum supponit sui principium, & radicem in aqua: ergo est impossibilis.

Maior pr. Quod nullum ſupponit ſui principium, & radicem in aqua, eſt primum in illa; atqui impoſſibile eſt, vt iſta qualitas occulta ſit primum in aqua: ergo impoſſibile eſt, vt nullum ſupponat ſui principium, & radicem in aqua.

Minor pr. Quod eſt primum in aqua eſt verè ſubſtantia; atqui impoſſibile eſt, vt iſta qualitas ſit ſubſtantia: ergo impoſſibile eſt vt ſit primum in aqua.

Minor pr. Impoſſibile eſt vt accidens ſit ſubſtantia; atqui iſta qualitas eſt accidens: ergo impoſſibile eſt, vt iſta qualitas ſit ſubſtantia.

Prima pars argumenti ſuperioris, ſcilicet cauſam illius reparationis frigoris non eſſe aliquid, quod ſit extra aquam, probatur.

Quæ dici poſſunt ex iis quæ ſunt extra aquam cauſa reparationis frigoris in aqua, ſunt, vas cõtinens, aër circunſtans, Deus, & cœlum; atqui nullum horum dici poteſt cauſa reparationis frigoris in aqua: ergo nihil ex iis, quæ ſunt extra aquam dici poteſt cauſa reparationis frigoris in aqua.

Duæ primæ partes minoris de vaſe, & aëre, probantur.

Illud non poteſt dici cauſa reparationis frigoris in aqua, quod habet remiſſius frigus, quàm ſit illud, quod aqua recuperat; atqui vas continens, & aër circunſtans habent remiſſius frigus illo, quod aqua recuperat: ergo vas aquam continens, aut aër circunſtans non poſſunt dici cauſa reparationis illius.

Minor pr. Frigus, quod aqua recuperat eſt ferè ſummum, ſeu vt octo; atqui frigus vaſis con-

tinentis, & aëris circunstantis non est summum sed moderatum: ergo vas continens, & aër circunstans habent remissius frigus illo, quod aqua recuperat.

Tertia & quarta pars minoris argumenti superioris, scilicet neque Deum, neque cœlum esse causas reparationis frigoris, probantur.

Deus & cœlum sunt causæ vniuersales; atqui causæ vniuersales non sunt causa reparationis frigoris in aqua: ergo Deus, & cœlum non sunt causa reparationis frigoris in aqua.

Minor pr. Causæ vniuersales non sunt causa reparationis frigoris, nec vllius alterius effectus, nisi hoc exigant particulares; atqui sublata forma substantiali particulares non exigunt illam reparationem: ergo causæ vniuersales non sunt causa reparationis frigoris.

Minor pr. Particulares, quæ id possunt exigere, sunt materia, aut humiditas aquæ; atqui non exigunt illam reparationem: ergo sublata forma substantiali particulares non exigunt illam reparationem.

Minor pr. Particulares causæ non exigunt id, ad quod sunt indifferentes; atqui materia, & humiditas sunt indifferentes ad frigus ex probatis antè: ergo non exigunt reparationem frigoris.

CONCLVSIO SECVNDA:

Forma substantialis est substantia simplex & incompleta per modum actus constituens totum naturale.

ILLVD constituit totum naturale per modum

actus, quod est pars eius actuans; atqui omnis forma substantialis est pars actuans compositi naturalis: ergo cõstituit illud per modum actus.

Minor pr. Illa pars est actuans, quæ alteram præsupponit, & illi aduenit; sed forma substantialis præsupponit alteram partem compositi, & illi aduenit: ergo est eius pars actuans.

Minor pr. Materia est altera pars compositi naturalis; atqui forma substantialis præsupponit materiam, & illi aduenit: ergo & alteram compartem compositi naturalis.

SECTIO VIII.

An, quid, & quotuplex sit vnio inter materiam, & formam, ex qua fit compositum physicum,

CONCLVSIO PRIMA:

Datur vnio in composito physico.

COMPOSITVM physicum verè, & propriè habet vnionem: ergo in illo datur vnio.

Minor pr. Illud verè, & propriè habet vnionem, quod est verè vnum vnitate compositionis; atqui compositum physicum est verè vnum vnitate compositionis: ergo habet vnionem.

Maior pr. Illud verè habet vnionem, cuius partes ita se habent, vt quo defertur vna sequi quoque debeat alia; atqui quod est vnũ vnitate com-

compositionis habet suas partes ita se habentes: ergo illud habet vnionem, quod est vnum vnitate compositionis.

CONCLVSIO SECVNDA:

Vnio non est intima indistantia, & dispositiones in materia ad formam recipiendam.

ILLA non sunt idem, quorum vno existente non existit aliud; atqui existente intima indistantia formæ in materia habente dispositiones non existit eius vnio: ergo vnio non est intima indistantia, & dispositiones in materia ad formam recipiendam.

Vt faciliùs, & clariùs probetur minor, Suppono, *duos homines poni penetratiuè, Petrum v. g. & Paulum, & hoc posito sic argumentor:*

In suppositione facta existit indistantia formæ Petri, à materia Pauli benè disposita: atqui non existit eius vnio cum illa: ergo existente intima indistantia formæ in materia disposita non existit eius vnio.

Minor pr. Vnio formæ Petri non existit cum ea materia, cui vnita est forma Pauli; atqui forma Pauli vnita est cum materia Pauli: ergo non existit vnio formæ Petri cum illa.

Maior probatur. Materia Pauli vniri non potest simul duabus formis: ergo vnio formæ Petri non existit cum ea materia, cui vnita est forma Pauli.

Distinguunt aduersarij: *Materia Pauli vniri*

non potest simul duabus formis naturaliter, & in suppositione nihil inuoluente supernaturale, Concedunt. *inuoluente aliud supernaturale, quale est penetratio in præsenti materia*. Negant.

Contrà. Ex concessis esse non potest vnio materiæ dispositæ simul cum duabus formis in suppositione nihil inuoluente supernaturale; atqui in simili suppositione potest esse indistantia duarum formarum à materia ritè disposita: ergo indistantia formæ à matèria disposita non est eius vnio cum illa.

Ad certiorem probationem minoris, Suppono, *Petrum incumbere supra corpus Pauli morientis, & huius animam tendere ad cœlum permeando corpus Petri, & seruando similem vbicationem, & tam magnam, ac habeat in corpore Pauli æquali corpori Petri.*

Suppositio facta nihil inuoluit supernaturale: atqui in illa verè est indistantia duarum formarum à materia ritè disposita : ergo in suppositione nihil inuoluente supernaturale esse potest indistantia duarum formarum à materia ritè disposita.

Minor pr Formæ Petri, & Pauli sunt duæ formæ, & corpus Petri est materia ritè disposita respectu illarum formarum : atqui in suppositione facta est vera indistantia formæ Petri, & Pauli, à corpore Petri: ergo in suppositione facta est verè indistantia duarum formarum à materia ritè disposita.

Prima pars minoris est clara, & secunda pr.

Foma Pauli est indistans ab eo, quod penetrat; atqui penetrat corpus Petri vt supponimus : ergo est ab eo indistans.

CONCLVSIO TERTIA:

Vnio distinguitur modaliter à materia, & forma.

ILLVD distinguitur modaliter à materia, & forma, quod est essentialiter actualis informatio materiæ, & formæ, & quid ipsis realiter superadditum; atqui vnio est essentialiter actualis informatio materiæ, & formæ, & quid ipsis realiter superadditum: ergo distinguitur modaliter à materia & forma.

Prima pars minoris probatur.

Illud est essentialiter actualis informatio alterius, quod aduenit illi, & ne diuinitus quidem esse potest sine illo; atqui vnio aduenit materiæ, & formæ, & ne diuinitus quidem esse potest sine illis: ergo est essentialiter actualis informatio materiæ, & formæ.

Prima pars minoris probatur.

Materia & forma sunt illius subiectum: ergo aduenit illis.

Probabimus infrà antecedens conclusione quinta: & iam probatur secunda pars minoris prioris argumenti, scilicet, vnionem ne diuinitus quidem esse posse sine materia.

Vnio non potest esse etiam diuinitus sine iis, sine quibus desinit esse vnio; atqui non existentibus materia, & forma, & ipsa in illis, desinit esse vnio: ergo non potest esse etiam diuinitus sine materia, & forma.

Minor pr. Vnio materiæ, & formæ desinit esse earum vnio, cùm eas non vnit; atqui nō existen-

tibus materia, & forma, & ipsa in illis eas non vnit: ergo non existentibus materia, & forma, & ipsa in illis desinit esse vnio.

Minor pr. Ea, quæ non sunt, & in quibus non est vnio vniri nõ possunt: ergo nõ existentibus materia, & forma & vnione in illis, hæc eas nõ vnit.

Antecedens pr. Vnio est tantùm eorum, quæ sunt, & existunt, & in quibus ipsa est: ergo ea, quæ non sunt, & in quibus non est vnio vniri non possunt.

Secunda pars superioris argumenti, vnionem esse quid realiter superadditum materiæ, & formæ, probatur.

Quod est aliquid realiter præter materiam, & formam est illis realiter superadditum; atqui vnio est aliquid realiter præter materiam, & formam: ergo est aliquid realiter superadditum materiæ, & formæ.

Minor pr. Illud est aliquid præter materiam, & formam, quod non existit existentibus materia & forma; atqui vnio non existit existentibus materia & forma: ergo est aliquid realiter præter materiam, & formam.

Respondent aduersarij: Atqui *vnio non existit existentibus materia & forma seorsim sumptis*, Concedunt. *simul sumptis*, Negant.

Contrà. Vel materiam, & formam existere simul, est existere eodem tempore, vel eodem loco; atqui neutrum dici potest: ergo vnio non existit existentibus simul materia, & forma.

Respondent: *Materiam, & formam existere simul est esse eodem tempore, & loco.*

Contrà. Vel materiam, & formam esse in eo-

dem tempore, & in eodē loco, importat aliquid præter entitates materiæ, & formæ, vel non; atqui neutrum dici potest: ergo materiam & formam existere simul non est tantùm eas existere eodem loco, & tempore.

Respondent, *materiam, & formam esse in eodem tempore, & in eodem loco importare formam prout in materia, & deinde formam prout in materia significare, formam informare materiam, ac demum formam informare materiam, esse materiam, & formam simul sumpta.*

Contrà. Forma prout in materia, forma informans materiam, materia, & forma simul sũpta, & huiuscemodi alij termini vel important aliquid præter entitates materiæ, & formæ, vel nõ; si primũ illud aliquid vocatur à nobis vnio: ergo vnio est aliquid præter materiã, & formã. Si secundum: ergo existentibus materia, & forma existit forma simul cum materia, forma informans &c. atqui hoc est falsum: ergo falsum etiam est vnionem non esse aliquid præter materiam, & formam.

Minor pr. Existente anima hominis recens mortui, & eius corpore non existit eius anima simul cũ materia, informans materiam, &c. ergo falsum est existentibus materia, & forma, existere formam simul cum materia, formam informantem materiam &c.

Obijcies. Vnio non est quid distinctum realiter à materia, & forma: ergo vnio non est modus superadditus realiter materiæ, & formæ.

Antecedens probatur. Vnio est id, per quod materia, & forma vniuntur; atqui illud, per quod

vniuntur non est quid ab ipsis distinctum realiter: ergo vnio non est quid distinctum realiter à materia, & forma.

Minor probatur. Distinctum illud realiter, per quod materia & forma vniuntur, debet ipsum ipsi materiæ, & formæ vniri; atqui eis vniri non potest: ergo illud, per quod materia, & forma vniuntur, non est quid ab ipsis distinctum realiter.

Minor probatur. Distinctum illud realiter vniri non potest materiæ, & formæ, nisi vel per aliquid aliud distinctum ab ipso realiter, vel seipso; atqui eis vniri non potest per aliquid à se distinctum realiter, neque seipso: ergo eis vniri non potest.

Minor pr. Distinctum illud, quod dicitur vnio non magis potest vniri materiæ, & formæ per seipsum, quàm possit forma materiæ per seipsam; atqui forma non potest vniri materiæ per seipsam: ergo neque ipsis illud distinctum seipso.

Solutio: *Neganda est maior. Ratio est, quia materia, & forma possunt existere absque eo quòd sint vnita. Vnio verò non potest existere quin vniat, & consequenter vt vniatur non indiget alio quàm seipsa.*

Contrà. Tam forma vnitur immediatè materiæ, quàm vnio materiæ & formæ: ergo non magis vnio vnitur materiæ & formæ per seipsam, quàm forma materiæ.

Antecedens pr. Forma, & materia non vniuntur mediatè: ergo tam forma vnitur immediatè materiæ, quàm vnio materiæ & formæ.

Solutio : *Forma, & materia non vniuntur mediatè, hoc est, mediante aliquo distincto distinctione reali maiori*, Concedo. *distincto distinctione reali minori*, Nego.

Contrà. Potentia, & actus eius primarius ex Aristotele vniuntur omnino immediatè; atqui materia est potentia, & forma est actus eius primarius: ergo vniuntur nullo mediante distincto etiam distinctione reali minori.

Solutio: *Potentia, & actus vniuntur immediatè, vt quod*, Concedo. *vt quo*, Nego. ergo *vniuntur nullo mediante, vt quod*, Concedo. *vt quo*, Nego. *hoc est, nihil aliud mediat inter materiam, & formam vnitas, quàm id, quod illas vnit, & est ratio, cur vniantur, scilicet vnio, qua proinde benè dicitur mediare inter illas, vt quo, seu tanquam id, quo vniuntur, non verò vt quod, hoc est, tanquam aliquid quod non sit ipsamet earum coniunctio.*

CONCLVSIO QVARTA:
Vnica tantùm est vnio informatiua.

VNICA tantùm sufficit vnio inter materiam & formam: ergo vnica tantũ est vnio informatiua.

Antecedens pr. Vnio non requiritur ad aliud, quã vt materia, & forma inter se connectantur; atqui ad hoc vnica vnio sufficit: ergo vnica tantùm sufficit vnio inter materiam, & formam.

Minor pr. Vt materia, & forma inter se coniungãtur, & verè dici possint connexæ, non aliud requiritur, quã vt, quò vna trahitur, alia debeat sequi; atqui cùm est vnica vnio, quò vna trahitur alia debet sequi: ergo ad hoc vt connectantur vnica vnio sufficit.

Minor pr. Cùm est vinculum inter duo, quò vnum trahitur, aliud debet sequi; atqui vnio est vinculum materiæ, & formæ : ergo quò vna trahitur alia debet sequi.

Obijcies. Vnica vnio nō sufficit ad vniendā formam cum materia : ergo admittēda est duplex.

Antecedens pr. Vnio est id, per quod refertur forma ad materiam, & vicissim materia ad formam; atqui ad hoc vnica vnio non sufficit: ergo vnica vnio non sufficit ad vniendam materiam cum forma.

Minor pr Materia non potest referri ad formam per id, per quod forma refertur ad ipsam: ergo ad hoc non sufficit vnica vnio.

Antecedens pr. Id, per quod materia refertur ad formam distinguitur ab eo, per quod forma refertur ad materiam : ergo materia non potest referri ad formam per id, per quod forma ad ipsam refertur.

Antecedens pr. Materialisatio, & informatio realiter distinguuntur; atqui id, per quod materia refertur ad formam vnitam est materialisatio, & id, per quod forma vnita refertur ad materiam est informatio : ergo id, per quod materia refertur ad formam distinguitur ab eo, per quod forma refertur ad materiam.

Solutio : *Neganda est maior, & ratio est quia materialisatio nihil aliud est, quàm vnio prout recipitur in materia, & se tenet ex parte illius. Informatio verò est eadem vnio, prout recepta in forma, & se tenens ex parte illius, quod nihil aliud arguit, quàm distinctionem rationis, & diuersitatem conceptuum diuersimodè vnionem comparantium & repræsentantium.*

CONCLVSIO QVINTA:
Vnio recipitur subiectiuè in materia, & forma.

IN illis vnio recipitur subiectiuè, quæ sunt ipsius subiectum; sed materia, & forma sunt subiectum vnionis: ergo vnio recipitur subiectiuè in materia, & forma.

Minor pr. Illud est subiectum vnionis, quod præsupponitur ab ipsa, & cui ipsa aduenit; atqui vnio præsupponit materiam, & formam, & illis aduenit: ergo materia, & forma sunt subiectum vnionis.

Minor pr. Vnio præsupponit, & aduenit illis, quæ vnit, & quorum est vinculum; atqui vnit materiam, & formam, & est vinculum ipsarum: ergo eas præsupponit, & illis aduenit.

Obijcies. Materia, & forma non sunt subiectum vnionis: ergo vnio non recipitur subiectiuè in materia, & forma.

Antecedens pr. Illud non est subiectum vnionis, quod non est illius causa; atqui materia, & forma non sunt causa vnionis: ergo non sunt illius subiectum.

Minor pr. Vnio non habet duplicem causam subiectiuam; atqui materia, & forma sunt duplex causa subiectiua: ergo materia, & forma non sunt causa vnionis.

Solutio: *Vnio non habet duplicem causam subiectiuam totalem*, Concedo. *partialem*, Nego. atqui *materia & forma sunt duplex causa subiectiua totalis*, Nego. *partialis*, Concedo.

Contrà, Corpus humanũ, & anima rationalis

sunt materia & forma; atqui anima rationalis, & corpus in homine non sunt duplex causa partialis vnionis hominis: ergo materia, & forma nõ sũt duplex causa subiectiua partialis vnionis.

Minor pr. Vnio, quæ habet pro causa subiectiua etiam partiali corpus, & animam rationalem est materialis simul, & spiritalis; atqui vnio hominis non est materialis simul, & spiritalis: ergo corpus, & anima rationalis, non sunt eius causa subiectiua partialis.

Respondeo *esse materialem tantùm.*

Contrà. Illa vnio non est materialis, quæ est spiritalis; atqui vnio, quæ recipitur in corpore, & anima hominis est spiritalis: ergo non est materialis.

Minor pr. Illa vnio est spiritalis, quæ recipitur in subiecto spiritali; atqui vnio, quæ habet pro causa subiectiua corpus, & animã rationalẽ, recipitur in subiecto spiritali: ergo vnio quę recipitur in corpore & anima hominis est spiritalis.

Solutio: *Illa vnio est spiritalis, quæ recipitur in subiecto adæquatè spiritali,* Concedo. *in subiecto inadæquatè spiritali*, Nego. atqui *vnio quæ habet pro causa subiectiua corpus, & animam rationalem recipitur in subiecto adæquatè spiritali,* Nego. *inadæquatè spiritali*, Concedo.

Contrà. Subiectum inadæquatè spiritale sufficit ad hoc, vt vnio sit spiritalis: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Non minùs causa subiectiua partialiter spiritalis sufficit, vt eius effectus sit totus spiritalis, quàm causa efficiens partialiter supernaturalis, vt eius effect⁹ sit supernaturalis;

atqui causa efficiens ex parte tantùm supernaturalis sufficit, vt totus effectus sit supernaturalis: ergo etiam causa subiectiua ex parte spiritalis, sufficit, vt eius effectus sit spiritalis.

Maior pr. Par est ratio vtriusque: ergo non minùs causa subiectiua partialiter spiritalis sufficit vt eius effectus sit totus spiritalis, quàm causa efficiens partialiter supernaturalis vt eius effectus sit totus supernaturalis.

Respondeo *negando antecedens. Disparitas est, quia effectus ille est supernaturalis, qui vt sit, requirit causam supernaturalem aliquam, per hoc enim est supra vires totius naturæ. Effectus verò, vt sit spiritalis nullam debet habere dependentiam à re materiali, quod certè illi non conuenit, cùm habet tantùm partiale suum subiectum spiritale, ratione enim alterius sui partialis subiecti materialis verum est, quòd dependeat à re materiali, & consequenter, quòd non sit spiritalis.*

SECTIO IX.

Quomodo totum physicum includat partes, & ab illis distinguatur.

CONCLVSIO PRIMA:

Totum physicum includit essentialiter materiam.

ILLVD est de essentia totius physici, seu includitur ab eo essentialiter quod est illius pars; atqui materia est pars compositi physici;

ergo totum physicum includit essentialiter materiam.

Minor pr. Illud est pars alterius, quo sublato manentibus licèt reliquis omnibus per possibile, vel impossibile non manet illud; atqui materia sublata remanentibus licèt reliquis omnibus non manet compositum physicum: ergo materia est pars compositi physici.

Minor pr. Sublata materia manet sola forma solitariè sumpta; atqui sola forma solitariè sumpta non est totum compositum physicum: ergo materia sublata remanentibus licèt reliquis omnibus non manet compositum physicum.

Minor pr. Anima est forma hominis, & homo compositum physicum; sed anima non est totus homo: ergo sola forma solitariè sumpta non est totum compositum physicum.

Obijcies. Materia non est de essentia illius, cuius essentia est posita in indiuisibili; atqui essentia compositi physici est posita in indiuisibili: ergo materia non est de illius essentia.

Solutio: *Materia non est de essentia illius, cuius essentia est posita in indiuisibili, hoc est, cuius essentia non habet partes,* Concedo. *cuius essentia nihil addi potest, aut detrahi quin varietur,* Nego. atqui *essentia compositi physici est posita in indiuisibili, hoc est, non habet partes,* Nego. *hoc est nihil ei addi potest, aut detrahi quin varietur,* Concedo.

Contrà. Partes illæ essentiæ compositi physici non possunt esse aliæ à materia, & forma; atqui materia non est illius pars: ergo essentia compositi physici non habet partes.

Minor pr. Homo est compositum physicum: atqui materia non est pars illius: ergo non est pars compositi physici.

Minor pr. Illud non est pars hominis, quo sublato manet homo; atqui sublata materia manet homo: ergo materia non est pars hominis.

Minor pr. Petrus est homo; atqui sublata materia Petri manet Petrus, ergo sublata materia manet homo.

Minor pr. Quotidie tollitur materia Petri ab ipso; atqui ipse nihilominus manet: ergo sublata materia Petri manet Petrus.

Solutio: Atqui *ipse manet idem physicè, & in rigore*, Nego. *manet idem æquivalenter, & moraliter*, Concedo.

Contrà. Petrus talis manet, qualem eum esse censet communis sensus; atqui communis sensus dicit eum esse eumdem physicè: ergo Petrus manet idem physicè.

Minor pr. Communis sensus eo modo dicit eum esse eumdem, quo credit eum resurrecturum eumdem; atqui credit eum resurrecturum eumdem physicè: ergo dicit etiam eum esse eumdem physicè.

Minor pr. Communis sensus eo modo credit eum resurrecturum eumdem, quo fides docet; atqui fides docet eum resurrecturum eumdem physicè: ergo credit eum resurrecturum eumdem physice.

Solutio: Atqui *fides docet eum resurrecturum eumdem physicè, secundùm omnes partes*, Nego. *secundùm aliquas*, Concedo. ergo *credit eum resurrecturum eumdem physicè, secundùm omnes*

partes, Nego. *ſecundùm aliquas*, Concedo.

Contrà. Eo modo fides docet eum reſurrecturum, qui eſt neceſſarius, vt poſſit dicere carnem, quàm habet eſſe ſuam; atqui vt poſſit dicere cùm reſurrexerit carnem, quam habet eſſe ſuam iuxta illud Iob 19. *In carne mea videbo Deum Saluatorem meum*, debet reſurgere idem ſecundùm omnes partes: ergo fides dicit eum reſurrecturum eundem ſecundùm omnes partes.

Solutio: *Neganda eſt minor. Ratio eſt, quia vt caro Petri poſſit dici eadem, ſufficit, vt ſit eadem in rigore ſecundùm aliquas partes, & æquiualenter ſecundùm alias, ſenſim tamen, & imperceptibiliter mutatas, neque enim alia ſignificatur identitas per illa verba Iob, vt docent paſſim Theologi.*

CONCLVSIO SECVNDA:

Totum diſtinguitur realiter inadæquatè à partibus ſeorſim ſumptis.

QVOD non eſt omnino idem realiter cum alio, diſtinguitur ab illo realiter inadæquatè; atqui totum non eſt omnino idem cum partibus ſeorſim ſumptis: ergo diſtinguitur realiter inadæquatè à partibus ſeorſim ſumptis.

Minor pr. Quod eſt quidquid aliud, & præterea aliquid amplius non eſt omnino idem cũ illo; atqui totum eſt quidquid ſunt partes ſeorſim ſumptæ, & præterea aliquid aliud: ergo nõ eſt omnino idem cum partibus ſeorſim ſumptis.

Minor pr. Homo eſt totũ, & partes eius ſeorſim

sumptæ sunt anima, & corpus ; atqui homo est quidquid anima, & quidquid corpus, & præterea aliquid aliud : ergo totum est quidquid sunt partes seorsim sũptæ, & præterea aliquid aliud.

Minor pr. Quod includit animam, & præterea corpus, & vnionem vtriusque est quidquid anima, quidquid corpus, & præterea aliquid aliud ; atqui homo includit præter animam, & corpus vtriusque vnionem : ergo homo est quidquid anima, & quidquid corpus, & præterea aliquid aliud.

CONCLVSIO TERTIA:

Totum non distinguitur realiter à partibus simul sumptis, & vnitis.

QVOD est realiter quidquid aliud, & nihil ampliùs, non distinguitur realiter ab eo; atqui totum est realiter quidquid partes simul sumptæ, & vnitæ, & nihil ampliùs : ergo totum non distinguitur à partibus simul sumptis & vnitis.

Prima pars minoris est clara, & secunda probatur:

Totum nihil aliud includit præter partes, & earum vnionem : ergo nihil est amplius.

Antecedens pr. Vel illud aliud, quod dicitur includere est ipsius pars, vel non ; atqui neutrum dici potest : ergo totum nihil aliud includit præter partes.

Si respondeant aduersarij *esse partem.*

Contrà. Illud non potest esse pars totius, quod nõ numeratur in collectione partium ipsius; at-

qui istud ex aduersariis non numeratur in collectione partium ipsius : ergo non est pars.

Si verò respondeant *non esse partem*.

Contrà. Illud debet dici pars, quod est aliquid totius; atqui istud est aliquid totius per ipsos: ergo debet dici pars.

Antecedens pr. Esse partem alicuius, & esse aliquid ipsius esse sunt idem: ergo illud debet dici pars totius, quod est aliquid illius.

Obiicies. Effectus distinguitur realiter à sua causa; atqui totum est effectus partium simul sumptarum, & vnitarum: ergo totum distinguitur ab ipsis simul sumptis, & vnitis.

Solutio : *Effectus distinguitur realiter à sua causa vera, & propria*, Concedo. *impropria*, Nego. atqui *totum est effectus partium simul sumptarum, & vnitarum, & ista eius causa propria*, Nego. *impropria*, Concedo.

Contrà. Illud, quod nihil est alterius, & est eius causa, est eius propria causa : atqui totum nihil est partium, & est earum effectus : ergo partes sunt eius causa propria.

Prima pars minoris probatur,

Illa quibus conueniunt prædicata contradictoria, ita se habent vt vnum nihil sit alterius: atqui partibus, & toti conueniunt prædicata contradictoria: ergo totum nihil est partium.

Minor pr. Esse terminum actionis simplicis, & non esse terminum actionis simplicis, sunt prædicata contradictoria : atqui totum est terminus actionis simplicis, partes verò non : ergo partibus, & toti conueniunt prædicata contradictoria.

Prima pars minoris probatur.

Totum est terminus generationis; atqui generatio est simplex actio: ergo totum est terminus actionis simplicis.

Solutio: *Totum est terminus generationis, vt quod*, Concedo. *vt quo*, Nego. ergo *est terminus actionis simplicis, vt quod*, Concedo. *vt quo*, Nego.

Contrà. Terminus vt quo generationis non potest esse nisi vnio, vel compositum; atqui non est vnio: ergo debet esse compositum.

Minor pr. Terminus etiam vt quo generationis debet esse substātia; atqui vnio non est substantia: ergo terminus vt quo non est vnio.

Minor pr. Vnio, vel est substantia simplex, vel composita; atqui neutrum dici potest: ergo vnio non est substantia.

Minoris prima pars probatur.

Quod est terminus actionis, per quam fit compositum non est substantia simplex; atqui vnio est terminus actionis, per quam fit compositum: ergo non est substantia simplex.

Solutio: *Quod est terminus vt quo actionis, per quam fit compositum, non est substantia simplex*, Nego. *quod est terminus vt quod*, Concedo. Atqui *vnio est terminus vt quo huiusmodi actionis*, Concedo. *terminus vt quod*, Nego.

Contrà. Terminus vt quod actionis, per quam fit compositum est substātia simplex: ergo falsum est terminum actionis vt quod, per quā fit compositum, non esse substantiam simplicem.

Antecedens pr. Quod est vna substantia est substantia simplex; atqui terminus vt quod

actionis, per quam fit compositum est vna substantia : ergo & substantia simplex.

Solutio : *Quod est vna substantia vnitate simplicitatis est substantia simplex*, Concedo. *vnitate tantùm compositionis*, Nego. atqui *terminus vt quod actionis, per quam fit compositum, est vna substantia vnitate simplicitatis*, Nego. *vnitate compositionis*, Concedo.

Contrà. Quod est verè vna substantia, verè est vna vnitate simplicitatis; atqui terminus vt quod, est verè vna substantia : ergo & vna vnitate simplicitatis.


Maior pr. Quod est multæ substantiæ, non potest dici verè, & propriè vna substantia; atqui substantia, quæ est tantùm vna vnitate compositionis est multæ substantiæ : ergo quod est verè vna substãtia est vna vnitate simplicitatis.

Solutio : *Quod est multa substantia composita, non est vna substantia composita*, Concedo. *quod est substantia multa simplices constituentes vnam totalem*, Nego. Atqui *substantia quæ est tantùm vna vnitate compositionis, est multa substantia composita*, Nego. *multa substantia simplices*, Concedo.

Ex dictis inferes primò, quæ diximus de distinctione totius substantialis, esse applicanda cum proportione aliis totis, siue accidentalibus, siue integrantibus, siue per aggregationem, siue aliis quibuscumque tandem. Hæc enim omnia distinguuntur à suis partibus seorsim sumptis, non verò ab illis simul sumptis, & coniunctis ea coniũctione, quæ est ipsis propria.

Secundò; illud esse discrimen inter partes to-

tius integrantis, & totius substantialis, seu essentialis, quòd illarum aliqua sublata maneat similis substantia, & essentia, ac radix eorumdem effectuum, qui censebantur proprij toti, quod constituunt. Pereunte verò vel minima ex illis, ex quibus consurgit totum essentiale, similis essentia non maneat, & pereat radix proprietatum illius compositi. In exemplo res hæc clara erit. Manus, & pes sunt partes integrantes hominis, & corpus, & anima essentiales, quia, scilicet, quacumque ex illis primis dempta homo non desinit esse radix, & principium vegetandi, sentiendi, & intelligendi; quæ sunt operationes propriæ ipsius: sublata verò anima, vel corpore deest hoc ipso in illo composito, vis efficiendi operationes proprias hominis.






TRACTATVS II.

DE CAVSIS.



Es Naturales præter principia intrinſeca, ex quibus conſtant, habent alia extrinſeca, de quibus plurima agitanda ſunt nobis ſequentibus diſputationibus.



DISPVTATIO I.

De Natura.



ENOMINATIO naturalis, quæ tribuitur compoſito ſubſtantiali, cùm petatur à natura, hujus explanatio non longiùs differenda viſa eſt.

Sectio Vnica:

Quid sit Natura, & quibus conueniat eius definitio.

Prima Conclvsio:

Sola Natura est principium, & causa motus, & quietis eius, in quo est primò, & per se, & non secundùm accidens.

PRima pars conclusionis, quòd natura sit pars primò constitutiua compositi naturalis, & principium effectiuum, aut receptiuum motus eius, aut quietis facilè intelligetur, tum ex solutione obiectionis infrà ponendæ, tum ex iis, quæ conclusione secunda dicemus.

Et secunda pars, quòd nihil aliud sit principium, & causa motus, &c. pr.

Alia à natura, quæ dici possent principium, & causa motus, & quietis eius, in quo est primò, & per se, & non secundùm accidens, sunt priuatio, composita substantialia, naturæ substantiales sumptæ sine subsistentia, & qualitates aliquæ; atqui de nullo horum hoc verè dici potest: ergo nihil aliud à natura est principium, & causa motus, & quietis eius, in quo est primò, & per se, & non secundùm accidens.

Minor pr. Illud non potest dici verè principium, & causa motus, & quietis eius, in quo est

primò; & per se, & non secundùm accidens; quod non est pars primò constitutiua compositi substantialis, & principium effectiuum, aut receptiuum motus, aut quietis ipsius: atqui priuatio, composita substantialia, naturæ substantiales sumptæ sine subsistentia, & qualitates non sunt pars primò constitutiua compositi substãtialis, & principium effectiuum, aut receptiuum ipsius motus: ergo de nullo ipsorum verè dici potest; quod sit principium, & causa motus, & quietis eius, in quo est primò, & per se, & non secundùm accidens.

Minor pr. Quod est quid negatiuum, aut accidens, aut suppones aliam sui partem priorem, aut totum ipsum substantiale, non est pars primò constitutiua compositi substantialis, & principium effectiuum, & receptiuum motus ipsius, & quietis; atqui priuatio est quid negatiuum, qualitates sunt accidentia, naturæ substantiales sumptæ sine subsistentia habent alia m sui priorem partem, & composita substantialia sunt totum ipsum substantiale: ergo priuatio, qualitates, naturæ substantiales sumptæ sine subsistẽtia, & composita substantialia, non sunt pars primò constitutiua compositi substantialis, & principium effectiuum, aut receptiuum motus ipsius, & quietis.

Tertia pars minoris de qua sola videtur posse dubitari, probatur.

Quod constituitur ex partibus, supponit, & habet priorem vnamquamque ex suis partibus; atqui naturæ substantiales constituuntur ex partibus: ergo supponunt aliam sui priorem partem.

Minor pr. Materia, & forma sunt earum partes, ergo constituuntur ex partibus.

Obiicies. Natura non est principium: & causa motus, & quietis compositi substantialis: ergo nec eius, in quo est primò, & per se, & non secundùm accidens.

Antecedens pr. Natura est aliquid intrinsecum composito naturali; atqui principium motus compositi naturalis non est illi intrinsecum: ergo natura non est principium, & causa motus, & quietis eius, in quo est primò, & per se, & non secundùm accidens.

Minor pr. Quod est aliud à composito naturali nō est illi intrinsecum; atqui principium motus compositi naturalis est aliud ab ipso: ergo non est illi intrinsecum.

Minor pr. Principium motus compositi naturalis est illud, à quo mouetur: sed illud, à quo mouetur est aliud ab ipso: ergo principium motus compositi naturalis est aliud ab ipso.

Minor pr. Compositum naturale est vnum ex illis, quæ mouentur; atqui omne, quod mouetur ex Aristotele mouetur ab alio: ergo illud, à quo mouetur compositum naturale est aliud ab ipso.

Solutio: *Omne, quod mouetur ex Aristotele mouetur ab alio tanquam à motore vniuersali, & partiali,* Concedo. *tanquam à motore particulari aut totali,* Nego. *hoc est, Deus est principium omnis motus illius compositi naturalis; sed tanquam causa vniuersalis, & partialis, cum quo bene stat naturam esse principium partiale illius, vnde ad consequens;* ergo *illud, à quo tanquam*

à motore vniuersali, & partiali, mouetur cōpositum naturale est aliud ab ipso, Concedo. *tanquam à motore particulari, aut totali*, Nego.

Contrà. Omne quod mouetur, mouetur ab alio, vt à principio particulari: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Quæ mouentur sunt grauia, aut non grauia, & leuia: atqui & illa, & hæc mouentur ab alio, vt à principio particulari; ergo omne quod mouetur, mouetur ab alio, vt à principio particulari.

Prima pars minoris probatur.

Generans grauium, & leuium est aliud ab ipsis: atqui mouentur ab ipso ex Aristotele, vt à principio particulari: ergo grauia, & leuia mouentur à principio particulari.

Solutio: Atqui *mouentur ab ipso, vt à principio particulari proximè*, Nego. *remotè*, Concedo. ergo. *grauia, & leuia mouentur ab alio proximè*, Nego. *remotè*, Concedo. *Sensus est, generans non mouere per se immediatè grauia, & leuia: potuit enim perijsse cùm ista mouentur, sed mediatè, quatenus scilicet dedit eis per actionem ipsorum productiuam, vim effectiuam proprij motus.*

CONCLVSIO SECVNDA:

Definitio naturæ conuenit materiæ, & formæ substantiali.

DEFINITIO naturæ conuenit omni ei, quod est principium, & causa motus: & quietis eius, in quo est primò, & per se, & non secundùm accidens;

cidens; atqui materia, & forma ſunt principium, & cauſa motus, & quietis eius, in quo ſunt primò, & per ſe, & non ſecundùm accidens: ergo definitio naturæ conuenit materiæ, & formæ ſubſtantiali.

Minor pr Illud eſt principium, & cauſa motus, & quietis, &c. quod eſt pars primò conſtitutiua compoſiti naturalis, & principium actiuum, vel paſſiuum motus, & quietis ipſius; atqui materia, & forma ſunt partes primò conſtitutiuæ compoſiti naturalis, & principium actiuum, vel paſſiuum motus, & quietis ipſius: ergo materia, & forma ſunt principium, & cauſa motus, & quietis eius, in quo ſunt primò, & per ſe, & non ſecundùm accidens.

Prima pars minoris certa eſt ex dictis diſputationibus præcedentibus, & ſecunda probatur.

Quod efficit, vel recipit motum, & quietem compoſiti eſt principium actiuum, vel receptiuum motus, & quietis ipſius; atqui materia, & forma efficiunt, vel recipiunt motum, & quietem compoſiti naturalis: ergo ſunt principium actiuum, vel paſſiuum motus, & quietis ipſius.

Obiicies. Materia eſt natura tantùm extrinſecè ex Ariſtotele: ergo definitio naturæ non conuenit illi.

Solutio: *Materia ex Ariſtotele, eſt tantùm natura extrinſecè, hoc eſt, non eſt natura tam nobilis, ac forma.* Concedo. *nõ eſt verè natura,* Nego.

Contrà. Illud non eſt verè natura, quod non eſt verè principium motus, & quietis; atqui materia non eſt verè principium motus, & quietis: ergo non eſt verè natura.

Minor pr. Illud non eſt verè principium motus, & quietis, quod eſt tantùm principiũ paſſiuum illius: atqui materia eſt tantùm principiũ paſſiuum motus, & quietis: ergo materia non eſt verè principium motus, & quietis.

Maior pr. Artificialia ſunt principium paſſiuum motus, & quietis: atqui illa ex Ariſtotele, non ſunt verè principium motus, & quietis: ergo quod eſt tantùm principium paſſiuum motus, non eſt verè principium illius.

Solutio: *Artificialia ſunt principium paſſiuum motus, quà artificialia*. Nego. *quà lapidea, aut lignea*, &c. Concedo. atqui *illa ex Ariſtotele non ſunt verè principium motus, quà artificialia,* Concedo. *quà lapidea, lignea*, &c. Nego.

Contrà. Quod eſt tantùm principium paſſiuum motus, non eſt verè principium motus procedentis à natura: ergo nulla ſolutio.

Antecedens pr. Illud non poteſt dici principium motus procedentis à natura, cuius motus non eſt naturalis: atqui motus, qui eſt tantùm à principio paſſiuo non eſt naturalis: ergo quod eſt tantùm principium paſſiuum motus, non eſt verè principium motus procedentis à natura.

Minor pr. Motus caloris in aqua eſt à principio paſſiuo; atqui ille motus non eſt naturalis: ergo motus, qui eſt tantùm à principio paſſiuo, non eſt naturalis.

Solutio: Atqui *ille motus non eſt naturalis abſolutè,* Concedo. *ſecundùm quid,* Nego. ergo *motus, qui eſt tantùm à principio paſſiuo, non eſt naturalis abſolutè.* Concedo. *ſecundùm quid,* Nego.

Contrà. Motus, qui eſt à natura debet eſſe ab-

ſolutè naturalis; atqui qui eſt tantùm à principio paſſiuo ex conceſſis, eſt à natura: ergo eſt abſolutè naturalis.

Solutio: *Motus, qui eſt à natura, hoc eſt, ſecundùm inclinationem compoſiti eſt abſolutè naturalis,* Concedo. *hoc eſt, qui ſubiectatur in altera parte compoſiti, & eſt contra inclinationem alterius partis, quæ eſt in illo præcipua,* Nego. atqui *qui eſt tantùm à principio paſſiuo eſt à natura, hoc eſt, ſecundùm inclinationem, ſeu natiuam propenſionem compoſiti,* Nego. *hoc eſt, ſubiectatur in altera eius parte minùs præcipua,* Concedo. *Naturalitas motus attenditur maximè circa formam; quippe quæ ſit præcipua pars compoſiti ipſum denominans, & in ipſo radix omnium, quæ ſunt ipſius propria, & non conueniunt alijs: ſi enim haberetur ratio materiæ, nullus motus diceretur violentus. Materia enim ſecundùm ſe indifferens eſt ad omnem, & nullum planè habet repugnantem.*

Conclvsio Tertia:

Ars efficere poteſt verum aurum.

Qvod poteſt inducere in materiam diſpoſitiones ad formã auri, poteſt efficere aurum; atqui ars poteſt inducere diſpoſitiones in materiam ad formam auri: ergo efficere poteſt aurum.

Minor pr. Non difficilius eſt, ſecluſa ſpeciali Dei prouidẽtia, inducere diſpoſitiones in materiam ad formam auri, quàm ad formam viuentium; atqui ars inducere poteſt diſpoſitiones ad multas formas viuentium: ergo etiam poteſt in-

ducere dispositiones in materiã ad formã auri.

Minor pr. Illud potest inducere dispositiones in materiam, ad multas formas viuentium, quod de facto illas inducit; atqui ars de facto inducit dispositiones in materiam ad formas viuentium: ergo ars inducere potest dispositiones in materiam, ad multas formas viuentium.

Minor pr. Formæ pullorum, & apum sunt formæ viuentium; atqui ars inducit de facto dispositiones in materiam ad istas formas: ergo & ad formas viuentium.

Minor pr. De facto istæ formæ producuntur per artem: ergo ars de facto inducit dispositiones in materiam ad istas formas.

Antecedens pr. Pulli educuntur ex ouis temperato calore per artem illis applicato: ergo de facto istæ formæ producuntur per artem.

Obijcies. Quod nunquam factum est fieri non potest; atqui nunquam ars effecit verum aurum: ergo ars efficere non potest verum aurum.

Respondeo, *falsitatem minoris patere experientiis illis chimistarum, quibus aliquid auri quidem fit, sed non tanti pretij, quanti sunt expensæ factæ.*

Contrà. Impossibile est non modò, vt magna vis auri fiat per artem, sed nec parua: ergo ars nunquam effecit verum aurum.

Antecedens pr. Ars nihil aliud est, quàm cognitio v. g. quam homo, vel Angelus habet de modo faciendi aurum; atqui impossibile est non modò vt magna vis auri fiat per illã cognitionẽ, sed nec parua: ergo impossibile est nõ modò vt magna vis auri fiat per artem, sed nec parua.

Minor pr. Cognitio quam habet homo, vel Angelus de methodo faciendi aurum est accidens spiritale, & aurum substantia materialis; atqui impossibile est, vt per accidens spiritale fiat substantia materialis : ergo impossibile est, vt fiat non modò magna vis auri per illam cognitionem, sed nec parua.

Solutio : Atqui *impossibile est, vt per accidens spiritale fiat substantia materialis efficientia physica orta immediatè ab illo, & terminata ad istud,* Concedo. *efficientia mediata, & per virtutem alterius agentis quod applicat,* Nego. ergo *impossibile est, vt per illam cognitionem, vel parua vis auri fiat efficientia orta immediatè ab illa cognitione,* Concedo. *mediata, & prodeunte ab altero agente, cuius cognitio curat applicationem* Nego. *Cùm enim non desint agentia, quæ contineant eminenter formam auri, vel seorsim sumpta, vel simul, aut certè dispositiones ad illam, cognitio Angelica quæ hoc non ignorat, potest excitare volitionem consequentem, ad quam fiat applicatio illorum agentium, & illa applicatione facta producatur verum aurum.*

Contrà. Dæmones quantumuis rogati à magis, quos hac ratione facile esset ditare, non faciunt applicationem huiusmodi agentium: ergo Angeli non possunt illam facere.

Solutio : *Dæmones quantumuis rogati à magis, non faciunt applicationem huiusmodi agentium propter specialem Dei prouidentiam quæ id eis non permittit, cuius si haberent potestatem infinitas animas perderent,* Concedo. *si non esset specialis illa prouidentia,* Nego.

Contrà. Nullum est fundamentum recurrendi ad specialem illam Dei prouidentiam: ergo dæmones non abstinent ab applicatione huiusmodi agentium, propter specialem Dei prouidentiam, ne illaqueentur infinitæ animæ.

Respondeo, *fundamentum illud esse, quod propter similem finem Deus non permittat dæmonibus, quod in ipsorum esse potestate omnes concedunt, scilicet, extractos è mari, aut alijs locis, in quibus latent thesauri, illos dare magis aut alijs, qui se illis deuouent, quos vt plurimùm egestate potiùs, quàm diuitiis onustos fuisse, & esse nouimus.*

DISPVTATIO II.

De Causis in communi.



CAVSÆ habent quædam, quæ illis omnibus sunt communia, aut saltem pluribus, & alia quæ ita vnius sunt propria, vt alijs nullo modo conueniant. Prima illa communia examinabimus ista disputatione, & sequentibus, quæ sunt propria vniuscuiusque.

SECTIO PRIMA

Quid sit causa, ratio causandi, & causalitas.

DVO in omni re, quæ dicitur causa maximè attendi debent: primũ est id, per quod sit potens causare, & dicitur ratio causandi; & secundum illud, per quod actu causat, & reducit suam illam potentiam ad actum. De vtroque explicata causa dicemus quid sint.

CONCLVSIO PRIMA:

Causa bene definitur principium per se influens esse in aliud.

ILLVD bene definitur principiũ per se influens esse in aliud, quod solum dat essentiã alteri distinctam à sua; atqui omnis, & sola causa dat essentiam alteri distinctam à sua: ergo bene definitur principium per se influens esse in aliud.

Prima pars minoris intelligetur facilè ex dicendis, & secunda probatur.

Alia à causa, quæ possunt censeri dare essentiam alteri distinctã à sua, sunt priuatio, conditiones sine quibus non, & Pater in diuinis respectu Filij; atqui priuatio, & conditiones sine quibus non, non dant essentiam alteri, & Pater in diuinis nõ dat essentiam distinctam à sua: ergo sola causa dat essentiam alteri distinctam à sua.

Duæ primæ partes minoris probantur, & tertia

ex solutione obiectionis mox ponẽda confirmabitur.

Quod nihil est, aut tantùm est applicatio, aut quasi applicatio dantis essentiam, non dat essentiam alteri; atqui priuatio nihil est positiuum, sed tantùm quid negatiuum, & conditiones sine quibus non, sunt tantùm applicatio, aut quasi applicatio dantis essentiam: ergo non dat essentiam alteri.

Obiicies. Pater in diuinis est principium influens esse in aliud: ergo causa non bene definitur principium influens esse in aliud.

Antecedens pr. Illud est principium influens esse in aliud, quod dat esse alteri à se distincto realiter, sed Pater in diuinis dat esse Filio à se distincto realiter: ergo est principiũ influens esse in aliud.

Solutio: *Illud est principium influens esse in aliud, quod dat esse alteri à se distincto realiter, hoc est, habenti essentiam distinctam,* Concedo. *non habenti distinctam,* Nego. atqui *Pater in diuinis dat esse Filio à se realiter distincto, hoc est, habenti essentiam distinctam,* Nego. *non habenti distinctam, sed planè eandem,* Concedo.

Contrà. Effectus non debet habere essentiam distinctam à causa: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Deus non habet essentiam distinctam à seipso; atqui Deus est effectus sui ipsius: ergo effectus non debet habere essentiam distinctam à causa.

Minor pr. Deus est causa sui ipsius: ergo est etiam effectus sui ipsius.

Antecedens pr. Non potest esse alia causa Dei, quàm ipsemet: ergo Deus est causa sui ipsius.

Consequentia pr. Illud est causa Dei, à quo,

Deus est; atqui Deus est à seipso: ergo est causa sui ipsius.

Maior pr. Debet esse aliqua causa Dei; sed illa non potest esse alia quàm id, à quo Deus est: ergo illud est causa Dei, à quo Deus est.

Solutio: *Neganda est maior, & ratio est, quia cùm quod habet causam debeat esse productum, & Deus sit improductus, clarum est ipsum non posse habere causam.*

CONCLVSIO SECVNDA:

Ratio causandi distinguitur aliquando ab entitate causæ, aliquando non.

RATIO causandi est id, per quod causa constituitur potens causare; atqui id, per quod causa constituitur potens causare aliquando distinguitur ab ipsius entitate, aliquando non distinguitur: ergo ratio causandi distinguitur aliquando ab entitate causæ, aliquando non.

Prima pars minoris probatur.

Quod est aliquid supperadditum realiter entitati causæ distinguitur ab ipsius entitate; atqui id, per quod causa constituitur potens causare, est aliquando superadditum ipsius entitati: ergo ab ea distinguitur.

Minor pr. Causa efficiens est vera causa: sed id, per quod multæ causæ efficientes constituuntur aptæ causare, est aliquid ipsis realiter superadditum: ergo & id, per quod causa constituitur potens causare.

Antecedens pr. Intellectus, & voluntas huma-

na sunt causæ efficientes actuum supernaturalium fidei, spei, & charitatis; atqui fiunt potentes causare illos actus per aliquid ipsis realiter superadditum: ergo causæ efficientes constituuntur aptæ causare per aliquid ipsis realiter superadditum.

Minor pr. Id, per quod intellectus, & voluntas humana constituuntur apta causare actus supernaturales fidei, spei, & charitatis, sunt habitus supernaturales; atqui illi sūt ipsis realiter superadditi: ergo fiunt potentes causare illos actus, per aliquid ipsis realiter supperadditum.

Minor pr. Supernaturale additum naturali, est illi realiter superadditum; sed intellectus, & voluntas humana sunt quid naturale, & illi habitus quid supernaturale: ergo isti sunt illis realiter superadditi.

Secunda pars minoris prioris argumenti, quòd ratio causandi aliquando non distinguatur, pr.

Causa per seipsam potest causare: ergo id, per quod constituitur potens causare, non distinguitur ab ipsius entitate.

Antecedens pr. Omnes causæ materiales, omnes formales, & multæ efficiētes sunt aptæ causare per seipsas: ergo causa per seipsam potest causare.

Duæ primæ partes minoris probantur.

Causa materialis, & causa formalis per id possūt causare, per quod prima recipere potest formam, & secunda vniri materiæ: atqui causa materialis per seipsā recipit formam, & causa formalis per seipsam similiter vnitur materiæ, ex probatis suprà sectione de potētia receptiua ma-

teriæ : ergo omnes causæ materiales, & omnes formales sunt aptæ causare per seipsas.

Tertia pars minoris superioris argumenti, causam efficientem esse potentem causare per seipsam, probatur.

Ignis est causa efficiẽs caloris in se recepti; atqui sit potens causare illum calorem per seipsũ: ergo causa efficiens sit potẽs causare per seipsã.

Minor pr. Ignis non causat illum calorem per aliquid à se distinctum : ergo sit potens illum causare per seipsum.

CONCLVSIO TERTIA.

Causalitas distinguitur realiter ab entitate causæ.

CAVSALITAS est id, quo posito causa sit actu causans; atqui id, per quod causa sit actu causans distinguitur ab ipsius entitate : ergo causalitas distinguitur realiter ab entitate causæ.

Minor pr. Existente entitate causæ, non existit, hoc quod est ipsam actu causare : ergo id, per quòd sit actu causans distinguitur ab ipsius entitate.

Minor pr Ignis Babilonicus erat vera entitas causæ; atqui existebat non existente hoc, quod est ipsum actu causare : ergo existente entitate causæ, non existit id, quod est ipsã actu causare.

Minor pr. Non causabat actu : ergo non existebat hoc, quod est ipsum actu causare.

Antecedens pr. Ipsius causare actu, est calefacere, & comburere; atqui non comburebat actu: ergo non causabat actu.

Minor pr. Illud non est verè principium motus,& quietis, quod est tantùm principiũ passiuum illius: atqui materia est tantùm principiũ passiuum motus,& quietis:ergo materia non est verè principium motus, & quietis.

Maior pr. Artificialia sunt principium passiuum motus,& quietis:atqui illa ex Aristotele, non sunt verè principium motus,& quietis:ergo quod est tantùm principium passiuum motus, non est verè principium illius.

Solutio: *Artificialia sunt principium passiuum motus, quà artificialia*, Nego. *quà lapidea, aut lignea*, &c. Concedo. atqui *illa ex Aristotele non sunt verè principium motus, quà artificialia*, Concedo. *quà lapidea, lignea*, &c. Nego.

Contrà. Quod est tantùm principium passiuum motus,non est verè principium motus procedentis à natura: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Illud non potest dici principium motus procedentis à natura, cuius motus non est naturalis: atqui motus,qui est tantùm à principio passiuo non est naturalis:ergo quod est tantùm principium passiuum motus,non est verè principium motus procedentis à natura.

Minor pr. Motus caloris in aqua est à principio passiuo; atqui ille motus non est naturalis:ergo motus,qui est tantùm à principio passiuo, non est naturalis.

Solutio: Atqui *ille motus non est naturalis absolutè*, Concedo, *secundùm quid*, Nego. ergo *motus, qui est tantùm à principio passiuo, non est naturalis absolutè*, Concedo. *secundùm quid*, Nego.

Contrà. Motus, qui est à natura debet esse ab-

ſolutè naturalis; atqui qui eſt tantùm à principio paſſiuo ex conceſſis, eſt à natura : ergo eſt abſolutè naturalis.

Solutio : *Motus, qui eſt à natura, hoc eſt, ſecundùm inclinationem compoſiti eſt abſolutè naturalis,* Concedo. *hoc eſt, qui ſubiectatur in altera parte compoſiti, & eſt contra inclinationem alterius partis, quæ eſt in illo præcipua,* Nego. atqui *qui eſt tantùm à principio paſſiuo eſt à natura, hoc eſt, ſecundùm inclinationem, ſeu natiuam propenſionem compoſiti,* Nego. *hoc eſt, ſubiectatur in altera eius parte minùs præcipua,* Concedo. *Naturalitas motus attenditur maximè circa formam; quippe quæ ſit præcipua pars compoſiti ipſum denominans, & in ipſo radix omnium, quæ ſunt ipſius propria, & non conueniunt alijs : ſi enim haberetur ratio materiæ, nullus motus diceretur violentus. Materia enim ſecundùm ſe indifferens eſt ad omnem, & nullum planè habet repugnantem.*

Conclvsio Tertia:

Ars efficere poteſt verum aurum.

Qvod poteſt inducere in materiam diſpoſitiones ad formã auri, poteſt efficere aurum; atqui ars poteſt inducere diſpoſitiones in materiam ad formam auri : ergo efficere poteſt aurum.

Minor pr. Non difficilius eſt, ſecluſa ſpeciali Dei prouidẽtia, inducere diſpoſitiones in materiam ad formam auri, quàm ad formam viuentium; atqui ars inducere poteſt diſpoſitiones ad multas formas viuentium: ergo etiam poteſt in-

ducere dispositiones in materiā ad formā auri.

Minor pr. Illud potest inducere dispositiones in materiam, ad multas formas viuentium, quod de facto illas inducit; atqui ars de facto inducit dispositiones in materiam ad formas viuentium: ergo ars inducere potest dispositiones in materiam, ad multas formas viuentium.

Minor pr. Formæ pullorum, & apum sunt formæ viuentium; atqui ars inducit de facto dispositiones in materiam ad istas formas: ergo & ad formas viuentium.

Minor pr. De facto istæ formæ producuntur per artem: ergo ars de facto inducit dispositiones in materiam ad istas formas.

Antecedens pr. Pulli educuntur ex ouis temperato calore per artem illis applicato: ergo de facto istæ formæ producuntur per artem.

Obijcies. Quod nunquam factum est fieri non potest; atqui nunquam ars effecit verum aurum: ergo ars efficere non potest verum aurum.

Respondeo, *falsitatem minoris patere experientia illa chimistarum, quibus aliquid auri quidem fit, sed non tanti pretij, quanti sunt expensæ factæ.*

Contrà. Impossibile est non modò, vt magna vis auri fiat per artem, sed nec parua: ergo ars nunquam effecit verum aurum.

Antecedens pr. Ars nihil aliud est, quàm cognitio v. g. quam homo, vel Angelus habet de modo faciendi aurum; atqui impossibile est non modò vt magna vis auri fiat per illā cognitionē, sed nec parua: ergo impossibile est nō modò vt magna vis auri fiat per artem, sed nec parua.

Minor pr. Cognitio quam habet homo, vel Angelus de methodo faciendi aurum est accidens spiritale, & aurum substantia materialis; atqui impossibile est, vt per accidens spiritale fiat substantia materialis: ergo impossibile est, vt fiat non modò magna vis auri per illam cognitionem, sed nec parua.


Solutio: Atqui *impossibile est, vt per accidens spiritale fiat substantia materialis efficientia physica orta immediatè ab illo, & terminata ad istud,* Concedo. *efficientia mediata, & per virtutem alterius agentis quod applicat,* Nego. ergo *impossibile est, vt per illam cognitionem, vel parua vis auri fiat efficientia orta immediatè ab illa cognitione*, Concedo. *mediata, & prodeunte ab altero agente, cuius cognitio curat applicationem* Nego. *Cùm enim non desint agentia, quæ contineant eminenter formam auri, vel seorsim sumpta, vel simul, aut certè dispositiones ad illam, cognitio Angelica quæ hoc non ignorat, potest excitare volitionem consequentem, ad quam fiat applicatio illorum agentium, & illa applicatione facta producatur verum aurum.*

Contrà. Dæmones quantumuis rogati à magis, quos hac ratione facile esset ditare, non faciunt applicationem huiusmodi agentium: ergo Angeli non possunt illam facere.

Solutio: *Dæmones quantumuis rogati à magis, non faciunt applicationem huiusmodi agentium propter specialem Dei prouidentiam quæ id eis non permittit, cuius si haberent potestatem infinitas animas perderent,* Concedo. *si non esset specialis illa prouidentia*, Nego.

Contrà. Nullum est fundamentum recurrendi ad specialem illam Dei prouidentiam: ergo dæmones non abstinent ab applicatione huiusmodi agentium, propter specialem Dei prouidentiam, ne illaqueentur infinitæ animæ.

Respondeo, *fundamentum illud esse, quod propter similem finem Deus non permittat dæmonibus, quod in ipsorum esse potestate omnes concedunt, scilicet, extractos è mari, aut alijs locis, in quibus latent thesauri, illos dare magis aut alijs, qui se illis deuouent, quos vt plurimùm egestate potiùs, quàm diuitiis onustos fuisse, & esse nouimus.*



DISPVTATIO II.

De Causis in communi.



CAVSÆ habent quædam, quæ illis omnibus sunt communia, aut saltem pluribus, & alia quæ ita vnius sunt propria, vt alijs nullo modo conueniant. Prima illa communia examinabimus ista disputatione, & sequentibus, quæ sunt propria vniuscuiusque.

Sectio Prima

Quid sit causa, ratio causandi, & causalitas.

DVO in omni re, quæ dicitur causa maximè attendi debent: primũ est id, per quod sit potens causare, & dicitur ratio causandi; & secundum illud, per quod actu causat, & reducit suam illam potentiam ad actum. De vtroque explicata causa dicemus quid sint.

Conclvsio Prima:

Causa bene definitur principium per se influens esse in aliud.

Illvd bene definitur principiũ per se influens esse in aliud, quod solum dat essentiã alteri distinctam à sua, atqui omnis, & sola causa dat essentiam alteri distinctam à sua: ergo bene definitur principium per se influens esse in aliud.

Prima pars minoris intelligetur facilè ex dicendis, & secunda probatur.

Alia à causa, quæ possunt censeri dare essentiam alteri distinctã à sua, sunt priuatio, conditiones sine quibus non, & Pater in diuinis respectu Filij; atqui priuatio, & conditiones sine quibus non, non dant essentiam alteri, & Pater in diuinis nõ dat essentiam distinctam à sua: ergo sola causa dat essentiam alteri distinctam à sua.

Duæ primæ partes minoris probantur, & tertia

Deus est; atqui Deus est à seipso: ergo est causa sui ipsius.

Maior pr. Debet esse aliqua causa Dei; sed illa non potest esse alia quàm id, à quo Deus est: ergo illud est causa Dei, à quo Deus est.

Solutio: *Neganda est maior, & ratio est, quia cùm quod habet causam debeat esse productum, & Deus sit improductus, clarum est ipsum non posse habere causam.*

CONCLVSIO SECVNDA:

Ratio causandi distinguitur aliquando ab entitate causæ, aliquando non.

RATIO causandi est id, per quod causa constituitur potens causare; atqui id, per quod causa constituitur potens causare aliquando distinguitur ab ipsius entitate, aliquando non distinguitur: ergo ratio causandi distinguitur aliquando ab entitate causæ, aliquando non.

Prima pars minoris probatur.

Quod est aliquid supperadditum realiter entitati causæ distinguitur ab ipsius entitate; atqui id, per quod causa constituitur potens causare, est aliquando superadditum ipsius entitati: ergo ab ea distinguitur.

Minor pr. Causa efficiens est vera causa: sed id, per quod multæ causæ efficientes constituuntur aptæ causare, est aliquid ipsis realiter superadditum: ergo & id, per quod causa constituitur potens causare.

Antecedens pr. Intellectus, & voluntas huma-

na sunt causæ efficientes actuum supernaturalium fidei, spei, & charitatis; atqui fiunt potentes causare illos actus per aliquid ipsis realiter superadditum: ergo causæ efficientes constituuntur aptæ causare per aliquid ipsis realiter superadditum.

Minor pr. Id, per quod intellectus, & voluntas humana constituuntur apta causare actus supernaturales fidei, spei, & charitatis, sunt habitus supernaturales; atqui illi sūt ipsis realiter superadditi: ergo fiunt potentes causare illos actus, per aliquid ipsis realiter supperadditum.

Minor pr. Supernaturale additum naturali, est illi realiter superadditum; sed intellectus, & voluntas humana sunt quid naturale, & illi habitus quid supernaturale: ergo isti sunt illis realiter superadditi.

Secunda pars minoris prioris argumenti, quòd ratio causandi aliquando non distinguatur, pr.

Causa per seipsam potest causare: ergo id, per quod constituitur potens causare, non distinguitur ab ipsius entitate.

Antecedens pr. Omnes causæ materiales, omnes formales, & multæ efficiētes sunt aptæ causare per seipsas: ergo causa per seipsam potest causare.

Dua prima partes minoris probantur.

Causa materialis, & causa formalis per id possūt causare, per quod prima recipere potest formam, & secunda vniri materiæ: atqui causa materialis per seipsā recipit formam, & causa formalis per seipsam similiter vnitur materiæ, ex probatis suprà sectione de potētia receptiua ma-

teriæ : ergo omnes causæ materiales, & omnes formales sunt aptæ causare per seipsas.

Tertia pars minoris superioris argumenti, causam efficientem esse potentem causare per seipsam, probatur.

Ignis est causa efficiẽs caloris in se recepti; atqui sit potens causare illum calorem per seipsũ: ergo causa efficiens sit potẽs causare per seipsã.

Minor pr. Ignis non causat illum calorem per aliquid à se distinctum : ergo sit potens illum causare per seipsum.

CONCLVSIO TERTIA.

Causalitas distinguitur realiter ab entitate causæ.

CAVSALITAS est id, quo posito causa fit actu causans; atqui id, per quod causa fit actu causans distinguitur ab ipsius entitate : ergo causalitas distinguitur realiter ab entitate causæ.

Minor pr. Existente entitate causæ, non existit, hoc quod est ipsam actu causare : ergo id, per quod fit actu causans distinguitur ab ipsius entitate.

Minor pr Ignis Babilonicus erat vera entitas causæ; atqui existebat non existente hoc, quod est ipsum actu causare : ergo existente entitate causæ, non existit id, quod est ipsã actu causare.

Minor pr. Non causabat actu : ergo non existebat hoc, quod est ipsum actu causare.

Antecedens pr. Ipsius causare actu, est calefacere, & comburere; atqui non comburebat actu: ergo non causabat actu.

SECTIO II.

Quotuplex sit causa, & an eadem res possit exercere omnia causarum genera.

PRIMA CONCLVSIO:

Causæ diuisio in materialem, formalem, efficientem, & finalem est adæquata.

MEMBRA istius diuisionis continent quidquid diuisum: ergo est adæquata.

Antecedens pr. Causæ materialis, formalis, efficiens, & finalis continent quidquid causa: ergo & quidquid diuisum.

Minor pr. Causa est principium per se influens esse in aliud, seu dans essentiam alteri à sua distinctam; atqui causa materialis, formalis, efficiens, & finalis continent quidquid dans essentiam alteri à sua distinctam: ergo & quidquid causa.

Minor pr. Quidquid dat essentiam alteri, vel exigit cum illo vniri, vel non exigit cum illo vniri, vel aduenit alteri dando essentiam, vel mouet alterum ad dandam essentiam; atqui quod exigit cum eo vniri, cui dat essentiam, est causa materialis, & quod non exigit vniri est causa efficiens, & quod aduenit est causa formalis, & quod mouet alterum ad dandam essentiam est causa finalis: ergo causa materialis, formalis, efficiens, & finalis continent quidquid dans essentiam alteri à sua distinctam.

Respondent: *Quidquid dat essentiam alteri, vel*

exigit cum illo vniri, vel non exigit cum illo vniri, vel aduenit alteri, vel mouet alterum ad dandam essentiam, & nihil aliud, Negant. *& praeterea aliquid aliud*, Concedunt.

Contrà. Illud aliud dans essentiam non potest esse nisi vel exemplar, vel obiecta actuum vitalium, aut dispositiones ad formam introducendam; atqui causa materialis, formalis, efficiens, & finalis continent ista: ergo nihil est aliud præter enumerata, quod det essentiam alteri distinctam à sua.

Minor pr. Obiecta actuum vitalium, dispositiones ad formam introducendam, & exemplar, sunt, aut causa efficiens, aut reuocantur ad illam, vt probabimus cùm de singulis agemus: ergo causa efficiens, materialis, formalis, & finalis continent ista.

SECVNDA CONCLVSIO:

Eadem res exercere potest omnia causarum genera respectu diuersorum effectuum.

QVOD potest esse causa materialis, formalis, efficiens & finalis respectu diuersorum effectuum, potest respectu illorum exercere omnia causarum genera; atqui eadem res potest esse causa materialis, formalis, efficiens, & finalis respectu diuersorum effectuũ: ergo & respectu illorum exercere omnia causarũ genera.

Minor pr. Anima rationalis est vna, & eadem res; atqui anima rationalis potest esse causa efficiẽs, materialis, formalis, & finalis respectu di-

uersorum effectuum : ergo & vna & eadem res.

Antecedens pr. Anima rationalis est causa efficiens, & materialis suarum intellectionum, formalis hominis, & finalis organisationis; atqui intellectiones, homo, & organisatio sunt diuersi effectus: ergo potest esse causa efficiēs, materialis, formalis, & finalis respectu diuersorum effectuum.

TERTIA CONCLVSIO:

Nulla res respectu eiusdem effectus exercere potest omnia causarum genera.

ILLVD non potest respectu alicuius effectus exercere omnia causarum genera, quod respectu illius non potest esse simul causa materialis, & formalis; atqui nulla res respectu eiusdem effectus potest esse causa materialis & formalis: ergo nulla res respectu eiusdem effectus exercere potest omnia causarum genera.

Minor pr. Nulla res potest esse simul ea, quæ realiter distinguuntur; atqui causa materialis, & formalis respectu eiusdem effectus realiter distinguuntur: ergo nulla res respectu eiusdem effectus potest esse causa materialis, & formalis.

Minor pr. Quæ faciunt compositionem physicam realiter distinguuntur; atqui causa materialis, & formalis eiusdem effectus faciunt veram compositionem physicam: ergo realiter distinguuntur.

Minor pr. Illa faciunt veram compositionem physicam, quorum vnum aduenit alteri realiter

præsupposito; atqui causa materialis, & formalis eiusdem effectus ita se habent : ergo faciunt veram compositionem physicam.

Qvarta Conclvsio:

In omnibus rebus creatis non reperiuntur quatuor causarum genera.

Angeli, seu naturæ Angelicæ sunt res creatæ; atqui in Angelis, seu naturis Angelicis non reperiuntur quatuor causarum genera: ergo neque in omnibus rebus creatis.

Minor pr. In illis non reperiuntur omnia causarum genera, in quibus non reperitur neque causa formalis, neque materialis; atqui in Angelis non reperitur causa formalis, nec materialis: ergo neque quatuor causarum genera.

Antecedens pr. In illis non reperitur causa materialis, & formalis, quæ non componuntur ex subiecto, & actu; atqui Angeli sumpti secundum naturam, seu naturæ Angelicæ non componuntur ex subiecto, & actu: ergo in illis non reperitur causa materialis, nec formalis.

Minor pr. Illa non componuntur ex subiecto, & actu, quæ sunt substantiæ physicè simplices; atqui Angeli, seu naturæ Angelicæ sunt substantiæ physicè simplices, vt probauimus in Metaph. disp. 3. sect. 3. ergo non componuntur ex subiecto, & actu.

SECTIO III.

An, & quomodo causa sit prior suo effectu.

CONCLVSIO PRIMA:

Causa in actu primo non est necessariò prior tempore suo effectu.

ILLVD non est prius alio tempore, quod non existit ante illud; atqui causa in actu primo non existit necessariò ante effectum: ergo non est prior tempore suo effectu.

Minor pr. Causa non existit necessariò ante illud, quod est cùm primùm ipsa existit; atqui sæpè effectus est cùm primùm eius causa existit: ergo causa non existit necessariò ante effectum.

Minor pr. Lux est verus effectus ignis; atqui cùm primùm est ignis, lux est: ergo effectus est sæpè cùm primùm causa existit.

Minor pr. Cùm agens necessarium habet requisita ad ponendum effectum non potest illum non ponere; atqui ignis est agens necessarium, & cùm primùm existit habet requisita ad producendam lucem: ergo cùm primùm est ignis est etiam lux ab ipso producta.

CONCLVSIO SECVNDA:

Causa potest esse prior tempore suo effectu.

CAVSA vel est materialis, vel formalis, vel efficiens, vel finalis; sed materialis, formalis, efficiens, & finalis possunt esse priores tempore suo effectu: ergo causa potest esse prior tempore suo effectu.

Duæ partes vltimæ minoris probantur primò.

Deus est causa efficiens, & finalis rerum omnium; atqui Deus est prior tempore omnibus rebus creatis: ergo & causa efficiens, & finalis suis effectibus.

Probantur secundò duæ primæ partes minoris prioris argumenti.

Corpus, & anima sunt causa materialis, & formalis hominis; atqui corpus, & anima possunt esse priora homine: ergo & causa materialis, & formalis suis effectibus.

Minor probatur de anima, de corpore enim res est clara.

Vt anima sit ante hominem nihil aliud requiritur, quàm vt Deus non creet illam informantem corpus; atqui Deus potest creare animam antequam informet corpus: ergo anima potest esse prior homine.

Minor pr. Illud Deus potest non facere, quod liberè facit; atqui liberè creat animam informantem corpus: ergo potest illam creare antequam informet corpus.

CONCLVSIO TERTIA:

Causa in actu secundo est simul tempore cum suo effectu.

ILLA sunt simul tempore, quorum cùm vnum est, aliud quoque est; atqui cùm est causa in actu secundo, seu actu causans est etiam effectus: & cùm est effectus est etiam causa actu causans: ergo causa in actu secundo est simul tempore cum suo effectu.

Minor pr. Cùm est causa actu causans, est aliquid causatum; atqui illud causatum est effectus & cùm est causatum est etiam causa actu causans: ergo cùm est causa in actu secundo, est etiam effectus, & cùm est effectus est etiam causa actu causans.

CONCLVSIO QVARTA:

Causa in actu secundo est simul natura cum causalitate.

ILLA sunt simul natura, quæ sunt eodem tempore, & vnum non dependet ab alio; atqui causa in actu secundo; & causalitas sunt eodem tempore, & vnum non dependet ab alio: ergo sunt simul natura.

Prima pars minoris non est dubia, & secunda probatur.

Causalitas non dependet ab eo, cuius est constitutiua; atqui causalitas est constitutiua causæ in actu secundo: ergo causalitas non dependet à causa in actu secundo.

Minor pr. Nihil dependet á ſeipſo; atqui conſtitutiuum dependere ab eo, quod conſtituit, eſt idem dependere á ſeipſo: ergo cauſalitas non dependet ab eo, cuius eſt conſtitutiua.

Minor pr. Id quod conſtituitur eſt idem ſaltem inadæquatè cum eo, quod illud conſtituit: ergo iſtud dependere ab illo eſt idem dependere à ſeipſo.

Reſpondent: ergo *iſtud dependere ab illo adæquatè ſumpto eſt idem dependere à ſeipſo*, Concedo. *dependere ab illo inadæquatè ſumpto.* Nego.

Contrà. Ex conceſſis id, quod conſtituit aliud non poteſt pendere ab iſto adæquatè ſumpto; atqui cauſalitas cōſtituit cauſam in actu ſecūdo: ergo non poteſt pendere à cauſa in actu ſecundo adæquatè ſumpta.

Et conſequenter debet cenſeri ab ea hoc modo ſumpta independens, & cùm aliunde ſit eodem tempore non poteſt negari eſſe ſimul natura cum illa.

Obijcies. Id quod pendet ab alio non eſt ſimul natura cum illo; atqui cauſalitas pendet à cauſa in actu ſecundo: ergo non eſt ſimul natura cum cauſa in actu ſecundo.

Minor pr. Cauſalitas pendet à cauſa in actu ſecundo, vel in actu primo; atqui non pendet à cauſa in actu primo: ergò pendet à cauſa in actu ſecundo.

Solutio: *Cauſalitas pendet à cauſa in actu ſecundo, vel in actu primo non redacto ad actum ſecundum*, Nego. *redacto ad actum ſecundùm*, Concedo. atqui *non pendet à cauſa in actu primo*

non redacto ad actum secundum, Concedo. *redacto ad actum secundum*, Nego.

Contrà. Causa in actu primo redacto ad actum secundum est causa in actu secundo; atqui causalitas ex concessis pendet à causa in actu primo redacto ad actum secundum: ergo pendet verè à causa in actu secundo.

Solutio: Atqui *causalitas ex concessis pendet à causa in actu primo redacto ad actum secundum adæquatè sumpto*, Nego. *inadequatè sumpto*, Concedo. ergo *pendet à causa in actu secundo adæquatè sumpta*, Nego. *inadæquatè sumpta*, Concedo. *Causa in actu secundo potest sumi adæquatè vel inadequatè. Sumpta adæquatè est illa duo ex quibus constituitur, scilicet entitas causæ, & causalitas: inadæquatè verò sumpta est vel sola entitas causæ, vel sola causalitas. Ex quo patet causalitatem non posse pendere à causa in actu secundo adæquatè sumpta, quin pendeat à seipsa; quod cùm fieri non possit rectè diximus pendere à causa in actu secundo inadæquatè sumpta, seu ab entitate illa, quam constituit causantem.*

Contrà. Effectus pendet à causa in actu secundo adæquatè sumpto; ergo & causalitas etiam.

Antecedens pr. Causa in actu secundo adæquatè sumpto est entitas causæ, & causalitas; atqui effectus pendet ab entitate causæ, & à causalitate: ergo pendet à causa in actu secundo adæquatè sumpto.

Solutio: *Causa in actu secundo vt quo est entitas causæ, & causalitas*, Concedo. *vt quod*, Nego. & *concessa minori*: ergo *pendet à causa in*

actu secundo adaquatè sumpto, vt quo, Concedo. *vt quod,* Nego. *Causa in actu secundo vt quo ideo dicitur esse entitas causa, & causalitas, quia hac est illi via ad aliquid aliud, quod dicitur actus secundus vt quod. In eo enim sistit actiuitas causa. Illud autem ideo negamus pendere à causa secunda in actu secundo vt quod adaquatè sumpto, seu quod idem est ab actu secundo vt quod, quia ipsum est huiusmodi actus secundus, & ipsum non potest pendere à seipso.*

Contrà. Causa in actu secundo vt quod, est prior natura effectu : ergo effectus pendet à causa in actu secundo, vt quod.

Solutio : *Causa in actu secundo vt quod reduplicatiuè, & secundùm id, quod dicit in recto simul, & in obliquo, seu non tantùm illa entitas, in qua est vis actiua, sed etiam id, quod efficit, & eius actus secundus sunt priora effectu, seu ipso actu secundo,* Nego. *specificatiuè, & secundùm id, quod dicit in recto, seu illa entitas, qua dat esse actui secundo est prior natura ipso,* Concedo. *Certum quidem est entitatem causa secundùm se habere influxum in effectum, & hunc, & illum influxum pendere ab illa entitate; sed falsum est entitatem illam vt iunctam illi influxui & effectui, & cum iis facientem totum illud, quod vocatur causa in actu secundo esse priorem secundùm se totam, seu non tantùm secundùm suam entitatem, sed etiam secundùm illum influxum, & effectum illo influxu, & effectu, sic enim hac duo posteriora essent priora se ipsis, quod implicat. Quare cùm causa in actu secundo dicitur esse prior natura causalitate, & effectu, intelligendum id*

est de illa entitate, qua dicitur causa, non verò de ipsa vt coniuncta cum eo, & simul cum ipso per quod constituitur in actu secundo causans.

SECTIO IV.

An possint esse plures causæ eiusdem effectus.

CONCLVSIO PRIMA:

Effectus habere non potest plures causas intrinsecas.

CAVSÆ intrinsecæ sunt materialis, & formalis; atqui effectus habere non potest plures causas materiales, & formales: ergo effectus habere non potest plures causas intrinsecas.

Minor pr. Quod habere potest plures causas materiales, & formales, manere potest idem mutatis suis partibus; atqui nihil potest manere idem mutatis suis partibus: ergo effectus non potest habere plures causas materiales, & formales.

Maior pr. Causa materialis, & formalis sunt partes sui effectus: ergo quod habere potest plures & diuersas causas materiales & formales, manere potest idem mutatis suis partibus.

Obijcies. Compositum accidentale est effectus causæ formalis; atqui compositum accidentale potest habere plures causas formales: ergo effe-

ctus habere potest plures causas formales.

Minor pr. Sciens est compositum accidentale; atqui habere potest plures causas formales: ergo & compositum accidentale.

Minor pr. Variæ scientiæ sunt variæ causæ formales scientis; atqui idem sciens habere potest varias scientias: ergo & plures causas formales.

Solutio: *Idem sciens habere potest varias scientias materialiter sumptum*, Concedo. *formaliter sumptum*, Nego. *Idem quidem est, quod dicitur materiale in sciente homo, scilicet, ille, qui dicitur sciens: formaliter tamen non est idem, qui habet plures scientias; quia formale illud non est aliud ab ipsis scientiis, quæ cùm supponantur multiplices, totum etiam quod constituunt formaliter sumptum non potest non esse multiplex.*

CONCLVSIO SECVNDA:

Idem effectus potest habere diuisim plures causas efficientes totales.

LVMEN, A, v. g. est vnus & idem effectus; atqui illud lumē habere potest diuisim plures causas efficiētes totales: ergo idem effectus habere potest diuisim plures causas efficientes totales.

Minor pr. Causa productiua luminis est ignis v. g. atqui potest lumen, A, produci à duobus ignibus diuisim: ergo & habere plures causas efficientes totales.

Minor pr. Lumen quod productum ab vno igne conseruari potest ab alio, produci potest à

duobus ignibus diuisim; atqui cùm remoto vno igne ponitur alius loco prioris, lumen productum à primo conseruatur à secundo: ergo lumen A, produci potest à duobus ignibus.

Minor pr. Nulla est ratio, cur destruatur prius, & nouum producatur: ergo productum à primo, conseruatur à secundo.

Antecedens pr. Effectus non destruitur, nisi per contrarium defectum subiecti, aut causæ conseruantis; atqui lumen non habet contrarium, manet eius subiectum; adest etiam causa conseruans: ergo nulla est ratio cur destruatur prius, & nouum producatur.

Duæ primæ partes minoris certæ sunt, & tertia probatur.

Ignis succedens est causa illius conseruans: ergo adest causa conseruans.

Antecedens pr. Vt ignis succedens dicatur eius causa conseruans, non aliud requiritur, quàm vt habeat vires sufficientes ad illius conseruationem; atqui habet vires sufficientes ad illud conseruandum: ergo ignis succedens est causa illius conseruans.

Minor pr. Ignis succedens non habet minores vires, quàm præcedens; atqui præcedens habet sufficientes vires ad illud conseruandum: ergo & succedens.

Maior pr. Illa agentia non habent minores vires vnum, quàm aliud, quæ habent æquales; atqui ignis succedens, & præcedens habent æquales vires: ergo ignis succedens non habet minores vires, quàm præcedens.

Minor pr. Agentia insensibilia necessaria eiusdem

dem speciei habent æquales vires; atqui ignis succedens, & præcedens sunt agentia necessaria insensibilia, & eiusdem speciei, ergo habent æquales vires.

Obijcies. Calor, A, est vnus, & idem effectus; atqui calor, A, non potest habere diuisim plures causas efficientes totales: ergo idem effectus nō potest habere plures causas efficientes totales.

Minor pr. Effectus, qui habere potest plures causas efficiētes totales diuisim, nullā habet per se sui causam; atqui calor debet habere causam aliquam per se sui: ergo calor A, non potest habere diuisim plures causas efficientes totales.

Solutio: *Effectus, qui habere potest plures causas efficientes totales diuisim, nullam habet per se sui causam, hoc est necessariam*, Concedo. *per se, hoc est, verè influentem*, Nego. atqui *calor debet habere causam aliquam per se hoc est, necessariam*, Nego. *hoc est, verè influentem*, Concedo.

Contrà. Calor, qui habet plures causas efficientes diuisim, nullam habet causam verè influentem; ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Illæ plures causæ totales efficientes illius, vel sunt vniuocæ vel æquiuocæ; atqui neutrum dici potest: ergo nullam habet verè influentem.

Minor pr. Plures illæ causæ vniuocæ caloris sūt v. g. calor B, C, D, & æquiuocæ lumen E, F, G; atqui calor B, C, D, & lumen E, F, G, non sunt causa verè influens caloris, A: ergo non sunt causæ neque vniuocæ, neque æquiuocæ illius.

Minor pr. Vel sunt causa verè influens caloris istius tantùm, vel etiam aliorum; atqui neutrum

dici poteſt : ergo non ſunt cauſa verè influens caloris A.

Reſpondeo *eſſe cauſam influentẽ etiam aliorum.*

Contrà. Alij calores ſunt infiniti : atqui non ſunt cauſa verè influens infinitorum effectuum: ergo non ſunt cauſa influens aliorum,

Solutio : Atqui *non ſunt cauſa infinitorum effectuum ſucceſſiuè, & diuiſim ſumptorum*, Nego. *ſimul ſumptorum*, Concedo. *ergo non ſunt cauſa influens aliorum ſimul ſumptorum*, Concedo. *diuiſim*, Nego.

Contrà. Non magis debent dici cauſa infinitorum diuiſim, quàm omnium ſeipſis exceptis; atqui non debent dici cauſa omnium diuiſim ſeipſis exceptis: ergo non ſunt cauſa infinitorum diuiſim.

Minor pr. Calor corruptus eſt de numero omnium illorum ; atqui non ſunt cauſa illius: ergo neque omnium diuiſim.

Minor pr. Calor corruptus non poteſt produci ab illis : ergo non ſunt cauſa illius.

Solutio: *Calor corruptus non poteſt produci ab illis quantum eſt ex parte ipſarũ cauſarum, ſeu ſpectata præciſè ipſarum virtute*, Nego. *quòd Deus non præbeat illis concurſum ad illum effectũ*, Concedo.

Contrà Deus non denegat illis concurſum ad illum effectum : ergo nulla ſolutio.

Antecedens pr. Deus non denegat concurſum cauſis ad producendum effectum, niſi aliquid exigat illam denegationem; atqui ex ſuppoſitione, quòd poſſint illum producere; nihil eſt, quod exigat illam denegationem: ergo Deus non denegat illis concurſum ad illum effectum.

Minor pr. Illud, quod potest dici exigere illam denegationem non potest esse aliud, quàm fœcunditas causæ, aut pulchritudo vniuersi; atqui neutrum est: ergo nihil est quod exigat illam denegationem.

Minor pr. Ad fœcunditatem causæ sufficit, quod sæpius reproducat eundem effectum, & ad pulchritudinem vniuersi, quod effectus, qui in illo sunt sint valdè similes: ergo neutrum est.

Solutio: *Negandum est antecedens, & ratio est, quia causa non dicitur fœcunda nisi multos producat effectus, & pulchritudo vniuersi maior cõsurgit ex varietate effectuum, quàm ex eorũ identitate.*

CONCLVSIO TERTIA:

Idem effectus non potest habere plures causas efficientes totales simul.

CAVSA totalis est illa, quæ ponit actionem sufficientem ad dandum esse effectui; atqui effectus non potest habere plures causas, quarum quælibet ponat actionem sufficientem ad dandum illi esse: ergo idem effectus non potest habere simul plures causas efficientes totales.

Minor pr. Effectus non potest habere actionem superfluam ad sui productionem; atqui effectus, qui habet plures causas, quarum quælibet ponit actionem sufficientẽ ad dandum illi esse, habet vnam actionem superfluam: ergo effectus habere non potest plures causas, quarum quælibet ponat actionem sufficientem ad illi dandũ esse.

Maior pr. Effectus habere non potest, quod abhorret natura; atqui natura abhorret super-

fluum: ergo effectus habere non potest actionem superfluam.

Obijcies. Idem effectus habere potest diuisim plures causas efficientes totales: ergo & coniunctim.

Consequentia pr. Causæ coniunctim non habent minus virium, quàm diuisim: ergo effectus, qui potest habere plures causas diuisim potest & coniunctim.

Solutio: *Causæ coniunctim non habent minùs virium intrinsecarum, quàm diuisim*, Concedo. *extrinsecarum*, Nego.

Contrà. Vires illæ extrinsecæ nihil aliud sunt, quàm Dei concursus paratus: atqui non est minor concursus Dei paratus: ergo causæ coniunctim non habent minus virium extrinsecarum, quàm diuisim.

Minor pr. Ille concursus Dei paratus est voluntas Dei de concurrendo cum illis caussis ad productionem illius effectus; atqui non est minor voluntas Dei de concurrendo cum illis causis ad productionem illius effectus: ergo non est minor Dei concursus paratus.

Solutio: *Concursus ille Dei paratus est eius voluntas de concurrendo cũ illis causis ad productionem illius effectus per vnam communem actionem*, Concedo. *per propriam cuilibet ex illis*, Nego. atqui *non est minor voluntas Dei de concurrendo cum illis causis ad productionem illius effectus, per vnam communem actionem*, Concedo. *per propriam cuilibet ex illis*, Nego.

Contrà. Voluntas Dei de concurrendo cum illis causis ad productionem illius effectus est ac-

commodata rerum exigentiæ; atqui rerum exigentia non est, vt non sit voluntas Dei de concurrẽdo cum illis causis ad productionem illius effectus per actionem propriam cuilibet ex illis causis: ergo non est minor voluntas Dei de cõcurrẽdo cum illis causis ad productionem illius effectus per actionem propriam cuilibet ex illis.

Minor pr. Nihil est in rerum natura, quod dici possit hoc exigere præter entitatem causarum, & effectus; atqui neque entitas causarum, neque effectus hoc exigunt: ergo rerum exigentia non est, vt non sit voluntas Dei de concurrẽdo cum illis causis ad productionem illius effectus per actionem propriam cuilibet ex illis.

Solutio: *Neganda est minor, & dicendum entitatem effectus exigere vt non fiat simul per multas actiones totales, ne detur aliqua superflua.*

Conclusio Quarta:

Possunt esse plures causæ totales eiusdem effectus diuinitus.

Illud esse potest diuinitus quod nõ inuoluit esse simul, & non esse vllius rei; atqui quod idem effectus habeat plures causas totales non inuoluit esse, & nõ esse vllius rei: ergo diuinitus possunt esse plures causæ totales eiusdẽ effectus.

Minor pr. Ille effectus habet duas causas totales, qui terminat duplicem actionem, quarum quælibet sufficiens est ad dandum illi esse; atqui quod effectus terminet huiusmodi actiones non inuoluit esse, & non esse vllius rei: ergo quod idem effectus habeat duas causas totales non in-

uoluit esse, & non esse vllius rei.

Minor pr. Non inuoluit esse, & non esse neque effectus, neque causarum, neque actionum, neque vllius alterius: ergo non inuoluit esse, & non esse vllius rei.

Antecedens pr. Effectus est, causa est, actiones sunt: ergo non inuoluit esse, & non esse causarum actionum, aut vllius alterius.

Obiicies. Ideo per nos non possunt esse duę causæ totales eiusdē effectus; quia altera est superflua; atqui etiamsi hoc fiat supernaturaliter altera est superflua: ergo etiam supernaturaliter & diuinitus non possunt esse duæ causæ totales eiusdem effectus.

Solutio: Atqui *etiamsi hoc fiat supernaturaliter, altera est superflua præcisè ad ponendum effectum*, Concedo. *ad manifestandam Dei omnipotentiam*, Nego.

Contrà. Illud est superfluum ad manifestandam Dei omnipotentiam: ad quod illa se non extendit; atqui Dei omnipotentia non se extendit ad hoc, vt sint duæ causæ totales eiusdem effectus: ergo altera ex illis est superflua ad manifestandam Dei omnipotentiam.

Minor pr. Dei omnipotentia non se extendit ad id, quod implicat; atqui implicat esse duas causas totales eiusdem effectus simul: ergo Dei omnipotentia non se extendit ad hoc, vt sint duæ causæ totales eiusdem effectus.

Minor pr. Implicat esse duas causas totales eiusdem effectus, quarum vna priùs producat illum, & deinde alia accedat & eundem producat: ergo etiam implicat esse duas causas totales eiusdem effectus simul.

Antecedens pr. Implicat aliquid actum agere; atqui ista causa accedens actũ ageret : ergo implicat esse duas causas totales, quarum vna priùs illum producat, & deinde alia eumdem producat.

Solutio, I*mplicat aliquid actum agere, actum vna actione, agere alia actione, & alio modo,* Nego. *eadem actione*, transeat; atqui *accedens causa actum vna actione ageret alia*, Concedo. *eadem actione*, Nego.

Contrà. Agere est dare esse; atqui ei, quod est actum non potest dari esse : ergo nihil potest actum vna actione illud idem agere alia.

Solutio : *Agere est dare esse nouum, aut prahabitum*, Concedo, *nouum tantùm*, Nego. atqui *ei, quod est actum non potest dari esse nouum*, Concedo. *prahabitum*, Nego.

Contrà. Effectus non potest accipere esse præhabitum : ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Effectus, qui accipit esse præhabitum pendet, & non pendet à suis causis; atqui non potest pendere, & non pendere à suis causis : ergo non potest accipere esse præhabitum.

Maior pr. Effectus non pendet ab illis causis, à quibus non habet necessitatem dependendi; atqui effectus, qui accipit esse præhabitũ non habet necessitatem dependendi à suis causis : ergo effectus, qui accipit esse præhabitum non pendet à suis causis.

Maior pr. Effectus non pendet ab eo, sine quo esse potest; atqui effectus potest esse sine eo, à quo nõ habet necessitatem dependendi: ergo ef-

fectus non pendet ab eo, à quo non habet necessitatem dependendi.

Maior pr. Illud, à quo pendet effectus saltem, vt à causa totali est totale, & adæquatum eius principium; atqui effectus non potest esse sine eo, quod est totale, & adęquatum eius principium: ergo effectus non pendet ab eo, sine quo esse potest.

Maior pr. Illud, à quo pendet totaliter effectus, est totale, & adæquatum eius principium; atqui effectus pendet totaliter ab eo, à quo pendet, vt à causa totali: ergo illud à quo pendet effectus, vt à causa totali est totale, & adæquatum eius principium.

Minor pr. Causa totalis est illa, à qua totaliter pendet effectus: ergo effectus pendet totaliter ab eo, à quo pendet vt à causa totali.

Antecedens pr. Causa totalis est illa, quæ respuit consortium omnis alterius causæ; atqui effectus pendet totaliter ab illa causa, quæ respuit consortium omnis alterius causæ: ergo causa totalis est illa, à qua totaliter pendet effectus.

Solutio: *Causa totalis respuit consortium alterius causæ necessariæ*, Concedo. *non necessariæ ad dandum esse effectui*, Nego.

Contrà. Causa totalis respuit consortium omnis alterius causæ etiam non necessarię: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Causa totalis non distinguitur per aliud à partiali, quàm per hoc, quod respuat consortium alterius: ergo causa totalis respuit consortium alterius.

Antecedens pr. Non potest aliud assignari dis-

crimen inter illas: ergo causa totalis non distinguitur per aliud, à partiali, quàm per hoc, quod respuat consortium alterius.

Solutio: *Negandum est antecedens, & dicendum illud, per quod differunt inter se causa totalis & partialis esse, quòd totalis ponat actionem sufficientem ad dandum esse effectui; partialis verò non ponat actionem sufficientem ad dandum esse effectui, saltem sola.*

SECTIO V.

An idem sit causa contrariorum.

CONCLVSIO PRIMA:

Causa formalis non potest esse causa contrariorum effectuum.

ILLVD non potest esse causa contrariorum effectuum, cuius effectus non possunt esse contrarij; atqui effectus causæ formalis non possunt esse contrarij: ergo causa formalis non potest esse causa contrariorum.

Minor pr. Effectus causæ formalis sunt composita per ipsam constituta; atqui illa non possunt esse contraria: ergo effectus causæ formalis non possunt esse contrarij.

Minor pr. Illa non sunt contraria, quæ non se expellunt ab eodem subiecto; sed composita per causam formalẽ constituta non se expellunt ab eodem subiecto: ergo non sunt contraria.

Minor pr. Composita per causam formalem constituta nihil aliud sunt, quàm ipsa causa formalis, subiectum ipsius, & vtriusque vnio; atqui ipsa causa formalis non expellit seipsam, subiectum etiam ipsius vnum non expellit aliud eiusdem subiectum, sicut nec vnio aliam vnionem: ergo composita per causam formalem constituta non se expellunt ab eodem subiecto.

Minor de subiecto probatur.

Omnis causa formalis est substantia, vel accidens; atqui neque subiectum vnum eius, quæ est substantia, neque eius, quæ est accidens, expellit aliud eiusdem subiectum: ergo subiectum vnum causæ formalis non expellit aliud eiusdem subiectum.

Prima pars minoris probatur.

Subiectum causæ formalis, eius, quæ est substantia est materia prima; atqui vna materia prima non expellit aliam ab eodem subiecto: ergo subiectum vnum eius, quæ est substantia non expellit aliud eiusdem subiectum.

Minor pr. Illa quæ non habent subiectum non se expellunt ab eodem subiecto; atqui materiæ primæ non habent subiectum: ergo non se expellunt ab eodem subiecto.

Minor probatur. Quæ sunt primum subiectum non habent subiectum; atqui materiæ primæ sunt primum subiectum: ergo non habent subiectum.

Secunda pars minoris superioris argumenti quòd subiectum causa formalis, quæ est accidens non expellat aliud, probatur.

Vt ſubiectum cauſæ formalis, quæ eſt accidens expellat aliud eiuſdem ſubiectum, neceſſarium eſt, vt ipſa habeat vnum, & aliud ſubiectum; atqui non habet vnum, & aliud, ſeu duo ſubiecta: ergo ſubiectum cauſæ formalis, quæ eſt accidens non expellit aliud eiuſdem ſubiectum.

Minor pr. Forma accidentalis habens vnum, & aliud ſubiectum migrat de vno in aliud; atqui accidens non migrat de vno ſubiecto in aliud: ergo forma accidentalis non habet duo ſubiecta.

Minor pr. Vt accidens migret de ſubiecto in ſubiectum, debet ipſum perſeuerare, cùm perit eius vnio cum ſubiecto; atqui non perſeuerat pereunte eius vnione cum ſubiecto: ergo non migrat de ſubiecto in ſubiectum.

Minor pr. Non magis perſeuerat accidens pereunte eius vnione cum ſubiecto, quàm forma ſubſtantialis materialis pereunte eius vnione cum materia; atqui forma ſubſtantialis materialis non perſeuerat pereunte eius vnione cum materia: ergo neque accidens pereunte eius vnione cum ſubiecto.

Minor pr. Formæ ſubſtantiales materiales non perſtant ſeparatæ à materia, vt probabitur ſectione prima ſequentis diſput. ergo forma ſubſtantialis materialis non perſeuerat pereunte eius vnione cum materia.

CONCLVSIO SECVNDA:

Causa materialis, & efficiens libera possunt producere contraria successiuè.

AMOR, & odium eiusdem rei sunt contraria; atqui causa materialis, & efficiens libera possunt producere successiuè amorem, & odium eiusdem rei: ergo causa materialis, & efficiens libera possunt producere contraria successiuè.

Minor pr. Homo est causa materialis, & efficiens libera amoris, & odij; atqui producere potest successiuè amorem & odium eiusdem rei: ergo & causa materialis, & efficiens libera.

Minor pr. Illud producere potest amorem, & odium eiusdem rei successiuè, quod illam de facto amat, & odit; atqui homo de facto amat & odit eamdem rem successiuè: ergo homo producere potest successiuè amorem, & odium eiusdem rei.

Minor pr. Illud de facto amat, & odit eamdem rem successiuè, quod iam odit voluptatem, quã antea amabat; atqui multi viri sancti iam odio habent voluptatem, quã antea amabãt: ergo de facto homo amat & odit eamdem rẽ successiuè.

CONCLVSIO TERTIA:

Causa finalis potest esse causa contrariorum effectuum.

CALOR, & frigus in summo sunt contraria;

atqui causa finalis est illorum causa: ergo & contrariorum effectuum.

Minor pr. Deus est causa finalis caloris, & frigoris in summo: ergo causa finalis est illorum causa.

Antecedens pr. Illud est causa finalis caloris, & frigoris in summo, propter quod illa facta sunt; atqui calor, & frigus in summo facta sunt propter Deum: ergo Deus est causa finalis caloris, & frigoris.

Minor pr. Omnia propter semetipsum operatus est Dominus, testantur sacræ paginæ Prouerb. 16. vers. 4. ergo calor, & frigus facta sunt propter Deum.

SECTIO VI.

An causæ sint sibi mutuò causæ.

CONCLVSIO PRIMA:

Causæ reales non possunt esse sibi mutuò causæ quoad primum esse.

CAVSÆ reales sunt efficiens, materialis, & formalis; atqui implicat causas efficientes materiales, & formales esse sibi mutuò causas quoad primum esse: ergo causæ reales, non possunt esse sibi mutuò causæ quoad primum esse.

Minor pr. Causæ efficientes, sicut & materiales, & formales possunt cõparari vel inter se, vel

efficiens cum materiali, aut formali, & contrà; sed siue comparẽtur efficientes inter se, siue efficiens cum materiali, aut formali, & contrà: implicat illas esse sibi mutuò causas quoad primum esse: ergo implicat causas efficientes, materiales, & formales esse sibi mutuò causas quoad primum esse.

Minor pr. Quæ sunt sibi mutuò causæ quoad primum esse dant sibi mutuò primum esse; atqui causæ efficientes inter se, & efficiens, & materialis, aut formalis non possunt sibi mutuò dare primum esse: ergo causæ efficientes inter se, & efficiens, & materialis, &c. non possunt sibi mutuò dare primum esse.

Minor pr. Implicat, vt duo dent sibi mutuò primum esse, & non dent; atqui causę efficientes inter se, aut efficiens, & materialis, vel formalis dantes sibi mutuò primum esse, dant sibi mutuò primum esse, & non dant: ergo causæ efficientes inter se, & efficiens, & materialis, aut formalis; non possunt sibi mutuò dare primum esse.

Admittunt aduersarij, *dare sibi mutuò primum esse: vt autem probem non dare, suppono claritatis causa duas illas causas efficientes, aut efficientem, & materialem dici vnam A, & alteram B, & sic argumentor:*

In suppositione facta A, ex concessis dat primum esse B; atqui B non dat primum esse A: ergo A & B non dant sibi mutuò primum esse.

Minor pr. Quod dat primum esse alteri, dat illi esse primo instanti, quo est, & non supponit ipsum aliunde habere esse, seu ab aliquo alio; atqui B supponit A aliunde habere esse: ergo B non

dat primum esse A.

M*inor pr.* Quod supponit A existere, aut eius existentiam supponit ipsum aliunde, seu ab aliquo alio habere esse; atqui B supponit A existere : ergo B supponit A aliunde habere esse.

Maior pr. Quod supponit A existere : supponit etiam quidquid requiritur ad illud existere, & esse ipsius; atqui ad illud existere requiritur, vt habeatur aliunde : ergo quod supponit A existere, aut eius existentiam supponit ipsum aliunde habere esse.

Minor pr. Ad illud existere A requiritur, vt sit à se, vel ab eo, quod illud supponit, vel aliunde; atqui non potest esse à se, neque ab eo, quod illud supponit esse : ergo debet esse aliunde.

Minor pr. Quod non est ens à se, non est à se, & quod supponitur ab alio, ab eo non accipit primò id, quod est, & suum existere; atqui existere A non est ens à se; & supponitur ab eo, cui dat primum esse: ergo non potest esse à se, neque ab eo, quod illud supponit.

Minor superioris argumenti, scilicet, B supponere existentiam A, probatur.

B supponit existentiam eius, à quo accipit primum esse; atqui B ex concessis accipit primum esse ab A: ergo B supponit A existere, & eius existentiam.

Maior pr. B supponit existentiam eius; cuius existentiam supponit : sua propria existentia, & entitas; atqui existentia, & entitas B supponit existentiam eius, à quo accipit primum esse: ergo B supponit existentiam eius, à quo accipit primum esse.

Minor pr. Existentia B, supponit illud, quod communicat ipsi primum esse; atqui existētia eius, à quo accipit primum esse communicat illi primum esse: ergo existentia B, supponit existentiam eius, à quo accipit primum esse.

Altera pars maioris superioris argumenti, quòd primum esse non supponat rem aliunde habere esse probatur,

Primum esse rei est illud; quod nullum habet antecedens; atqui quod supponit eam aliunde habere esse, supponit aliquod eius esse antecedens: ergo quod dat primum esse alteri, non supponit ipsum aliunde habere esse.

Minor pr. Quod supponit rem aliunde habere esse supponit illud eius esse: atqui illud eius esse est antecedens: ergo quod supponit eam aliunde habere esse, supponit aliquod eius esse antecedens.

Minor pr. Esse aliquod supponi, & esse antecedens sunt idem: atqui illud eius esse supponitur: ergo est antecedens.

Obijcies. Causas esse sibi mutuò causas quoad primum esse nihil aliud est, quàm causam dare primum esse effectui, & ab eo accipere primum esse: atqui nō implicat causam dare primum esse effectui, & ab eo illud accipere: ergo non implicat causas esse sibi mutuò causas.

Minor pr. Causam dare primum esse effectui, & ab eo accipere primum esse nihil aliud est, quàm dare illi esse primo instanti, quo est, & in eodē instanti ab eo illud accipere: sed causa potest dare esse suo effectui primo instanti, quo est, & in eodem vicissim ab eo illud accipere; ergo

non implicat causam dare primum esse effectui, & ab eo illud accipere.

Solutio: *Causam dare primum esse effectui, & ab eo illud accipere, nihil aliud est, quàm dare illi esse primo instanti, quo est, & ab eo accipere primum esse si non supponatur causa aliunde habere esse*, Concedo. *si supponatur aliunde habere esse*, Nego. *tunc enim, vt patet, esse, quod illi impertitur eius effectus non erit primum, sed secundum: atqui causa potest dare esse suo effectui primo instanti, quo est, & vicissim ab eo accipere esse, si supponatur aliunde habere esse*, Concedo. *si non supponatur ab alio habere esse*, Nego.

Contrà. Vinum, & piper calefacere stomachum, & simul calefieri ab illo, est calorem vini dare esse calori stomachi, & ab eo accipere esse eodem instanti: atqui calor vini non supponitur aliunde habere esse: ergo causa potest eodem instanti, quo est, dare esse effectui, & ab eo illud accipere, etiamsi non supponatur aliunde illud habere.

Solutio: *Vinum, & piper calefacere stomachum, & simul calefieri ab illo, est calorem vini formalem dare esse calori formali stomachi, & ab eo accipere esse eodem instanti*, Nego. *calorem vini virtualem dare esse calori formali stomachi, & ab eo non accipere esse*, Concedo. atqui *calor vini formalis, non supponitur aliunde habere esse*, Concedo. *virtualis*, Nego.

Contrà. Nullus est alius calor in vino, & pipere, quàm formalis: ergo fictitius est ille calor virtualis, dans esse calori formali stomachi, & ab eo non accipiens esse.

Antecedens pr. Nullus est alius calor in vino, quàm is, quem in illo experimur; atqui nullum alium, quàm formalem in illo experimur: ergo nullus alius est calor in vino, quàm formalis.

Maior pr. Nullus alius admitti debet calor in vino, quàm is, de quo est aliqua ratio, & fundamentum, propter quod asseramus illi inesse; atqui non est ratio, neque fundamentum vllum dicendi in illo esse alium calorem, quàm quem experimur: ergo nullus alius est calor in vino, quàm quem in illo experimur.

Minor pr. Fundamentum vnicum astruendi calorem in vino, est experientia sensuum: ergo non est ratio, neque fundamentum vllum dicendi in illo esse alium calorem, quàm quem experimur.

Solutio: ***Fundamentum vnicum astruendi calorem formalem in vino, est experientia sensuum,*** transeat. ***calorem virtualem***, Nego. ***Hic enim cùm nihil aliud sit, quàm vis productiua caloris formalis stomachi, & hac vis sit idem cum forma substantiali vini, qua non patet sensibus, sicut nec alia forma substantiales, dici non debet, quòd non sit aliud fundamentum illam astruendi, quàm experientia sensuum.***



DISPVTATIO III.

De Causa materiali, & formali.

SECTIO I.

Quid sit causa materialis, & quænam formarum materialium.

CONCLVSIO PRIMA:

Sola causa materialis est id, ex quo aliquid fit, ita vt insit.



RIMA *pars conclusionis probatur.* Ex illo omni fit aliquid, ita vt insit, quod exigit vniri cum eo, cui dat esse; atqui omnis causa materialis exigit vniri cum eo, cui dat esse: ergo causa materialis est id, ex quo fit aliquid ita vt insit.

Minor pr. Materia prima est causa materialis formarum substantialium corporearum, anima suarum volitionum, & sic de alijs; atqui materia exigit vniri cum formis substantialibus corporeis, & anima cũ suis volitionibus: ergo causa materialis exigit vniri cum eo, cui dat esse.

Minor pr. Materia prima, & anima exigunt vniri cum iis, à quibus perficiũtur; atqui materia prima perficitur à forma substantiali, & anima

à suis volitionibus : ergo materia exigit vniri formis substantialibus, & anima suis volitionibus.

Maior pr. Materia prima, & anima exigunt habere suas perfectiones; atqui illas habent cùm illis vniuntur: ergo exigunt illis vniri.

Secunda pars conclusionis probatur.

Non conuenit causæ formali, efficienti, & finali esse id, ex quo fit aliquid, ita vt insit: ergo sola causa materialis est id, ex quo aliquid fit ita vt insit.

Antecedens pr. Esse id, ex quo fit aliquid, ita vt insit, non conuenit illis, quæ non exigunt vniri cum eo, quod causant; atqui istæ causæ non exigunt vniri cum eo, quod causant: ergo esse id, ex quo fit aliquid ita vt insit, non conuenit causæ formali, efficienti, aut finali.

Minor pr. De alio non potest esse dubium, quàm de causa formali; atqui causa formalis nō vnitur cum eo, quod causat: ergo causa formalis non exigit vniri ei, quod causat.

Maior pr. Causa formalis vnitur tantùm suæ comparti; atqui non est causa suæ compartis: ergo non vnitur cum eo, quod causat.

Responderi posset *vniri non tantùm comparti, sed multo magis ipsi vnioni, qua illi coniungitur, quam cùm aliunde causare certum sit, certum quoque esse eam exigere vniri ei, quod causat.*

Contrà. Causa formalis est tantùm causa vnionis in genere causæ materialis: ergo quòd vniatur vnioni, non sequitur ipsam causare aliquid in genere causæ formalis, cui vniatur.

Antecedens pr. Causa formalis est tantùm cau-

ſa illius, in genere cauſæ materialis, cuius eſt ſubiectum; atqui eſt ſubiectum vnionis: ergo eſt tantùm eius cauſa in genere cauſæ materialis.

Conclvsio Secvnda:

Materia prima eſt cauſa materialis formarum ſubſtantialium corporearum.

Illvd eſt cauſa materialis formarum ſubſtantialium corporearum, quod illis dat eſſe, & cum illis exigit vniri; atqui materia prima dat eſſe formis ſubſtantialibus corporeis, & cũ illis exigit vniri: ergo eſt illarum cauſa materialis.

Secunda pars minoris clara eſt, & prima probatur.

Illud dat eſſe formis ſubſtantialibus corporeis, à quo illæ pendent in ſuo conſeruari; atqui formæ ſubſtantiales corporeæ pendent in ſuo conſeruari à cauſa materiali: ergo materia dat eſſe formis ſubſtantialibus corporeis.

Minor pr. Formæ ſubſtantiales corporeæ ab illo pendent in conſeruari, à quo cùm ſeparantur pereunt; atqui cùm ſeparantur à materia pereunt: ergo pẽdent in ſuo conſeruari à materia.

Minor pr. Formæ ſubſtantiales non perſtant ſeparatæ à materia: ergo ſeparatæ à materia pereunt.

Antecedens pr. Formæ ſubſtantiales ſeparatæ à materia, vel perſtant in eo loco, in quo eſt materia, vel abeunt in alium locum; atqui non perſtãt in eo loco, in quo eſt materia, neque abeũt in alium: ergo non perſtant ſeparatæ à materia.

Minor pr. Formæ illæ perſtantes in loco, in quo eſt materia, aut abeuntes in alium, producere debent in illis effectus ſibi connaturales; atqui non producunt illos: ergo non perſtant in eo loco, in quo eſt materia, neque abeunt in alium.

Minor probatur. Effectus connaturales formis ignis ſunt calor, & lux; atqui ſeparatæ à materia non producunt calorem: neque lucem in illis locis: ergo non producunt effectus ſibi connaturales in illis locis.

Minor pr. In illis locis non videtur lux, neque ſentitur calor: ergo non producunt in illis locis calorem, neque lucem.

Maior ſuperioris argumenti, producere, ſcilicet, debere in locis, in quibus ſunt, effectus ſuos connaturales, probatur.

Cauſa neceſſaria non poteſt non operari vbi eſt effectus ſuos connaturales; atqui iſtæ formæ ſunt cauſæ neceſſariæ: ergo vbi ſunt producere debent ſuos effectus connaturales.

Diſtinguunt aduerſarij: *Cauſa neceſſaria non poteſt non operari vbi eſt. poſitis omnibus ad agendum requiſitis,* Concedunt. *deficiente aliquo ex requiſitis.* Negant. atqui *iſtæ formæ ſunt cauſa neceſſaria, & habent omnia requiſita ad agendum,* Negant. *& non habent,* Concedunt.

Contrà. Non poteſt dici deeſſe iſtis formis aliud ad agendum, quàm quòd non ſint in ſubiecto; atqui eſſe in ſubiecto ex ſuppoſitione, quòd poſſint ab illo ſeparatæ perſeuerare, non eſt aliquid requiſitum, vt operentur: ergo habent omnia requiſita ad operandum.

Minor pr. Ad hoc; vt iſtæ formæ operentur

nihil aliud requiritur, quàm vis in ipsis ad producendos suos effectus, & capacitas in subiecto ad illos recipiendos; atqui in illis perstantibus sine subiecto est vis ad producendos suos effectus, & capacitas in subiecto ad illos recipiendos: ergo esse in subiecto non est aliquid requisitum, vt operentur si possunt perseuerare separatæ ab illo.

Minor pr. In forma ignis perseuerante, post separationem à materia est vis ad producendum calorem, & lucem, & capacitas in aëre v. g. ad vtrumque recipiendum: ergo in illis perstantibus sine subiecto, est vis ad producendos suos effectus, & capacitas in subiecto ad illos recipiendos.

Secunda pars minoris patet, & secunda probatur.

Vis in forma ignis ad producendum calorem, & lucem nihil est aliud, quàm eius entitas; atqui est illa entitas cùm perseuerat separata à materia: ergo est vis in forma ignis separata à materia ad producendum calorem.

Maior pr. Vis illa debet esse sola entitas, formæ ignis, vel materia simul cum ipsa; atqui non est materia: ergo nihil est aliud quàm eius entitas.

Minor pr. Quod non est actiuum, non est simul cum forma ignis huiusmodi vis; atqui materia non est actiua actione transeunte: ergo vis illa non est materia simul cum ipsa.

CONCLVSIO TERTIA:

Eductio non est productio formæ ex aliqua sui parte praexistente in materia.

EDVCTIO nihil est aliud, quàm actio productiua formæ ex materia; atqui illa actio, non est productio formæ ex aliqua sui parte præexistente in materia : ergo eductio non est productio formæ ex aliqua sui parte præexistente in materia.

Minor pr. Nihil formæ præexistit in materia : ergo illa actio, non est productio formæ ex aliqua sui parte præexistente in materia.

Antecedens pr. Illud formæ præexistens in materia, vel fuit creatum, vel eductum ; atqui neutrum dici potest : ergo nihil formæ præexistit in materia.

Prima pars minoris probatur.

Quod est eiusdem rationis cum eo, quod non est creatum, ipsum etiam non est creatum ; atqui illud præexistens est eiusdem rationis cum eo, quod non est creatum : ergo ipsum non est creatum.

Minor pr. Illud præexistẽs est eiusdem rationis cum eo, quod de nouo fit; atqui quod de nouo fit non est creatum : ergo neque præexistens.

Secunda pars minoris superioris argumenti, illud formæ praexistens non posse esse eductum, probatur.

Quod est eductũ, fit ex aliqua sui parte præexistente, per aduersarios; atqui dici non potest, quòd

quòd illud præexistens fiat ex aliqua sui parte prçexistente: ergo non est eductum.

Minor pr. Pars illa præexistens debet ipsa fieri ex alia præexistente, & ista ex alia in infinitum, vel non fieri ex alia: atqui neutrum dici potest: ergo dici non potest, quòd illud præexistens fiat ex aliqua sui parte præexistente.

Prima pars minoris probatur.

Partẽ præexistentem fieri ex alia præexistente, & istam ex alia sine fine, est dari processum infinitum in causis: atqui non datur huiusmodi processus: ergo pars præexistens non fit ex alia prçexistente.

Secunda pars minoris superioris argumenti pr.

Quod est eiusdem rationis cum eo, quod fit ex aliqua sui parte præexistente, debet & ipsum eodem modo fieri; atqui pars præexistens est eiusdem rationis cum aliquo, quod fit ex aliqua sui parte prçexistente: ergo fieri debet & ipsa ex aliqua sui parte præexistente.

Minor pr. Pars præexistens est eiusdem rationis cum eo, cui præexistit; atqui id cui præexistit fit ex aliqua sui parte prçexistente: ergo pars præexistens est eiusdem rationis cum aliquo, quod fit ex aliqua sui parte prçexistente.

Minor pr. Quod est eductũ fit ex aliqua sui parte præexistente. atqui id, cui præexistit est eductũ: ergo fit ex aliqua sui parte præexistente.

Obiicies. Eductio, quæ non est productio formæ ex aliqua sui parte præexistente est creatio: atqui eductio non est creatio: ergo eductio est productio formæ ex aliqua sui parte præexistente.

Maior pr. Creatio eſt productio ex nihilo; ſed eductio, quæ non eſt productio formæ ex aliqua ſui parte præexiſtente, eſt productio formæ ex nihilo: ergo eductio, eſt creatio.

Solutio: *Creatio eſt productio rei ex nihilo ſui, & ſubiecti*, Concedo. *ex nihilo ſui tantùm*, Nego. atqui *eductio, quæ non fit ex parte præexiſtente, eſt productio formæ ex nihilo ſui*, Concedo. *ex nihilo ſubiecti*, Nego. *Ratio eſt, quia ad hoc, vt aliquid creetur non debet tantùm fieri de nouo, ſeu ex nihilo ſui, ſed præterea ex nihilo ſubiecti, ſeu independenter à ſubiecto, quod certè non conuenit rei, quæ educitur, quippe quæ fiat concurrente ſubiecto.*

QVARTA CONCLVSIO:

Productio vnionis, & productio formæ realiter diſtinguuntur.

ILLÆ actiones realiter diſtinguuntur, quæ habent terminos realiter diſtinctos; atqui productio vnionis, & productio formæ habent terminos realiter diſtinctos: ergo productio vnionis, & productio formæ realiter diſtinguuntur.

Minor pr. Terminus productionis formæ eſt forma, & productionis vnionis eſt vnio; atqui forma, & vnio realiter diſtinguuntur: ergo productio vnionis, & productio formæ habent terminos realiter diſtinctos.

Diſtinguunt aduerſarij: *Terminus productionis vnionis eſt vnio diſtincta ab illa productione*, Nego. *non diſtincta*, Concedo.

Contrà, Productio illa diſtinguitur ab vnio-

ne: ergo nulla solutio,

Antecedens pr. Productio illa distinguitur ab eductione formæ: ergo & ab vnione.

Antecedens pr. Eductio formæ non est vnio: ergo productio vnionis distinguitur ab eductione formæ.

Antecedens pr. Illa non sunt idem, quibus conueniunt prædicata contradictoria; atqui vnioni, & eductioni formæ conueniunt prædicata contradictoria: ergo eductio formæ non est vnio.

Minor pr. Esse idem secundo instanti, quo primo, & non esse idem, sunt prædicata contradictoria; atqui illa conueniunt vnioni, & eductioni formæ: ergo vnioni, & eductioni conueniunt prædicata contradictoria.

Minor pr. Eductio formæ ignis v. g. secundo instanti, non est eadem non modò numero, sed neque specie, ac erat primo; atqui vnio formæ ignis cum materia est eadem: ergo vnioni, & eductioni ignis conueniunt esse idem, & non esse idem secundo instanti, quo primo.

Maior pr. Non est eadem actio, cùm non sunt eædem illius causæ; atqui causæ eductionis formæ ignis non sunt eædem specie secundo instāti, ac primo: ergo eductio formæ ignis non est eadem secundo instanti, ac erat primo.

Minor pr. Primo instanti, causa illius eductionis est alter ignis cum Deo, & secundo instanti solus Deus; atqui Deus distinguitur specie ab alio igne: ergo causæ eductionis ignis non sunt eædem specie.

Obiicies. Eductio formæ materialis non distinguitur ab eius vnione: ergo productio formæ

& productio vnionis nō distinguuntur realiter.

Antecedens pr. Eductio formæ non distinguitur à passione; atqui passio, & vnio sunt idem: ergo eductio formę non distinguitur ab vnione.

Minor pr. Passio, & receptio sunt idem; atqui receptio, & vnio sunt idem: ergo etiam passio, & vnio sunt idem.

Solutio: *Passio, & receptio per dependentiam sunt idem*, Concedo. *per informationem*, Nego. atqui *receptio per informationem, & vnio sunt idem*, Concedo. *Receptio per dependentiam, & vnio sunt idem*, Nego. *Ratio est; quia quacunque receptio formæ in materia non est vnio, sed tantùm illa, quæ est inexistentia formæ in materia per propriam, & veram informationem.*

Contrà. Receptio formæ in materia per dependentiam est vera vtriusque vnio: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Illud est vnio materiæ, & formæ per quod fiunt indistantes, & inseparabiles illo perstante; atqui per receptionem formę in materia per dependentiam materia, & forma fiunt in distantes, & inseparabiles: ergo receptio formę in materia, per dependentiam est vera vtriusque vnio.

Solutio: *Illud est vnio materiæ, & formæ, per quod fiunt illo perstante indistantes, & inseparabiles tantùm*, Nego. *Vbi enim commune materiæ, & formæ, quod dari posset hoc præstaret, & tamen non esset vnio illarum; per quod fiunt indistantes, & inseparabiles, & præterea vnum*, Concedo. atqui *per receptionem formæ in materia, per dependentiam materia, & forma fiunt indistantes,*

& inseparabiles, & præterea vnum, Nego. *& non fiunt vnum*, Concedo.

Contrà Id, per quod materia, & forma fiunt indistantes, & inseparabiles facit illas esse vnum: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Illud facit materiam, & formam esse vnum, quod facit illas esse quid coniunctum; atqui id, per quod, dum perstat, fiunt indistantes, & inseparabiles facit illas esse quid coniunctum: ergo & quid vnum.

Solutio: *Illud facit materiam, & formam esse vnum, quod facit illas esse quid coniunctum vera, & propria coniunctione, seu ea, per quam fit, vt quò vnum trahitur, debeat & sequi aliud,* Concedo. *impropria coniunctione, seu ea, per quam fit, vt quò vnum trahitur, eò non debeat aliud deferri*, Nego.

Contrà. Quod facit materiam, & formam esse quid coniunctum ea coniunctione, vt quò vnum defertur, debeat & deferri aliud, facit illas verè vnum; atqui receptio formæ in materia per dependentiam facit illas esse quid coniunctum ea coniũctione: ergo receptio formæ in materia per dependentiam facit illas esse verè quid vnũ.

Minor pr. Non minùs receptio formæ substantialis in materia per dependentiam facit illas esse quid vnum, & coniunctum ea coniunctione, quàm receptio accidentis in subiecto, faciat esse illud quid coniunctum cum subiecto ea coniunctione; atqui receptio accidentis in subiecto, facit illud esse coniunctum ea coniunctione: ergo & receptio formæ in materia per dependentiam.

Minor pr. Inhærentia accidentis in ſubiecto facit illud eſſe cõiunctum cum ſubiecto ea coniunctione; atqui inhærentia accidentis in ſubiecto nihil aliud eſt, quàm receptio accidentis in ſubiecto per dependentiam: ergo receptio accidentis in ſubiecto, &c.

Minor pr. Inhærentia nihil eſt aliud, quàm actio, per quam accidens dependet à ſubiecto; atqui illa actio eſt receptio accidentis in ſubiecto per dependentiam: ergo inhærentia accidentis in ſubiecto nihil aliud eſt quàm receptio accidentis in ſubiecto per dependentiam

Maior pr. Inhærentia debet eſſe, vel actio, per quam accidens dependet à ſubiecto, vel per quam ei vnitur; atqui actio, per quam accidens vnitur ſubiecto eſt actio, per quam ab eo dependet: ergo inhærentia nihil aliud eſt, quàm actio per quam accidens dependet à ſubiecto.

Minor pr. Actio, per quam accidens vnitur ſubiecto, diſtingui non debet ſine fundamento ab actione, per quam ab eodem dependet; atqui nullum eſt fundamentum eas diſtinguendi: ergo actio, per quam accidens vnitur ſubiecto eſt actio, per quam ab eo dependet.

Minor pr. Fundamentum, quod afferri poteſt ad probandum eas diſtingui, eſt poſſibilis illarum ſeparabilitas; atqui ſeparari non poſſunt: ergo nullum eſt fundamentum eas diſtinguẽdi.

Minor pr. Separatio duarum illarum actionum ſupponit, accidens vniri poſſe ſubiecto abſque eo quòd ab eo dependeat, aut dependere abſque eo quòd vniatur; atqui accidens vniri non poteſt ſubiecto, quin dependeat, neque dependere, quin

vniatur : ergo duæ illæ actiones separari non possunt.

Solutio : *Neganda est minor. Ratio est, quia vniri subiecto est illi ita esse coniunctum, vt quò ipsum trahitur, sequi etiam debeat, quod est illi vnitum: dependere verò à subiecto est accipere ab eo esse. Fieri autem potest, vt patet, vt accidens ita coniungatur subiecto, vt quò istud trahitur, trahatur illud, & sequi debeat, absque eo quòd hoc accipiat esse ab illo. Multa enim alia sunt quæ possunt illi illud dare. Contingere etiam potest, vt subiectum det illi esse, & tamen non habeat illud ita sibi alligatum, vt quò defertur istud sequi debeat, ex eo enim non sequitur, vt clarum est, ab eo accipere esse, & non accipere; sed tantùm accipere esse, & non debere sequi suam causam, quod longè diuersum est à non accipere esse.*

CONCLVSIO QVINTA:

Plures formæ substantiales non possunt esse naturaliter simul in eadem materia.

NON sunt plures formæ substantiales in materia, quàm ipsa habeat virtutem sustentandi; atqui materia non habet virtutem sustentandi simul duas formas substantiales : ergo non possunt esse simul in eadem materia naturaliter.

Minor pr. Non debemus concedere illam virtutem materiæ sine fundamento; atqui nullum est id asserendi : ergo materia non habet virtutem sustentandi simul duas formas.

Minor pr. Fundamentum illud debet esse vel

experientia, vel efficax aliqua ratio; atqui neutrum nobis hoc suadet; ergo nullum est fundamentum.

Secunda pars minoris probatur.

Non potest afferri alia ratio, quàm quòd materia recipere possit plures formas accidentales; atqui hæc ratio non est efficax: ergo non est efficax aliqua ratio.

Minor pr Illa ratio non est efficax ad probandum huiusmodi virtutem inesse materiæ, ex qua hoc deduci non potest; atqui ex eo quod materia habeat plures formas accidentales deduci non potest materiam habere virtutem sustentandi simul plures formas substantiales: ergo hæc ratio non est efficax.

Minor pr. Ex eo, quòd materia habeat virtutem minorem, non licet inferre habere maiorẽ; atqui posse habere plures formas accidẽtales est habere virtutem minorem, quàm sit posse habere multas substãtiales: ergo ex eo quòd materia habeat plures formas accidentales, deduci non potest habere etiam virtutem sustentandi multas substanriales.

Minor pr. Plus requiritur virtutis ad habendas multas formas substantiales, quàm accidentales: ergo posse habere multas accidentales, est habere virtutem minorem, quàm sit habere multas substantiales.

Antecedens pr Substantiales sunt nobiliores, & vnaquæque trahit secum multas accidentales: ergo plus requiritur virtutis ad habendas multas formas substantiales, quàm accidentales.

SECTIO III.

Quænam sit causa materialis formarum accidentalium.

FORMÆ accidentales, aliæ sunt materiales, aliæ immateriales, aliæ vitales, aliæ non vitales, aliæ naturales, aliæ supernaturales, aliæ perfectæ, aliæ modales. Materiales sunt illæ, quæ habent aliquam dependentiam à re impenetrabili. Immateriales, nullam habent huiusmodi dependentiam. Vitales exigunt fieri, & recipi in principio viuente, non vitales id non exigunt ex propria ratione. Naturales fieri possunt naturæ viribus, supernaturales sunt supra vires totius naturæ. Perfectæ possunt esse diuinitus sine suo subiecto, imperfectæ non possunt. Præmittenda fuit ideò explicatio naturæ vniuscuiusque ex his formis accidentalibus, vt quæ de earum causa materiali statuemus, faciliùs capiantur.

CONCLVSIO PRIMA:

Materia prima est subiectum primum, & vltimum inhæsionis accidentium materialium non modalium.

SVBIECTVM inhæsionis huiusmodi accidentium est, vel totum, vel materia prima, vel forma; atqui non est primum, nec vltimum: ergo est secundum.

G v

Prima pars minoris probatur.

Nomine totius nihil aliud poteſt intelligi, quàm partes illud conſtituentes ſimul ſumptæ, vel tertia aliqua entitas; atqui ſubiectum inhæſionis accidentium materialium non modalium, non eſt partes ſimul ſumptæ, neque tertia illa entitas: ergo neque etiam totum.

Secunda pars minoris probatur primò.

Quod eſt commentitium, non poteſt dici ſubiectum illorum accidentium; atqui tertia illa entitas eſt quid commentitium, ex ſect. 9. diſp. 2. ſuperioris tractatus: ergo illa tertia entitas non eſt ſubiectum illorum accidentium.

Prima pars minoris prioris argumenti probatur ſecundò.

Inter partes ſimul ſumptas includitur forma; atqui forma non eſt ſubiectum illorum accidentium: ergo partes ſimul ſumptæ, non ſunt ſubiectum illorum accidentium.

Minor pr. Forma non eſt ſubiectum accidentium: quæ illi præſupponuntur, & ad quæ ſæpe eſt improportionata, aut etiam habet repugnantiam; ſed accidẽtia iſta præſupponuntur formæ, & ipſa ſæpe ad illa eſt improportionata, aut habet repugnantiam: ergo forma non eſt illorum ſubiectum.

Prima pars minoris probatur.

Illud præſupponitur formæ, quod eſt diſpoſitio ad illam; atqui iſta accidentia ſunt diſpoſitiones ad formam: ergo præſupponuntur formæ.

Minor pr. Illa accidentia ſunt quantitas, calor, frigus, &c. atqui quantitas, calor, frigus, &c. sũt

dispositiones ad formam: ergo & ista accidētia.

Minor pr. Quod determinat materiam ad hanc potiùs formam, quàm ad aliam, est dispositio ad illam; atqui quantitas, calor, frigus, &c. in tali, aut tali intensione determinant materiā ad hanc potiùs formam, quàm ad aliam: ergo sunt dispositiones ad illam.

Secunda pars minoris superioris argumenti, quòd forma sæpe ad illa sit improportionata, aut habeat repugnantiam, pr.

Anima rationalis est improportionata ad quātitatem, frigus, &c. & forma aquæ habet repugnantiam cum calore: ergo forma est sæpe improportionata ad illa accidentia, aut habet repugnantiam cum illis.

Obiicies. Ex Aristotele prima substantia est subiectum accidentium; atqui materia prima non est prima substantia: ergo materia prima non est subiectum accidentium materialium non modalium.

Solutio: *Ex Aristotele prima substantia adæquatè sumpta est subiectum accidentium*, Nego. *in adæquatè sumpta*, Concedo. atqui *materia prima non est prima substantia adæquatè sumpta*, Concedo. *inadæquatè sumpta*. Nego.

Contrà. Prima substantia adæquatè sumpta est materia, & forma vnitæ; atqui materia non est tantùm subiectum illorum accidentium, sed etiam forma: ergo prima substantia adæquatē sumpta, est subiectum illorum accidentium.

Minor pr. Suppositum est subiectum illorum accidentium; atqui suppositum non est tantùm materia, sed etiam forma: ergo materia non est

tantùm subiectum illorum accidentium, sed etiam forma.

Solutio: *Suppositum est subiectum denominationis illorum accidentium*, Concedo. *Inhæsionis*, Nego. *& concessa minori: ergo materia non est tantùm subiectum inhæsionis illorum accidentium*, Nego. *denominationis*, Concedo.

Contrà. Forma est subiectum inhæsionis illorum accidentium: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Quod est subiectum inhæsionis quantitatis, est etiam subiectum inhæsionis aliorum accidentium; atqui forma est subiectum inhæsionis quantitatis: ergo & aliorum accidentium.

Minor pr. Quod participat impenetrabilitatē partium est subiectū inhæsionis quantitatis, aut illi inhæret; atqui forma participat impenetrabilitatem partium, & non inhæret quantitati: ergo forma est subiectū inhæsionis quantitatis.

Solutio: *Neganda est maior. Ratio est, quia ad hoc vt forma participet impenetrabilitatem partium sufficit, vt recipiatur in eo, quod est subiectum quantitatis, licèt non recipiat illam, nec recipiatur in illa. Hoc autem illi propriè conuenit, quippe quæ recipiatur in materia, quæ est subiectum inhæsionis quantitatis.*

Contrà. Forma non ideo est quanta, quia recipitur in materia quanta: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Quod est quantum quia recipitur in materia quanta, vnitur materiæ mediante quantitate; atqui forma non vnitur materiæ mediante quantitate: ergo non ideo est quanta, quia recipitur in materia quanta.

[s]olutio: *Quod est quantum quia recipitur in* [ma]*teria quanta vnitur materia mediante quan*[tit]*ate, cui vt subiecto vniatur,* Nego. *vnitur ma*[ter]*ia mediante quantitate tanquam conditione* [ben]*è disponente, & præsupposita,* Concedo. atqui [for]*ma non vnitur materia mediante quantitate,* [qua]*si vt subiecto vniatur,* Concedo. *tanquam con*[di]*tione benè disponente, & præsupposita,* Nego. si [en]*im materia non haberet quantitatem, per quam* [ext]*enerentur eius partes alia extra alias, non posset* [re]*cipere formam, neque hæc habere in illa acci*[d]*entia sibi conuenientia, & exercere operationes* [co]*nnaturales.*

Conclvsio Secvnda:

Accidentia non modalia, & non vitalia inhærent immediatè quantitati.

Qvando aliquid non repugnat, communior est sensus auctorum ita esse, & non deest coniectura probabilis id suadens, asserendum est ita esse; atqui non repugnat accidentia non modalia, & non vitalia inhærere immediatè quantitati, communior est sensus auctorum ita se habere, & non deest coniectura valdè probabilis id suadens: ergo accidentia non modalia & non vitalia inhærent immediatè quantitati.

Prima, & secunda pars minoris clara sunt, & tertia probatur.

Accidentia Eucharistica sunt non vitalia, & non modalia; atqui probabilis est coniectura illa inhærere immediatè quantitati: ergo proba-

bilis est coniectura, accidentia non vitalia, & non modalia inhærere immediatè quantitati.

Minor pr. Quod accidentia Eucharistica simul omnia moueantur, & alterari possint ab agentibus naturalibus, nō improbabilis est coniectura illa inhærere alicui communi subiecto; atqui nullum aliud conuenientius assignari potest, quàm quantitas: ergo probabilis est coniectura illa inhærere immediatè quantitati.

Minor pr. Subiectum commune illis accidentibus non potest esse nisi qualitas aliqua prima, vel secunda, aut quantitas; atqui non est qualitas prima, nec secunda: ergo est quantitas.

Minor pr. Commune subiectum illorum accidentium debet illis præsupponi; atqui qualitas secunda non præsupponitur primis, neque vna prima aliis etiam primis: ergo non est qualitas prima, nec secunda.

Maior superioris argumenti, ex eo quòd simul moueantur & alterari possint ab agentibus naturalibus inhærere communi subiecto, probatur.

Quòd accidentia Eucharistca simul omnia moueantur, & alterari possint ab agentibus naturalibus, fieri nō potest nisi habeant commune subiectum, vel admittantur innumera miracula; atqui non improbabilis est coniectura admittenda non esse huiusmodi innumera miracula: ergo quòd accidentia Eucharistica simul omnia moueantur, & alterari possint ab agentibus naturalibus, non improbabilis est coniectura illa inhærere alicui communi subiecto,

Minor pr. Non improbabilis coniectura est Deum minuere potiùs voluisse quàm augere dif-

ficultates huius mysterij; atqui huiusmodi difficultates valdè minuuntur non admittendo innumera illa miracula: ergo non improbabilis est coniectura ea non esse admittenda.

Minor pr. Qui tollit multas difficultates huius mysterij minuit illas valdè; atqui quodlibet miraculum est difficultas in hoc mysterio: ergo nõ admittendo innumera miracula minuuntur valdè difficultates huius mysterij.

Minor pr. Illud est difficultas in hoc mysterio, quod reddit illud difficiliùs credibile; atqui quodlibet miraculum reddit illud difficiliùs credibile: ergo quodlibet miraculum est difficultas in hoc mysterio.

Minor pr. Illud reddit mysterium hoc difficiliùs credibile, quod facit illud esse magis supra nostrum captum; atqui quodlibet miraculum facit illud esse magis supra nostrum captum: ergo reddit illud difficiliùs credibile.

Minor pr. Illud facit hoc mysterium esse magis supra nostrum captum, quod facit vt inuoluat plura contra sensuũ experientiam, & supra vires naturę; atqui quodlibet miraculum est cõtra experientiam sensuum, & supra vires naturæ: ergo quodlibet miraculum facit illud esse magis supra nostrum captum.

Obiicies. Accidentia non vitalia, & non modalia non inhærent immediatè ei, quod non est illorum causa materialis; atqui quantitas non est causa materialis accidentium non vitaliũ, & non modalium: ergo accidentia non vitalia, & nõ modalia nõ inhærent immediatè quantitati.

Minor pr. Illud non est causa materialis isto-

rum accidentium, quod illis non dat esse; atqui quantitas non dat illis esse: ergo non est illorum causa materialis.

Minor pr. Quantitas non habet virtutem ad illis dandum esse: ergo non dat illis esse.

Antecedens pr. Nullum est fundamentum tribuendi quantitati virtutem ad dandum esse accidentibus non vitalibus, & non modalibus: ergo quantitas non habet virtutem ad illis dandum esse.

Antecedens pr. Fundamentum illud non potest esse, nisi efficax aliqua ratio, aut experientia; atqui nulla est ratio efficax, neque experientia, quæ id suadeat: ergo nullum est fundamentum tribuendi quantitati virtutem ad dandum esse accidentibus non vitalibus, & non modalibus.

Prima pars minoris probatur, secunda enim patet.

Illa ratio non potest esse alia, quàm quod videantur subiectari in quantitate Eucharistica; atqui non subiectantur in illa: ergo nulla est ratio efficax, quæ id suadeat.

Minor pr. Ratio propter quam dicant aduersarij subiectari in quantitate Eucharistica, est ne multiplicentur miracula; atqui hæc ratio nulla est: ergo non subiectantur in illa.

Minor pr. Multiplicatio miraculorum non est sufficiens fundamentum ad inuehendum nouū aliquod ens in rerum naturam, aut tribuendum rei alicui virtutem aliquam nouam: ergo hæc ratio non sufficit.

Solutio: *Multiplicatio miraculorum sola, &*

præcisè sumpta non est sufficiens fundamentum ad inuehendum nouum aliquod ens in rerum naturam aut tribuendum rei alicui virtutem aliquam nouam, Concedo. *accedente communi consensu auctorum ita existimantium*, Nego.

Contrà. Inuehere in rerum naturam ens aliquod nouum, aut tribuere rei alicui virtutem aliquam nouam, est facere aliquid diuersum in rebus naturalibus; atqui multiplicatio miraculorum etiam accedente communi consensu nihil debet dici facere diuersum in rebus naturalibus: ergo multiplicatio miraculorum etiam accedente communi consensu non est sufficiens fundamentum ad inuehendum ens aliquod nouum, aut tribuendi rei alicui virtutem aliquam nouam.

Minor pr. Quod non est secundùm ordinem statutum in natura, etiam accedente communi consensu nihil debet dici facere diuersum in rerum natura; sed multiplicatio miraculorum non est secundùm ordinem statutum in natura: ergo etiam accedente communi consensu nihil debet dici facere diuersum in rebus naturalibus.

Maior pr. Quod accedente alio non fit magis efficax ad faciendum aliquid diuersum in rebus naturalibus, non debet dici magis facere illud diuersum, illo accedente, quàm solum; atqui communis consensus accedens ad id, quod non est secundùm ordinem statutum in natura non facit illud magis efficax, vt possit dici facere aliquid diuersum in rebus naturalibus: ergo quod non est secundùm ordinem statutum in rerum natura, etiam accedente communi consensu, ni-

hil debet dici facere diuersum in rebus naturalibus.

Minor pr. Vt communis consensus additus ei quod non est secundùm ordinem statutum in natura reddat illud magis efficax, debet ipse esse prudens; atqui communis consensus, qui dicitur additus ei, quod non est secundùm ordinem statutum in rerum natura, non est prudens: ergo communis consensus accedens ad id, quod non est secundùm ordinem statutum in natura, non facit illud magis efficax vt possit dici facere aliquid diuersum in rebus naturalibus.

Minor pr. Vt consensus ipse sit prudens niti debet ratione aliqua sufficienti; atqui nulla nititur ratione sufficienti: ergo non est prudens.

Minor pr. Tota ratio qua nititur ipse consensus est, vt vitetur illud, quod non est secundùm ordinem naturæ; atqui illud quod non est secundùm ordinem naturæ ex concessis non est ratio sufficiens: ergo consensus iste nulla nititur ratione sufficienti.

Solutio: *Neganda est maior. Ratio enim illa non est præcisè, vt vitetur quod non est secundùm ordinem naturæ, seu multiplicatio miraculorum; sed quia cùm non repugnet vnum accidens esse subiectum alterius, & aliunde quantitas ex eo, quòd sit proprietas materiæ videatur præsupponi alijs, & illa antecedere, sicut & materia. Accedente nouo commodo, nimirum vitatione multorum miraculorum in sacramento Eucharistiæ, prudenter existimatur quantitas subiectum aliorum accidentium.*

SECTIO IV.

Ex quanam potentia educantur accidentia supernaturalia, & quanam sit causalitas causæ formalis.

CONCLVSIO PRIMA:

Accidentia supernaturalia quoad modum, & quoad substantiam educuntur ex potentia obedientiali subiecti.

ILLVD educitur ex potentia obedientiali subiecti, quod subiectum recipere non potest ab agente naturali; atqui subiectum recipere non potest huiusmodi accidentia ab agente naturali: ergo educuntur ex potentia obedientiali subiecti.

Minor pr. Subiectum recipere non potest ea accidentia ab alio, quàm ab eo, quod potest illa efficere; atqui agens naturale non potest illa efficere: ergo subiectum non potest ea recipere ab agente naturali.

Minor pr. Agens naturale non potest efficere illud, quod est supernaturale; atqui illa accidentia sunt supernaturalia, vel quoad modum, vel quoad substantiam: ergo agens naturale ea efficere non potest.

Obijcies. Gratia, & dona supernaturalia sunt

accidentia supernaturalia quoad substantiam; atqui illa non educuntur ex potentia obediẽtiali subiecti: ergo accidẽtia supernaturalia quoad substantiam non educuntur ex potentia obedientiali subiecti.

Minor pr. Quod nullo modo educitur, non educitur ex potentia obedientiali subiecti; atqui gratia & dona supernaturalia nullo modo educuntur: ergo non educuntur ex potentia obiedientiali subiecti.

Minor pr. Quod non fit dependenter à subiecto non educitur; atqui ista accidentia non fiunt dependenter à subiecto: ergo nullo modo educuntur.

Minor pr. Quod infunditur, aut concreatur non fit dependenter à subiecto; atqui ista accidentia infunduntur, aut concreantur ex sanctis Patribus: ergo non fiunt dependenter à subiecto.

Solutio: *Quod infunditur, hoc est fit ab agente extrinseco, aut concreatur, hoc est producitur tunc, cùm producitur eius subiectum, non fit dependenter à subiecto,* Nego. *quod infunditur, hoc est, non habet suum esse vllo modo à subiecto, aut concreatur, hoc est, ex nihilo non tantùm sui, sed etiam subiecti, non fit dependenter à subiecto,* Concedo. Atqui *ista accidentia infunduntur, hoc est, fiunt ab agente extrinseco, & concreantur, hoc est, tunc producuntur cùm producitur eorum subiectum,* Concedo. *Infunduntur, hoc est nullo modo habent esse à subiecto, & concreantur, hoc est, fiunt ex nihilo sui, & subiecti,* Nego. *Ista accidentia sunt quidem ab agente extrinseco, Deo scilicet, sed dependenter à nobis non modo tanquam partialibus*

ugētibus, sed etiā subiectis, ac proinde non creātur.

SECVNDA CONCLVSIO:

Causalitas causæ formalis est vnio.

ILLVD est causalitas causæ formalis, quo posito constituitur actu causans; atqui posita vnione constituitur actu causans: ergo vnio est causalitas causæ formalis.

Minor pr. Illo posito causa formalis constituitur actu causans, quo posito fit pars actuans totius; atqui posita vnione fit pars actuans totius: ergo posita vnione constituitur actu causans.

Minor pr. Causa formalis illo posito fit pars actuans totius, quo posito vnitur materiæ; atqui posita vnione vnitur materiæ: ergo posita vnione fit pars actuans totius.

Obÿcies. Causa formalis posita vnione non constituitur actu causans: ergo vnio non est eius causalitas.

Minor pr. Posita vnione nihil causat in genere causæ formalis: ergo posita vnione non constituitur actu causans.

Antecedens pr. Nihil aliud dici potest causare, quàm materiam, vel vnionem, aut seipsam; atqui non causat materiam, neque vnionem, neque seipsam: ergo posita vnione nihil causat in genere causæ formalis.

Solutio: *Nihil aliud dici potest causare quàm materiam, vnionem aut seipsam, seorsim illa sumendo,* Nego, *simulsumpta,* Concedo. atqui *non causat materiam, neque vnionem, neque seipsam*

seorsim illa sumendo, Concedo. *simul sumpta, & in ratione totius*, Nego.

Contrà. Causa formalis debet aduenire, & informare illud, quod causat; atqui non aduenit, neque informat illa tria simul sumpta: ergo non causat illa etiam simul sumpta.


Solutio: *Causa formalis debet aduenire, & informare illud, quod causat adaquatè sumptum* Nego. *inadequatè sumptum, seu secundum alteram sui partem*. Concedo. Atqui *non aduenit, neque informat illa tria simul sumpta, & hae ita sumpta sunt eius causatum adaquatè sumptum*. Concedo. *inadaquatè sumptum*, Nego.

Contrà. Causa formalis eo modo debet aduenire, & informare illud, quod causat, quo illud causat; atqui causat illud adæquatè sumptum, & non tantùm inadæquatè: ergo causa formalis debet aduenire, & informare illud, quod causat adæquatè sumptum.

Solutio: *Neganda est maior. Ratio est facilis: quia causa formalis non debet, imò fieri non potest, vt adueniat ei, quod causat. Aduenire enim supponit illud esse, & causare non esse. quare ad hoc, vt aliquid sit causa formalis alterius, sufficit, vt sit pars illius, talis tamen, vt adueniat sua comparti, quod sanè facit in composito forma substantialis. Est enim primò pars illius, & secundò aduenit materia, qua est altera pars totius physici.*

Ex dictis facile est colligere causam formalē rectè dici eam, quæ per modum actus constituit totum. Commune habet cū causa materiali intrinseca, quòd non minùs quàm hæc sit constitutiua totius: differt verò quòd illud constituat

per modum actus: Materialis verò per modum subiecti, seu sit eius pars subiectiua.



DISPVTATIO IV.

De Causa Efficiente.

Sectio Prima.

Quid sit, & an, & quæ res creatæ sint effectiuæ.

Prima Conclvsio:

Causa efficiens influit esse in aliud, cui non exigit vniri ex proprio modo causandi.



Rima *pars, quòd causa efficiens influat esse in aliud, non eget probatione; secunda verò quòd non exigat vniri ei, quod causat, probatur.*

Multæ causæ efficientes non exigunt vniri ei, in quod influunt esse, & cui illud dant: ergo causa efficiens ex proprio modo causandi non exigit vniri ei, in quod influit esse.

Antecedens pr. Deus est causa efficiens; atqui non exigit vniri cum eo, cui dat esse: ergo nec causa efficiens.

Minor pr. Illa quibus Deus dat esse sunt creaturæ; atqui Deus non exigit vniri creaturis: ergo non exigit vniri cum eo, cui dat esse.

Minor pr. In Deo nihil est imperfectum; sed exigere vniri cum creaturis est quid imperfectum: ergo Deus non exigit vniri creaturis.

Minor pr. Deum exigere vniri creaturis est illis de facto vniri: atqui vniri illis de facto est quid imperfectum: ergo Deum exigere vniri creaturis est quid imperfectum.

Maior pr. Deus habet de facto, quod exigit nisi impediatur; atqui nihil potest eum impedire habere quod exigit: ergo Deum exigere vniri creaturis est illis de facto vniri.

Minor præcedentis argumenti probatur.

Creaturæ multæ sunt infectæ peccatis; atqui Deum vniri creaturis peccato infectis est quid imperfectum: ergo vniri creaturis est quid imperfectum.

Minor pr. Deum esse peccatorem, & peccatorē esse Deum, est quid imperfectū; sed Deum vniri creaturis peccato infectis est Deum esse peccatorem, & peccatorem esse Deum: ergo Deum vniri creaturis peccato infectis est quid imperfectū.

Minor pr. Tam De⁹ vnitus creaturæ peccatrici est peccator, quàm vnitus naturæ humanæ, homo; atqui De⁹ vnit⁹ naturæ humanæ est homo: ergo & vnitus creaturæ peccatrici, peccator.

Maior pr. Ideo præcisè Deus propterea quòd vniatur naturæ humanæ dicitur homo; quia vnitur ei, quod importatur in recto per vocē homo; atqui ex suppositione, quòd vniatur creaturæ peccatrici, vnitur etiam ei, quod importatur in recto per peccatorem: ergo tam Deus vnitus creaturæ peccatrici est peccator, quàm vnitus naturæ humanæ, homo.

Se-

SECVNDA CONCLVSIO:

Res creatæ sunt verè actiuæ.

RES creatæ sunt substantiæ, vel accidentia; atqui substantiæ, & accidentia sunt verè actiuæ: ergo res creatæ sunt actiuæ.

Minor pr. Substantiæ, & accidentia verè agunt: ergo verè sunt actiua.

Antecedens probatur de substantiis.

Substantiæ sunt necessariæ, vel liberæ; atqui necessariæ, & liberæ verè agunt: ergo substantiæ verè agunt.

Secunda pars minoris probatur.

Substantia libera, vt dicemus in Morali, est illa, quæ positis omnibus ad agendum requisitis agit, aut non agit pro arbitrio: ergo substantiæ liberè verè agunt.

Prima pars minoris prioris argumenti probatur secundò.

Necessariæ sunt sensitiuæ, & insensibiles; atqui sensitiuæ & insensibiles verè agunt: ergo necessariæ verè agunt.

Prima pars minoris probatur.

Substãtiæ creatæ sẽsitiuæ sũt bruta; atqui bruta verè agunt: ergo & substãtiæ creatæ sẽsitiuæ.

Minor pr. Illud, quod efficit motum, & sensationes verè agit; atqui bruta verè efficiunt motum, & suas sensationes: ergo verè agunt.

Minor pr. Illud verè agunt bruta, ad quod agendum excitantur propositione boni conuenientis, & mali disconuenientis; atqui excitãtur

propositione boni conuenientis, aut mali disconuenientis ad motum: ergo verè efficiunt motum.

Minor pr. Canis est brutum,& bonum illi proportionatum panis; atqui canis excitatur propositione panis ad motum: ergo bruta excitantur propositione boni conuenientis ad motum.

Minor pr. Accessus ad herum est motus; atqui excitatur propositione panis ad accedendum ad herum: ergo canis excitatur propositione panis ad motum.

Secunda pars minoris superioris argumenti, quòd res insensibiles verè agant, probatur.

Terra, & ignis sunt insensibilia; sed illa verè agunt: ergo substantiæ insensibiles verè agunt.

Minor pr. Illud verè agit, quod efficit herbas, flores &c. atqui terra efficit plantas, herbas, flores &c. ergo terra verè agit.

Minor pr. Illud terra efficit quod Deus illi imperat facere, & quod dicit Scriptura illam fecisse; atqui Deus imperat illi Genes. 3. germinare herbam virentem, & Scriptura dicit illam germinasse: ergo terra efficit plantas, flores &c.

Secunda pars antecedentis superioris argumenti, accidentia scilicet verè agere, probabitur conclusione quarta.

TERTIA CONCLVSIO:

Forma substantialis est productiua accidentium in proprio, & alieno subiecto.

FORMA aquæ est substantialis, & frigus accidens; atqui forma aquæ productiua est frigoris in proprio, & alieno subiecto: ergo forma substantialis est productiua accidentium in proprio, & alieno subiecto.

Prima pars minoris probatur.

Proprium subiectum formæ aquæ est aqua, v. g. calefacta; atqui producit in illa frigus remoto igne: ergo forma aquæ producit in proprio subiecto frigus.

Minor pr. Nihil est aliud, quod producat frigus remoto igne in aqua illa calefacta, quàm forma aquæ: ergo forma aquæ producit frigus in aqua calefacta remoto igne.

Antecedens pr. Nihil aliud dici potest esse causa illius frigoris, quàm occulta qualitas; atqui non potest esse occulta qualitas: ergo nihil est aliud quod illud producat quàm forma aquæ.

Minor pr Qualitatis illius occultæ forma aquæ debet dici esse causa, vel non esse; atqui neutrum dici potest: ergo occulta qualitas non est causa illius frigoris.

Respondent *non esse causam.*

Alia causa illius qualitatis non potest esse, nisi generans; atqui non est generans: ergo non est alia causa productiua illius qualitatis, quàm forma aquæ.

Minor pr. Illud non est causa illius qualitatis,

quod esse desiit, aut non est approximatum sufficienter; atqui generans, aut esse desiit, aut non est approximatum sufficienter: ergo generans non est causa illius qualitatis.

Distinguunt aduersarij: *Illud non est causa illius qualitatis, quod esse desiit, aut non est approximatum sufficienter, & non est aliud quod suppleat eius vices*, Concedunt. *si habeat aliud, quod suppleat eius vices*, Negant. *& ad minorem*: atqui *generans, aut esse desiit, aut non est approximatum sufficienter, & non est aliud, quod suppleat eius vices*, Negant. *& est aliud, quod suppleat eius vices*. Concedunt.

Contrà. Illud supplens non potest esse nisi Deus; atqui non est Deus: ergo non est aliud quod suppleat vices generantis.

Minor pr. Non est recurrendum ad Deum, quando adest causa secunda proportionata, & sufficienter approximata; atqui ad producendum illud frigus adest forma substantialis proportionata, & sufficienter approximata: ergo illud supplens non est Deus.

Minor pr. Generans est proportionatum ad illam qualitatem producendam ex concessis; atqui forma substantialis aquæ est eiusdem rationis cum generante: ergo forma substantialis est proportionata ad producendum illud frigus.

Secunda pars minoris argumenti superioris, scilicet formã aquæ producere frigus in alieno subiecto, pr.

Manus immissa in aquam est diuersum ab ea subiectum: atqui aqua producit frigus in manu, quæ immittitur in illam: ergo aqua producit frigus in alieno subiecto.

Minor pr. Aqua non minùs dici debet producere frigus illud in manu, quàm in seipsa; sed producit illud in seipsa: ergo & in manu.

Maior pr. Aqua non minorem habet virtutem ad producendum frigus in manu, quàm in seipsa: ergo non minus debet dici producere frigus illud in manu, quàm in seipsa.

Antecedens pr. Aqua non minorem habet virtutem ad illud, ad quod non plus requirit virtutis; atqui non plus requirit virtutis ad producendum frigus in manu, quàm in seipsa: ergo non minorem habet virtutem ad producendum frigus in manu, quàm in seipsa.

Minor pr. Quando effectus est idem, & modus diuersus illum producendi etiam æqualis, & non perfectior, causa non plus requirit virtutis, ad illum vno modo producendum, quàm alio; atqui frigus est idem, & modus illud producendi in manu non est perfectior, modo producendi illud in ipsa aqua: ergo aqua non plus requirit virtutis ad illud producendum in manu, quàm in seipsa.

Minor pr. Modus ille producendi in manu est modus operandi transeunter, & in seipsa operandi immanenter; sed modus operandi transeunter non est perfectior modo operandi immanenter: ergo modus illud producendi in manu non est perfectior modo producendi in ipsa aqua.

Minor pr. Modus operandi transeunter non videtur ex alio capite dici posse perfectior modo operandi immanenter, quàm quòd habeat deuincendam maiorem resistentiam; sed non ha-

bet maiorem resistentiam deuincendam: ergo modus operandi transeunter non est perfectior modo operandi immanenter.

Minor pr. Resistentia illa maior oriri non potest aliunde vt plurimùm, quàm ex intensiori qualitate in subiecto alieno, quàm in proprio; atqui sæpè est remissior qualitas contraria in alieno subiecto, quàm in proprio: ergo modus operandi transeunter non habet maiorem resistentiam deuincendam.

Minor pr. Proprium subiectum respectu aquæ est ipsamet: alienum verò manus in ipsam immissa; atqui sæpissimè est remissior qualitas contraria in manu, quàm in aqua: ergo sæpè est remissior qualitas contraria in alieno subiecto, quàm in proprio.

Minor pr. Contraria qualitas aquæ est calor; atqui sæpè est remissior calor in manu, quàm in aqua: ergo sæpè est remissior qualitas contraria in manu, quàm in aqua.

Minor pr. Cùm aqua supposito igne ebullit, est calor remissior in manu, quàm in aqua; atqui sæpè aqua ebullit: ergo sæpè est remissior calor in manu, quàm in aqua.

Obijcies. Substantia non est immediatè actiua; atqui forma substantialis est substantia: ergo non est immediatè actiua.

Maior pr. Ignis est substantia; atqui ignis (& par est ratio de aliis) non est immediatè actiuus: ergo substãtia nõ est immediatè actiua.

Minor pr. Quod est actiuum per aliud, non est immediatè actiuũ; atqui ignis est tantùm actiuus per aliud: ergo non est immediatè actiuus.

Minor pr. Calor est aliud ab igne; atqui ignis est tantùm actiuus per calorem: ergo est tantùm actiuus per aliud.

Minor pr. Quod est tantùm actiuum quà calidum, est tantùm actiuum per calorem; sed ignis est tantùm actiuus, quà calidus: ergo est tantùm actiuus per calorem.

Solutio: ***Ignis est tantùm actiuus quà calidus saporum.*** transeat. ***aliarum rerum***, Nego. ergo ***est tantùm actiuus per calorem saporum***, transeat. ***aliarum rerum*** Nego.

Contrà. Aliæ res quarum ignis dici potest actiuus aliter, quàm qua calidus, sunt substantiæ, vel accidentia; atqui non est actiuus neque substantiarum, neque accidentium aliter, quàm quà calidus: ergo est tantùm actiuus aliarum rerum, quà calidus.

Prima pars minoris probatur.

Ignis non est actiuus substantiarum aliter, quàm accidentium; atqui non est actiuus accidentium, nisi quà calidus: ergo non est actiuus substantiarum nisi quà calidus.

Minor pr. Ignis non est actiuus accidentium, nisi quatenus, & quomodo ad illa habet potentiam: atqui non habet potentiam ad accidentia nisi quà calidus: ergo non est actiuus accidentium, nisi quà calidus.

Minor pr. Illud non habet potentiam ad accidentia, nisi quà calidum, cuius tota potentia illorum productiua est in calore; atqui tota potentia productiua accidentium, quæ est in igne est in calore: ergo ignis non habet potentiam, nisi quà calidus.

Minor pr. Potentia productiua accidentium, quæ est in igne, est vel ipsius forma, seu substantia, vel calor; atqui non est eius forma, seu substantia: ergo tota est in calore.

Minor pr. Potentia productiua accidentium debet esse eiusdem rationis cum ipsis; atqui forma ignis non est eiusdem rationis cum ipsis: ergo potentia ignis productiua accidentium non est eius forma.

Maior pr. Potentia debet esse eiusdem rationis cum suo actu ex Aristotele; atqui actus potentiæ productiuæ accidentium sunt accidentia: ergo potentia productiua accidentium debet esse eiusdem rationis cum ipsis.

Solutio: *Potentia passiua debet esse eiusdem rationis cum suo actu informante primario*, Concedo. *potentia actiua cum actu illi correspondente*, Nego. *Certè Deus vt clarum est, est potentia actiua accidentium naturalium, & tamen nemo dixerit illum esse accidens. Ratio quare actus informans primarius debet esse eiusdem rationis cum potentia passiua, est quia debent facere vnum. quod vt per se patet faciliùs conflatur ex iis, quæ sunt eiusdem rationis, quàm diuersæ. Cùm autem actus correspondens potentiæ actiuæ non debeat facere cum illa vnum, nihil vetat illum esse diuersæ rationis.*

QVARTA CONCLVSIO:
Accidentia producunt alia accidentia principaliter, vt plurimùm.

CALOR est accidens; atqui calor producit calorem principaliter: ergo vnum accidens producit aliud principaliter.

Minor pr. Calor aquæ calefactæ producit principaliter calorem in manu ipsam tangente: ergo calor producit calorem principaliter.

Antecedens pr. Debet esse aliqua causa principalis caloris producti in manu; atqui non potest esse alia quàm calor aquæ calefactæ: ergo calor aquæ calefactæ producit principaliter calorem in manu ipsam tangente.

Minor pr. Illa alia causa non potest esse nisi vel materia, vel forma aquæ, vel eius humiditas; atqui nullũ horũ est: ergo nulla est alia, quã calor.

Minor pr. Illa nõ debent dici causa caloris, quæ sunt indifferentia ad illum, aut habent cum illo repugnantiam; sed materia, & humiditas sunt indifferentia ad calorem, & forma aquæ habet cũ illo repugnantiã: ergo materia, forma aquæ, & eius humiditas non sunt causa illius caloris.

Duæ primæ partes probatæ sunt disputatione secunda superioris tractatus sectione secunda, & vltima clara est.

Obÿcies. Nec calor, nec frigus, & sic de aliis sunt causæ principales aliorum accidentiũ: ergo vnum accidẽs non est causa principalis alterius.

Minor pr. Accidentia, respectu quorum calor, frigus, &c. dici possũt causæ principales sunt alij calores, aut frigora; atqui calor, & frigus non sunt causæ principales illorum: ergo non sunt causæ principales aliorum accidentium.

Minor pr. Illud non est causa principalis alterius, quod nõ producit illud virtute propria; atqui calor non producit calorem virtute propria: ergo non est causa principalis illius.

Minor pr. Illud non producit calorem virtu-

ne propria, quod producit illum virtute alterius; atqui calor producit calorem virtute alterius: ergo non producit illum virtute propria.

Minor pr. Calor producit calorem virtute substantiæ: ergo producit illum virtute alterius.

Solutio: *Calor producit calorem virtute substantiæ, hoc est, per influxum superioris causæ, & eleuationem ad effectum, ad quem non habet virtutem proportionatam*, Nego. *virtute alterius; hoc est per virtutem, quam in se habet; sed acceptam ab alio*, Concedo. *Ratio est, quia virtus illa producendi alium calorem est ipsiusmet entitas, quam quidem accepit à substantia, à qua est productus. Illa tamen non potest non censeri esse illius propria, quippe quæ ipsi identificetur.*

QVINTA CONCLVSIO:

Accidentia sunt causæ instrumentales formarum substantialium.

ILLVD est causa instrumentalis formarum substantialium, quod producit illas, & est illis ignobilius; atqui accidentia producunt formas substantiales, & sunt illis ignobiliora: ergo accidentia sunt causæ instrumentales formarum substantialium.

Prima pars minoris probatur, secunda enim caret difficultate.

Illud debet dici productiuum alterius, quod non est improportionatũ ad alterius productionem, & illo posito sequitur constanter alterius productio; atqui accidentia non sunt improportionata ad producendam formam substantialẽ,

& illis positis sequitur constanter productio formæ substantialis : ergo accidentia producunt formas substantiales.

Secunda pars minoris clara est, & prima pr.
In accidentibus non potest dici esse alia improportio ad producendam formam substantialem, quàm quòd sint imperfectiora; atqui quod sint imperfectiora non facit illa esse improportionata: ergo accidentia non sunt improportionata ad producendam formam substantialem.

Minor pr. Non magis quòd sint imperfectiora debet illa facere improportionata ad producendam formam substantialem, quàm faciat res alias imperfectiores, ad producendas perfectiores; atqui hoc non facit res imperfectiores improportionatas ad producendas alias perfectiores : ergo quòd sint imperfectiora non facit illa esse improportionata ad producendam formam substantialem.

Minor pr. Illud non facit res imperfectiores improportionatas ad producendas perfectiores, quod non aufert illis vim ad producendas perfectiores; atqui quod sint imperfectiores non aufert illis vim ad producendas perfectiores: ergo hoc non facit res imperfectiores improportionatas ad producendas perfectiores.

Minor pr. Illud non aufert vim rebus imperfectioribus ad producendas perfectiores, quo stante imperfectiores producunt perfectiores; atqui stante illa imperfectione maiori res imperfectiores producunt perfectiores : ergo quòd sint imperfectiores non aufert illis vim ad producendas perfectiores.

Minor pr. Species impressæ sunt imperfectiores expressis; atqui stante sua illa maiori imperfectione producunt expressas: ergo res imperfectiores stante illa imperfectione maiori producunt expressas.

Minor pr. Illo stante species impressæ producunt expressas, quod retinent, & secum habēt etiam dum producunt expressas; atqui retinent, & secum habent dum producunt expressas imperfectionem illam maiorem: ergo stante sua illa imperfectione maiori producunt expressas.

Minor pr. Imperfectio illa maior nihil est aliud, quàm ipsarum entitas minus perfecta, quàm sit illa speciei expressæ; sed retinent, & secum habent suam entitatem, dum producunt expressas: ergo retinent, & secum habent, dum producunt expressas imperfectionem illam maiorem.

Obijcies. Illud est causa principalis alterius, quod ad illud producendum non indiget alio, quàm concursu Dei generali; atqui accidentia ad producendas formas substantiales non indigent alio, quàm concursu Dei generali: ergo accidentia sunt causæ principales formarum substantialium.

Minor pr. Accidentia producunt formas substātiales cum solo generali concursu Dei: ergo accidentia non indigent alio ad producendas formas substātiales, quā cōcursu Dei generali.

Antecedens pr. Formæ ranæ, vermis &c. sunt verè formæ substantiales; atqui cū formæ ranæ vermis &c. producūtur ex putri materia, vt sępè fit, accidentia illas producūt cum solo generali

Dei concursu; ergo accidentia producunt formas substãtiales cũ solo concursu Dei generali.

Minor pr. Accidentia producunt illas formas cum solo generali Dei concursu, vel cum speciali: atqui non producunt illas cum speciali: ergo hoc faciunt cum solo generali.

Minor pr Accidentia non producunt illas formas cum concursu, qui eis non præbetur; atqui non præbetur eis Dei concursus specialis: ergo non producunt illas cum concursu speciali Dei.

Minor pr. Concursus Dei specialis non præbetur, nisi ad supplendam absentiam alicuius causæ; atqui Deus non supplet absentiã vllius causæ, cùm illa accidentia producunt istas formas: ergo non præbetur eis Dei concursus specialis.

Minor pr. Nihil debet admitti in illa productione, quod sit supernaturale; atqui illa suppletio est supernaturalis: ergo cùm accidentia producunt istas formas, Deus non supplet absentiam vllius causæ.

Minor pr. Non minùs illa suppletio est supernaturalis, quàm si Deus absente luminoso de nocte produceret lumen; atqui suppletio illius luminosi esset supernaturalis: ergo illa suppletio, est etiam supernaturalis.

Solutio: *Neganda est maior. Ratio est, quia nihil est, quod exigat suppletionem illam luminosi absentis. Est verò, quòd exigat suppletionem formæ absentis.* M*ateria, scilicet, affecta dispositionibus, per quas determinatur ad habendam hanc formam potiùs, quàm aliam, quam cùm ei dare non possint causæ particulares præsentes, Deus tanquam prima causa vniuersalis tenetur supplere.*

SECTIO II.

De efficientia causæ primæ, an, & quomodo Deus concurrat cum causa secunda, & quis sit eius concursus.

CONCLVSIO PRIMA:

Deus concurrit immediatè ad omnes effectus causarum secundarum.

QVI habet perfectissimum dominium in omnes causas secundas, concurrit immediatè ad omnes illarum effectus; atqui Deus habet perfectissimum dominium in omnes causas secundas: ergo Deus concurrit immediatè ad omnes effectus causarum secundarum.

Minor pr. Qui habet perfectissimum dominium in omnes causas secundas, potest de illis perfectissimo modo disponere; atqui qui potest perfectissimo modo disponere de illis, concurrit immediatè ad omnes illarum effectus: ergo qui habet perfectissimum dominium in omnes causas secundas, concurrit immediatè ad omnes illarum effectus.

Minor pr. Qui potest perfectissimo modo disponere de causis secundis, potest illas perfectissimo modo destruere; atqui qui potest perfectissimo modo illas destruere, concurrit ad omnes illarũ effectus immediatè: ergo qui potest per-

fectissimo modo de illis disponere, concurrit immediatè ad omnes illarum effectus.

Minor pr. Qui perfectissimo modo destruere potest causas secundas, potest illas destruere per meram suspensionem sui concursus; atqui qui potest illas destruere per meram suspensionem sui concursus, concurrit immediatè ad omnes illarum effectus: ergo qui potest perfectissimo modo destruere causas secundas, concurrit ad omnes illarum effectus immediatè.

Maior pr. Modi destruendi causas secundas, sunt vel per meram suspensionem concursus, vel per productionem contrarij, vel per destructionem alterius, subiectantis, scilicet, aut conseruãtis; atqui primus est perfectior posterioribus: ergo qui potest perfectissimo modo destruere causas secundas, potest illas destruere per meram suspensionem sui concursus.

Minor pr. Ille modus destruendi causas secundas est perfectior aliis, qui magis immediatè illas destruit, & minori conatu; atqui qui destruit illas per meram suspensionem concursus destruit illas magis immediatè, & minori conatu, quàm qui per productionem contrarij, aut destructionem causæ subiectantis, aut conseruantis: ergo modus destruendi causas secundas per meram suspensionem concursus, est perfectior modo destruendi easdem per productionem contrarij, aut destructionem causæ subiectantis, aut conseruantis.

Minor pr. Ille modus destruit causas secundas magis immediatè, & minori conatu, qui eas destruit nullo alio mediante producto, aut destru-

ĉto, & pauciora ad hoc requirit, quàm qui mediante alio producto, aut destructo, & plura ad hanc destructionem requirit; atqui qui destruit causas secũdas per meram suspensionẽ concursus destruit eas nullo alio mediante producto, aut destructo, & pauciora ad hoc requirit, plura verò, & mediante alio producto, aut destructo, qui per productionem contrarij, aut destructionem alterius subiectãtis, aut conseruantis: ergo qui destruit illas per meram suspensionem concursus, destruit illas magis immediatè, & minori conatu, quàm qui per productionem contrarij, aut destructionem causæ conseruãtis; aut subiectantis.

Prima pars minoris probatur.

Ille modus plura requirit ad destruendas causas secundas, qui vt eas destruat debet aliquid aliud producere, aut destruere, quàm qui nihil aliud neque producere, neque destruere tenetur; atqui modus, qui destruit per productionem cõtrarij, aut destructionem alterius subiectantis, aut conseruantis, debet illud contrarium producere, aut subiectans, & conseruans destruere: qui verò per meram suspensionem concursus, nihil neque producere, neque destruere: ergo modus, qui destruit causas secundas, per productionem contrarij, aut destructionem subiectantis, aut conseruantis, plura requirit ad illam productionem.

Secunda pars minoris probatur.

Qui cessat tantùm à concursu rei alicuius, nihil producit, neque etiam aliud destruit; atqui qui destruit causas secundas per meram suspen-

sionem sui concursus, cessat tantùm à concursu conseruatiuo illarum: ergo qui destruit causas secundas, per meram suspensionem concursus nihil aliud producit, neque destruit.

Secunda pars minoris superioris argumenti, scilicet, qui destruit causas secundas per positionem contrarij, aut destructionem causæ conseruantis, aut subiectantis, destruere illas mediante alio producto, vel destructo, probatur.

Ille modus destruit causas secundas mediante alio producto, aut destructo, qui vt eas destruat debet aliud producere, aut destruere; atqui qui destruit per productionem contrarij, aut destructionem subiectantis, aut conseruantis causas secundas, debet illud contrarium producere, aut destruere causam subiectantem, aut conseruantem: ergo qui destruit causas secundas, per productionem contrarij, aut destructionem conseruantis aut subiectantis, destruit illas mediante alio producto, aut destructo.

Obijcies. Deus non concurrit immediatè ad effectus, ad quos concurrunt immediatè causæ secundæ; atqui hæ concurrunt immediatè ad suos effectus: ergo Deus non concurrit immediatè ad effectus causarum secundarum.

Maior pr. Qui concurrit immediatè ad effectus, ad quos causæ secundæ concurrunt etiam immediate, non concurrit solus ad illos; atqui Deus concurrere debet solus ad effectus à se productos: ergo Deus non concurrit immediatè ad effectus, ad quos causæ secundæ concurrunt immediatè.

Minor pr. Quod non concurrit solum ad ali-

quem effectum, est tantùm causa partialis illius; atqui Deus non est causa partialis effectuum à se productorum: ergo Deus concurrere debet solus ad effectus à se productos.

Solutio: *Quod non concurrit solùm ad aliquem effectum, est causa illius partialis ex insufficientia, & defectu virium. vel sine insufficientia, & defectu viriū; sed quia ita ei placet*, Concedo. *ex insufficientia tantùm, & defectu virium*, Nego. atqui *Deus non est causa partialis effectuum à se productorum ex insufficientia, & defectu virium*, Concedo. *sine insufficientia, & defectu virium: sed quia ad manifestandam suam bonitatem, placet ipsi in consortium actionis admittere creaturas*, Nego. *In hoc enim nulla est imperfectio: sed potiùs magna perfectio, manifestatio, scilicet, suæ bonitatis.*

Contrà. Vt Deus sit causa partialis etiam sine insufficientia, & defectu virium effectuum causarum secundarum, debet ad illos simul cum illis concurrere; atqui non concurrit ad effectus causarum secundarum simul cum illis: ergo Deus non est causa partialis, etiam sine insufficientia effectuum causarum secundarum,

Minor pr. Causæ secundæ sunt necessariæ, aut liberæ; atqui Deus non concurrit ad effectus necessariarum, aut liberarum simul cum illis: ergo Deus non concurrit ad effectus causarum secundarum simul cum illis.

Prima pars minoris probatur.

Deus non est potiùs dicendus concurrere ad effectus causarū necessariarum simul cum illis, quàm ad effectus liberarum; atqui nullo modo

dicendus est concurrere ad effectus liberarum simul cum illis : ergo Deus non concurrit ad effectus necessariarum simul cum illis.

Maior pr. Qui est tam perfectè dominus causarum liberarum, ac necessariarum , non est potiùs dicendus concurrere ad effectus istarum simul cum illis, quàm illarum; atqui Deus est tam perfectè Dominus causarum liberarum, ac necessariarum : ergo Deus non est potiùs dicendus concurrere ad effectus necessariarum simul cum ipsis, quàm liberarum.

Minor præcedentis argumenti probatur.

Peccata sunt veri effectus causarum liberarũ; atqui Deus non concurrit ad peccata simul cum causis liberis : ergo Deus non concurrit ad omnes effectus causarum liberarum simul cum ipsis.

Minor pr. Quod concurrit ad peccatum, simul cum causis secundis liberis, est causa peccati; atqui Deus non est causa peccati : ergo Deus non concurrit simul cum causis secundis liberis ad peccatum.

Solutio : *Quod concurrit ad peccatum simul cum causis secundis liberis, est causa peccati, per se, vel per accidens,* Concedo. *per se tantùm,* Nego. atqui *Deus non est causa peccati, per se,* Concedo. *per accidens,* Nego.

Contrà. Quod concurrit ad peccatum verè, & propriè est causa peccati per se, sed Deus concurrit simul cum causis liberis verè, & propriè ad peccatum: ergo Deus est causa peccati per se.

Solutio : *Quod concurrit ad peccatum verè, & propriè determinatum in actu primo, aut ad illud*

se determinans in actu secundo, est causa per se illius, Concedo. *indeterminatum in actu primo, & se non determinans in actu secundo, est causa per se illius*, Nego. atqui *Deus concurrit simul cum causis liberis verè, & propriè ad peccatum indeterminatus in actu primo, & se non determinans in actu secundo*, Concedo. *determinatus in actu primo, aut se determinans in actu secundo*, Nego. *Determinatum in actu primo ad peccatum dicitur illud, quod ex se, & natura sua propendet in illud, vt habitus, species, & alia causa illius necessaria. Dico necessaria, quia de liberis hoc dici nequit, quippe quæ sint indifferentes ad ipsum, vel oppositum ipsi. Determinans verò se ad peccatum in actu secundo est illud, quod est ratio, & cui tribuitur, quod ipsum ponatur, non verò opus bonum ipsi contrarium. Neutrum ex illis conuenit Deo; non primum quidem, quia ipse, seu eius omnipotentia, est indifferens ad omnes planè effectus; nec etiam secundùm, quia vellet potiùs poni opus bonum; ac proinde dici non debet vllo modo causa per se peccati.*

Contrà. Illud est causa peccati per se, quod influit esse peccatum; atqui quod concurrit ad illud etiam indeterminatum in actu primo, & se non determinans in actu secundo, influit verè esse in peccatum: ergo est causa peccati per se.

Solutio: *Illud est causa peccati per se, quod influit esse in peccatum determinatum in actu primo, aut se determinans in actu secundo*, Concedo. *indeterminatum in actu primo, & se non determinans in actu secundo*, Nego. Atqui *Deus*

influit esse in peccatum indeterminatus in actu primo, & se non determinans in actu secundo, Concedo. *determinatus in actu primo, aut se determinans in actu secundo,* Nego.

Contrà. Quod influit esse in peccatum indeterminatum in actu primo, & se non determinans in actu secundo, est causa per se illius: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Non minùs quod influit esse in peccatum indeterminatum in actu primo, & se non determinans in actu secundo, debet dici causa per se illius, quàm quod influit in opus bonum indeterminatum in actu primo, & se non determinans in actu secundo dicatur causa per se istius; atqui quod concurrit ad bonum opus indeterminatum in actu primo, & non se determinans in actu secundo, est causa per se illius: ergo quod influit in peccatum, etiam indeterminatum in actu primo, & se non determinans in actu secundo, est causa per se illius.

Solutio: Atqui *quod concurrit ad bonum opus indeterminatum in actu primo, & se non determinans in actu secundo, est causa per se illius, si concurrat cum auersione,* Nego. *si concurrat cum propensione, aut sine auersione,* Concedo. ergo *quod influit in peccatum, etiam indeterminatum in actu primo, & se non determinans in actu secundo, est causa per se illius si concurrat cum auersione,* Nego. *si cum propensione, aut sine auersione,* Concedo.

Contrà. Cognitio indifferens de bonitate, & malitia sed efficacior pro bonitate influit in sẽtẽtia probabili, aut saltem potest influere(quod

perinde est ad præsens negotium) ad volitionem amplectentem malitiam, indeterminata in actu primo, se non determinans in actu secundo, & cum auersione; atqui illa cognitio est causa per se illius volitionis peccaminosæ: ergo quod influit in peccatum indeterminatum in actu primo, se non determinans in actu secundo, & cum auersione est causa per se illius.

Duæ primæ partes minoris claræ sunt, & tertia probatur.

Illa cognitio influit in volitionem cũ auersione, quæ propendet magis in contrariam; atqui cognitio efficacior pro bonitate, quàm pro malitia influens in volitionem amplectentem malitiam, propendet magis in contrariam: ergo concurrit ad illam cum auersione.

Maior pr. Illa cognitio influit in volitionem cum auersione, quæ si loqui posset diceret se malle aliam, aut si sui iuris esset istam nõ poneret, sed illi contrariam; atqui cognitio, quæ magis propẽdet in contrariam, si loqui posset diceret se malle contrariam, & si sui iuris esset eliceret contrariam: ergo illa cognitio influit in volitionem cum auersione, quæ magis propendet in contrariam.

Maior pr. Ideò Deus influit in peccatum cum auersione, quia mallet actum bonum, & si sui iuris esset, & quasi non cogeretur à causa secunda, ad ponendum peccatum, poneret opus bonum illi contrarium: ergo illa cognitio influit in volitionem cum auersione, quæ si sui iuris esset poneret contrariam.

Solutio: *Ideò pracisè Deus influit in peccatum cum auersione, quia mallet actum bonum, & si sui iuris esset, & quasi non cogeretur à causa secunda, ad ponendum peccatum, poneret opus bonũ illi contrarium,* Nego. *quia mallet actum bonum, & à peccato illi opposito positiuè deterret quantum est ex se efficaciter minis, adhortationibus, nullàmque habet inclinationem ad illud,* Concedo. *Primum nihil aliud ostendit, quàm vnum magis amari, quàm aliud, cum quo, vt patet, potest non esse coniuncta auersio. Pater siquidem filium, quem minùs alio diligit, non propterea auersari censetur. Secundum verò, veram supponit auersionem. Nemo enim deterret prudenter alium minis à prosecutione eius, quod non auersatur, & quod ipsi non displicet: ac proinde cùm hoc secundum, non conueniat cognitioni; quippe qua tantùm abest, vt deterreat à volitione in quam influit, vt illam suo modo suadeat, licèt minùs quã contrariam, cuius motiuum efficacius repræsentat, dici non potest habere auersionem illius.*

Contrà. Concursus, & influxus Dei in peccatum cum auersione non impedit, quominus dicatur absolutè causa peccati; atqui Deus dici non potest absolutè causa pecati: ergo Deus non concurrit, aut influit in peccatum etiam cum auersione.

Maior pr. Quod non impedit, vt Deus dicatur causa per accidens peccati, nõ impedit quominus dicatur absolutè causa peccati; atqui cõcursus, & influxus Dei in peccatum cũ auersione non impedit quominus dicatur causa per accidens peccati: ergo neque quominus dicatur

absolutè causa peccati.

Maior pr. Ex duobus, quorum vnum est species, & alterum eius genus quod non impedit, vt Deus dicatur primum, non impedit etiam vt dicatur secundum; atqui causa per accidens est species causæ in communi, & absolutè, & hæc alterius genus: ergo quod non impedit, vt Deus dicatur causa per accidens peccati, non impedit quominus dicatur absolutè, & sine addito causa peccati.

Solutio: *Ex duobus, quorum vnum est species, & alterum genus, quod non impedit, vt Deus dicatur primum, non impedit etiam, vt dicatur secundum, si hoc secundum pronuntiatum absolutè intelligi non soleat pro specie altera primo opposita,* Concedo. *si intelligi soleat*, Nego. *sic enim perinde esset dicere primum esse secundum, ac esse alteram speciem ipsi oppositam, quod est falsum vt patet*: atqui *causa per accidens peccati est species causa, & hac absolutè pronuntiata, & sine addito intelligi non solet de altera specie illi opposita, scilicet, de causa per se*, Nego. *& intelligi solet*, Concedo. *ac proinde cùm Deus non sit causa per se peccati, neque dici potest causa illius absolutè. Causa enim peccati sine addito est causa per se illius.*

CONCLVSIO SECVNDA:

Non datur prædeterminatio physica.

PRÆDETERMINATIO physica, est qualitas superaddita causis creatis, vel decretū Dei absolutum,

lutum,&efficax antecedens earum actionem,ad illam necessarium,& quo stante,non potest non poni; atqui non datur huiusmodi qualitas, nec decretum Dei in causis creatis: ergo non datur prædeterminatio physica.

Minor pr. Illud dici non debet dari in rebus naturalibus,cuius nulla est necessitas;atqui nulla est necessitas huiusmodi qualitatis,aut decreti Dei absoluti: ergo non datur huiusmodi qualitas, nec decretum Dei absolutum.

Minor pr. Fingi non potest alia necessitas huius qualitatis, aut decreti, quàm vt compleant causas creatas, aut vt saluetur subordinatio inter ipsas,& primam; atqui illa qualitas, & decretum Dei absolutum, non sunt necessaria ad complendas causas secundas, neque vt saluetur subordinatio inter ipsas,& primam: ergo nulla est necessitas huiusmodi qualitatis, aut decreti Dei absoluti.

Prima pars minoris probatur.

Vt causæ creatæ verè dici possint completæ ad suos effectus,nihil aliud requiri videtur,quã vt sint eorum actiuæ, ipsis nobiliores, aut æquè nobiles,& paratum habeant Dei concursum, si sint necessariæ iuxta ipsarum naturam, & si sint liberæ sub disiunctione ad hunc effectum talis speciei, vel ad illum contrariæ; atqui nulla est necessitas huiusmodi qualitatis,aut decreti, vt causæ creatę sint actiuæ suorum effectuum,ipsis nobiliores, aut æquè nobiles, & paratum habeant Dei concursum: ergo nulla est necessitas huiusmodi qualitatis, aut decreti.

Minor pr. Illud non est necessarium, vt causæ

creatæ sint actiuæ suorum effectuum, ipsis nobiliores, aut æquè nobiles, & paratum habeant Dei concursum, sine quo causæ creatæ habēt actiuitatem, excedunt in perfectione, aut non excedunt suos effectus. & non denegatur eis concursus Dei; atqui sine illa qualitate, & decreto causæ creatæ habent actiuitatem excedunt in perfectione, aut non excedunt suos effectus, & non denegatur eis concursus Dei: ergo nulla est necessitas huiusmodi qualitatis, aut decreti.

Prima pars minoris probatur.

Actiuitas causarum creatarū, & id, per quod excedunt, aut non excedunt in perfectione suos effect⁹ est ipsarum entitas; atqui sine illa qualitate, & decreto habent entitatem: ergo & actiuitatem, & id, per quod excedunt, aut non excedunt in perfectione suos effectus.

Secunda pars minoris prioris argumenti probatur.

Concursus Dei est in actu primo, aut in actu secundo: atqui sine illa qualitate, & decreto non denegatur eis concursus Dei, neque in actu primo, neque in actu secundo: ergo sine illa qualitate, & decreto, non denegatur eis concursus Dei.

Prima pars minoris probatur.

Concursus Dei in actu primo non est, neque illa qualitas, neque illud decretum: ergo sine illa qualitate, non denegatur eis concursus Dei in actu primo.

Antecedens pr. Concursus Dei in actu primo, non tollit libertatem creaturis; atqui illa qualitas, & decretum tollunt libertatem creaturarū:

ergo concursus Dei in actu primo, non est illa qualitas, aut decretum.

Minor pr. Illud tollit libertatem creaturarum, quod facit actum primum effectuum illarum non esse liberum; atqui qualitas illa, aut decretum facit actum primum effectuum creaturarum non esse liberum: ergo qualitas illa, aut decretum tollit libertatem creaturarum.

Minor pr. Illud facit actum primum non esse liberum, quod facit, vt non sit indifferens, vt coniungatur cum hoc actu, vel cum contrario, vel cum negatione vtriusque; atqui illa qualitas, & decretum faciunt, vt actus primus effectuum creaturarum non sit indifferens, vt coniungatur cum hoc actu, vel contrario, aut negatione vtriusque: ergo illa qualitas, aut decretum faciunt, vt actus primus effectuum creaturarum non sit liber.

Minor pr. Quod est bona pars actus primi effectuum creaturarum, & non est indifferens, vt coniungatur cum hoc actu, vel cum contrario, vel cũ negatione vtriusque, facit, vt totus actus primus non sit ad illud indifferens; atqui illa qualitas, & decretum sunt bona pars actus primi effectuum creaturarum, & non sunt indifferentia, vt coniungantur cum hoc actu creaturarum, vel cum contrario, vel cum negatione vtriusque: ergo illa qualitas, & decretum faciũt, vt actus primus effectuum creaturarum non sit indifferens, vt coniungatur cum hoc actu, vel cum contrario, vel cum negatione vtriusque.

Minor pr. Illa non sunt indifferentia, vt coniungantur cum hoc actu, vel cum contrario, vel

cum negatione vtriusque, quæ coniungi non possunt etiam de potentia absoluta; nisi cum vno ex illis; atqui qualitas illa, & decretum coniungi non possunt, nisi cum vno ex illis: ergo non sunt indifferentia, vt coniungantur cum hoc actu, vel cum contrario, aut cum negatione vtriusque.

Secunda pars primi argumenti suprà facti, quòd non sit necessaria illa qualitas, vt saluetur subordinatio inter ipsas, & primam, probatur.

Per hoc sufficienter saluatur subordinatio inter causas secundas, & primam, quòd illæ agere non possint sine ista; atqui sine illa qualitate, & decreto illæ agere non possunt sine ista: ergo nulla est necessitas huiusmodi qualitatis, aut decreti, vt saluetur subordinatio inter primam, & secundas.

Minor pr. Causæ secundæ agere non possunt sine concursu Dei; atqui illa qualitas, & decretum non sunt concursus Dei: ergo sine illa qualitate, & decreto causæ secundæ agere non possunt sine prima.

Minor probata est suprà.

Obiicies. Prędeterminatio physica est qualitas superaddita rebus creatis, aut decretum Dei absolutum, & efficax antecedens illarum actionem ad aliam necessarium, & quo stante nō potest non poni; atqui datur huiusmodi qualitas, aut decretum: ergo datur prædeterminatio physica.

Minor pr. Illud verè datur, per quod Deus excitat, & mouet causas secundas; atqui illud, per quod illas mouet, aut excitat est huiusmodi qua-

litas, aut decretum: ergo datur huiusmodi qualitas, aut decretum.

Minor. pr Illud, per quod Deus excitat, aut mouet causas secundas, debet facere, vt non possint resistere illi excitationi; atqui hoc tantum possunt facere huiusmodi qualitas, aut decretum: ergo id, per quod Deus excitat, aut mouet causas secundas est huiusmodi decretum.

Solutio: *Illud, per quod Deus excitat, aut mouet causas secundas, debet facere, vt non possint resistere illi excitationi, si Deus velit illas operari necessariò, & nulla habita ratione libertatis ipsarum,* Concedo. *si Deus velit illas operari liberè sicut postulat ipsarum natura,* Nego. *& concessa minori:* ergo *id, per quod Deus excitat, aut mouet causas secundas, est huiusmodi decretum, si velit eas operari necessariò,* Concedo. *si velit eas operari liberè, vt postulat earum natura,* Nego.

Contrà. Quomodocunque Deus velit illas operari, id, per quod illas excitat, debet facere, vt resistere non possint eius excitationi: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Id, per quod Deus excitat causas secundas; quomodocunque eas velit operari, facere debet, vt sint determinatæ in actu primo ad operationem; atqui cùm sunt determinatæ in actu primo ad operationem, resistere non possunt excitationi ad illam: ergo quomodocunque Deus velit illas operari, id, per quod illas excitat debet facere, vt resistere non possint eius excitationi.

Maior pr. Id, per quod Deus excitat causas

ſecundas, ad operationem facere debet, vt poſſint operari; atqui vt poſſint operari determinatæ eſſe debent in actu primo ad operationẽ: ergo id, per quod Deus excitat cauſas ſecundas, quomodocunque eas velit operari, facere debet, vt ſint determinatæ in actu primo ad operationem.

Minor pr. Vt cauſæ ſecundæ poſſint operari debet effectus ab illis poni poſſe, & oriri; atqui vt ab illis poſſit oriri debent eſſe determinatæ in actu primo: ergo vt cauſæ ſecundæ poſſint operari, debent eſſe determinatæ in actu primo.

Minor pr. Effectus oriri non poteſt ab illis, cùm ſunt indeterminatæ in actu primo: ergo vt effectus oriri poſſit ab illis, debent eſſe determinatæ in actu primo.

Solutio: *Effectus oriri non poteſt ab illis, cùm ſunt indeterminata in actu primo, ex defectu alicuius requiſiti ad operandum*, Concedo. *ex pleno dominio, quod habent ponendi ſuos actus, vel non ponendi*, Nego.

Contrà. Effectus determinatus oriri non poteſt à cauſa indeterminata; atqui cauſæ indeterminatæ, etiam ex pleno dominio in ſuos actus ſunt verè indeterminatæ: ergo ab illis oriri non poteſt effectus.

Solutio: *Effectus determinatus oriri non poteſt à cauſa indeterminata, quandiu ſe non determinat ad illum*, Concedo. *ſi ſe ad illum determinat*, Nego. ergo. *ab illis oriri non poteſt effectus quandiu ſe non determinant*, Concedo. *cùm ſe determinant*, Nego.

Contrà. Non magis cauſæ ſecundæ indeter-

minatæ in actu primo, etiam ex pleno dominio in suos actus se determinant in actu secundo, quàm concursus Dei indifferens; atqui hic se non determinat: ergo nec causæ secundæ indeterminatæ in actu primo.

Maior pr. Ex duobus indifferentibus in actu primo, quorum eadem est planè determinatio, cùm vnum se non determinat in actu secundo, neque etiam aliud; atqui causæ secundæ, & concursus Dei sunt indifferentia in actu primo, & eorum in actu secundo est eadem determinatio: ergo non magis causæ secundæ indeterminatæ in actu primo, se determinant in actu secundo, quàm concursus Dei indifferens.

Solutio: *Ex duobus indifferentibus in actu primo, quorum vnum se non determinat in actu secundo, neque etiam aliud si neutrum agat immediatè ex cognitione indifferenti*, Concedo. *si vnum agat immediatè ex cognitione indifferenti, & non aliud*, Nego. atqui *causa secunda, & concursus Dei sunt indifferentia in actu primo, & eorum in actu secundo est eadem determinatio, & neutrum agit ex cognitione indifferenti*, Nego. *& causa secunda agunt ex cognitione indifferenti, non verò concursus Dei*, Concedo.

Contrà. Ex duobus indifferentibus in actu primo, quod vnum immediatè agat ex cognitione indifferenti, non verò aliud, non facit, vt illud debeat potiùs censeri se determinare in actu secundo, quàm istud: ergo nulla solutio.

Solutio: *Negandum est antecedens, quia illud censetur determinare aliud ad agendum, quod est ratio, & cui tribuitur, quod vtrumque agat.*

Illi autem, quod agit ex cognitione indifferenti, & tribuente potestatem ad agendum hoc, vel contrarium, vel non agendum tribuitur quod vtrumque agat. Per huiusmodi enim cognitionem, alterum manet æquè nunc impotens, ac antea ad hanc partem potiùs, quàm ad aliam, non minus, quàm instrumentum quantumuis aptum ad varios effectus, si ab artifice non applicatur ad hunc potiùs, quàm ad illum. Antea autem erat impotens, erat enim tantùm ad hoc, vel illud sub disiunctione, absque eo quòd posset hoc præ illo. Vnde cùm aliud, quod agit ex cognitione indifferenti possit hoc præ illo, censetur & se, & istud, quod cum ipso agit verè, & propriè determinare.

Contrà. Vt concursus Dei indifferens in actu primo, determinetur per causam agentem immediatè ex cognitione, debet ipse ex concessis esse impotens ad hunc actum potiùs ponendum, quàm alium; atqui non est impotens ad hunc actum potiùs ponendum, quàm alium: ergo concursus Dei non determinatur per concausam agentem immediatè ex cognitione.

Minor pr. Concursus Dei non potest esse impotens ex se ad hunc actum potiùs ponendum, quàm contrarium, quin Deus illum applicet cæco modo, seu nesciens, quem ex illis sit positurus; atqui non applicat illum cæco modo, & nesciens, quem sit positurus: ergo concursus Dei non potest esse impotens ad hunc actum potiùs ponendum, quàm contrarium.

Solutio: *Concursus Dei non potest esse impotens ad hunc actum potiùs ponendum, quàm con-*

trarium; quin Deus illum applicet caco modo, seu nesciens, quem sit positurus vi pracisè cognitionis correspondentis applicationi, Concedo. *vi cognitionis extēdentis se ad futura, & identificata cum ista*, Nego. atqui *Deus non applicat illum nesciēs, quem sit positurus vi cognitionis correspondentis applicationi*, Nego. *vi cognitionis extendentis se ad futura*, Concedo. *Sensus est, si Deus non haberet aliam cognitionem, quàm eam qua necessaria est ad applicandam suam omnipotentiam cum indifferentia ad hunc, vel illum effectum, non cognosceret determinatè per illam, quem esset positura. Nullus enim cum ea determinatè coniunctus videri posset, quod non est inconueniens. Deus enim ratione infiniti sui luminis intellectiui per aliam cognitionem scit, quisnam ex illis sit ponendus, ac proinde per hoc non desinit esse omniciens.*

Contrà. Deus non potest magis scire vi cognitionis extendentis se ad futura, quem effectum positura sit sua omnipotentia, quàm illius, quæ correspondet præcisè applicationi illius cū indifferentia; atqui vi istius hoc non potest scire: ergo neque vi cognitionis extēdētis se ad futura.

Maior pr. Quando duæ cognitiones sunt idem realiter, quod non scitur per vnam, nescitur etiam per aliam; atqui cognitio in Deo correspondens præcisè applicationi omnipotentiæ cum indifferentia, & cognitio extendens se ad futura, sunt idem realiter: ergo Deus non potest magis scire vi cognitionis extendentis se ad futura, quem effectum positura sit sua omnipotentia, quā illius, quæ correspondet præcisè ap-

plicationi illius cum indifferentia.

Solutio: *Quando duæ cognitiones sunt idem realiter, quod non scitur per vnam realiter sumptam, non scitur per aliam realiter item sumptam,* Concedo. *quia, scilicet, nulla est talis alia. Quod non scitur per vnam formaliter sumptam, seu vt terminatur, tantùm ad hoc obiectum, nescitur etiam per aliam formaliter item sumptam, seu vt terminatur ad aliud obiectum diuersum ab alia,* Nego. *Istud enim innotescit per vnam, vt patet, & aliud per aliam, & concessa minori:* ergo *Deus non potest magis scire vi cognitionis extendentis se ad futura, quem effectum positura sit sua omnipotentia, quàm illius quæ correspondet applicationi omnipotentiæ, cum indifferentia, si ambæ sumantur realiter,* Concedo. *si sumantur formaliter*, Nego.

Contrà. Cognitio extendens se ad futura, nescit quem effectum positura sit omnipotentia applicata cum indifferentia: ergo nulla solutio.

Antecedens probatur. Cognitio extendens se ad futura nosse non potest effectum ponendum ab omnipotentia applicata cum indifferentia, nisi vel in eius caussis, vel in seipso: atqui nosse illum non potest, neque in eius causis, neque in seipso: ergo cognitio extendens se ad futura nescit quem effectum positura sit omnipotentia applicata cum indifferentia.

Prima pars minoris probatur.

Determinatio effectus nosci non potest in caussa, quæ est ad illum omnino indifferens, & indeterminata; atqui causæ effectus ponendi ab

omnipotenria applicata cum indifferentia,sunt ad illum omnino indifferentes, & indeterminatæ: ergo effectus ponendus ab omnipotentia applicata cum indifferentia, nosci non potest in suis causis.

Maior probatur. Determinatio alicuius videri non potest in eo,in quo nihil est aliud, quàm indifferentia, & indeterminatio; atqui in causa ad effectum indifferente,& indeterminata nihil est aliud,quàm indifferentia, & indeterminatio:ergo determinatio effectus nosci non potest in causa, quæ est ad illum omnino indifferens, & indeterminata.

Secunda pars minoris superioris argumenti, effectum illum nosci non posse in seipso, probatur.

Effectus ille ponendus nosci non potest à cognitione futurorum in seipso:quin sit aliquid in seipso; atqui nihil est in seipso: ergo nosci non potest à cognitione extendente se ad futura in seipso.

Solutio: *Effectus ponendus nosci non potest, nisi sit aliquid in seipso de præsenti, vel de futuro.* Concedo. *de præsenti tantùm,* Nego. atqui *nihil est de præsenti, hoc est, non coexistit instanti currenti,* Concedo. *nihil est de futuro, hoc est non coexistit instanti sequenti, & postea exstituro,* Nego. *coexistentia autem illa est aliqua veritas,quæ proinde ignorari non potest à Deo, & ab eo repræsentari debet per cognitionem extendentem se ad similes veritates, qualis est quæ se extendit ad repræsentanda futura, de qua disputamus.*

TERTIA CONCLVSIO:

Concursus Dei in actu secundo, est idem cum actione causæ secundæ.

CONCVRSVS Dei in actu secundo est actio, per quam concurrit ad effectus causarum secundarum; atqui huiusmodi actio est eadem cum actione causæ secundæ: ergo concursus Dei est idem cum actione causæ secundæ.

Minor pr. Illa actio non est diuersa ab actione causæ secundæ: ergo est eadem.

Antecedens probatur. Illa actio diuersa, vel terminatur tantùm ad effectum causæ secundæ, vel ad actionem causæ secundæ, & effectum eius simul; atqui neutrum dici potest: ergo non est diuersa.

Prima pars minoris, non concurrere tantùm ad effectum, probatur.

Actionem illam concurrere ad effectum tantùm est dari aliquod ens creatum, ad quod Deus immediatè non concurrat; atqui Deus concurrit immediatè ad omne ens creatum: ergo illa actio non concurrit tantùm ad effectum causæ secundæ.

Maior pr. Actio creaturæ est ens creatum; atqui actio Dei concurrens tantùm ad effectum non concurrit ad illam actionem: ergo actionem illam concurrere tantùm ad effectum est dari aliquod ens, ad quod Deus immediatè non concurrat.

Secunda pars minoris superioris argumenti

actionem Dei diuersam non terminari ad actionem & effectum causa secunda, probatur.

Actionem illam concurrere ad actionem simul, & effectum, est dari actionem actionis; atqui non datur actio actionis : ergo non terminatur ad actionem, & effectum.

Maior pr. Dari actionem actionis est vnam actionem fieri per aliam; sed ex suppositione, quòd actio Dei terminetur ad actionem creaturæ, actio creaturæ fit per actionem Dei : ergo actionem illam concurrere ad actionem simul, & effectum est dari actionem actionis.

Obijcies. Actiones, quarum vna fundatur supra aliam distinguuntur; atqui actio creaturæ fundatur supra actionem Dei : ergo distinguitur ab actione Dei.

Solutio : *Actiones illa distinguuntur, quarum vna fundatur supra aliam, hoc est, vt sic sumpta intelligitur esse ab agente minùs nobili, quàm sit alia formaliter sumpta,* Nego. *fundatur supra aliam, hoc est, verè & propriè præsupponit aliam,* Concedo. atqui *actio creatura fundatur supra actionem Dei, hoc est præsupponit illam verè, & propriè,* Nego. *hoc est, vt sic sumpta intelligitur esse ab agente minus nobili (nimirum creatura) quàm sit actio Dei vt sic etiam, & formaliter sumpta,* Concedo. *Cùm enim sit à Deo, in quo propterea quod sit origo, id à quo incipit, & principium non tantùm actionis, sed agentis ipsius fundari dici potest omne esse, seu contineri eminenter.*

Contrà. Actio creaturæ præsupponit verè & propriè actionem Dei : ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Actio creaturæ præsupponit verè, & propriè illud, quod verè, & propriè illam antecedit; atqui actio Dei antecedit verè, & propriè actionem creaturæ: ergo actio creaturæ præsupponit verè, & propriè actionem Dei.

Minor pr. Deus agere non potest priùs, quàm creatura, quin actio Dei antecedat illam creaturæ; atqui Deus agit priùs, quàm creatura: ergo actio Dei antecedit illam creaturæ.

Minor pr. Quod agit cum creatura, & non agit neque simul, neque posteriùs illa, agit priùs illa; atqui Deus agit cum creatuta, & non agit simul, neque posteriùs illa: ergo agit priùs illa.

Minor pr. Deus agere non potest simul cum creatura, seu per eandem actionẽ cum creatura, quin posito, quòd ipse ageret necessariò, creaturæ quoque agerent necessariè; atqui ex communi sententia etiamsi Deus ageret necessariò, creaturæ non agerent necessariò: ergo Deus non agit simul cum creatura, seu per eandem actionem cum illa.

Solutio: *Deus agere non potest simul cum creatura, quin posito quod si per impossibile ipse ageret necessariò secundùm totam suam virtutem, & sine attemperatione sui concursus, qualis nunc est, creatura quoque agerent necessariò.* Concedo. *posito quod ipse ageret necessariò, & maneret eadem attemperatio concursus, seu exhiberetur cum indifferentia, creatura quoque agerent necessariò,* Nego. *uterentur enim Dei concursu ad libitum perinde, ac nunc, & sic actiones creaturæ liberæ essent, licèt illa, per quam Deus applicaret suam*

omnipotentiam ad concurrendum cum illis foret necessaria, modò eam applicaret vt nunc facit, hoc est, ita vt creaturæ ea vti possent ad agendum hoc, vel contrarium pro arbitrio : atqui *etiamsi Deus ageret necessariò, & maneret eadem attemperatio concursus, qualis nunc est, seu exhiberetur cum indifferentia, creaturæ non agerent necessariò*, Concedo. *si non maneret eadem attemperatio concursus, & iste non exhiberetur cum indifferentia*, Nego. *tunc enim tam necessariò agerent creaturæ, ac Deus.*

QVARTA CONCLVSIO:

Deus determinat causas secundas ad indiuiduum.

CAVSÆ secundæ determinantur ad indiuiduum, vel à se, vel ab alio; atqui non determinantur à se, nec ab alio, quàm à Deo: ergo Deus illas determinat ad indiuiduum.

Prima pars minoris probatur.

Quod determinat se ad indiuiduum eligit vnum præ alio; atqui causæ secundæ non possunt vnum eligere præ alio: ergo non determinant se ad indiuiduum.

Minor pr. Quod eligit vnum indiuiduum præ alio, distinguere debet vnum ab alio; atqui causæ secundæ non distinguunt vnum indiuiduum ab alio: ergo non possunt eligere vnum præ alio.

Minor pr. Illud non distinguit vnum indiui-

duum ab alio, quod non cognoſcit diſtinctè vtrumque; atqui cauſæ ſecundæ non cognoſcunt diſtinctè ſua indiuidua: ergo non diſtinguunt vnum ab alio.

Minor pr. Illud non cognoſcit diſtinctè ſua indiuidua, quod non cognoſcit diſtinctè illorum differentiam indiuidualem; atqui cauſæ ſecundæ non cognoſcunt diſtinctè differentias indiuiduales: ergo cauſæ ſecundę non cognoſcunt diſtinctè ſua indiuidua.

Minor pr. Differentia indiuidualis eſt aliquid intrinſecum, per quod vnum indiuiduum eſt, hoc, & non aliud; atqui cauſæ ſecundæ non cognoſcunt aliquid intrinſecum, & eſſentiale, per quod hoc indiuiduum non ſit illud: ergo non cognoſcunt diſtinctè differentiam indiuidualem.

Minor pr. Lumen heſternum, & hodiernũ eiuſdem intenſionis, & in eadem parte ſubiecti ſunt vnum, & aliud indiuiduum; atqui cauſæ ſecundæ nihil cognoſcũt intrinſecum, & eſſentiale in heſterno, per quod non ſit idem cum hodierno, ſeu hodiernum: ergo cauſæ ſecundæ non cognoſcunt aliquid intrinſecum, & eſſentiale, per quod hoc indiuiduum non ſit illud.

Secunda pars minoris ſuperioris argumenti, non determinari ab alio, quàm à Deo, probatur.

Nullum eſt aliud, quàm Deus, quod poſſit illas cauſas ſecundas determinare: ergo non determinantur ab alio, quàm à Deo.

Antecedens pr. Illud, à quo determinantur debet concurrere cum ipſis ad illud indiuiduũ, & diſtinctè omnia cognoſcere; ſed ſolus Deus

illa omnia cognoscit distinctè,& cum illis concurrit: ergo solus Deus potest illas determinare.

Minor pr. Alia, quæ possent dici cognoscere illa indiuidua,& ad illa immediatè concurrere, non possunt esse nisi causæ vniuersales, vel particulares; atqui neque vniuersales, neque particulares hoc faciunt: ergo solus Deus illa cognoscit distinctè, & cum illis immediatè concurrit.

Prima pars minoris probatur.

Aliæ causæ vniuersales sunt cœli, & astra; atqui neque cœli, neque astra hoc faciunt: ergo causæ vniuersales hoc non faciunt.

Minor pr. Quæ sunt expertia cognitionis hoc non faciunt; atqui cœli, & astra sunt expertia cognitionis: ergo cœli & astra hoc non faciunt.

Secunda pars minoris antepenultimi argumenti, causas particulares illud etiam non facere, probatur.

Illæ causæ dici non possunt ad effectus omnium aliarum concurrere,& omnia illarum indiuidua cognoscere, quæ sunt aut expertia cognitionis,aut sua propria indiuidua nō cognoscunt, & ad aliquos tantùm effectus concurrunt; atqui causæ particulares, aut sunt expertes cognitionis, aut suos proprios indiuiduos effectus distinctè non cognoscunt, & ad illos tantùm concurrunt, & non ad alios: ergo causæ particulares dici non possunt ad indiuidua illa immediatè concurrere, & illa distinctè cognoscere.

Obijcies. Causæ liberæ creatæ sunt causæ secundæ; atqui Deus non determinat causas libe-

ras creatas ad indiuiduum: ergo Deus non determinat causas secundas ad indiuiduum.

Minor pr. Causæ secundæ determinantes seipsas ad indiuiduum non determinantur à Deo; atqui causæ liberæ determinant seipsas ad indiuiduum: ergo non determinantur à Deo.

Minor pr. De ratione causæ liberæ est, vt hunc effectum potiùs efficiat, quàm alium; atqui hoc non potest habere nisi se ipsam determinet ad indiuiduum: ergo causæ liberæ determinant seipsas ad indiuiduum.

Solutio: *De ratione causa libera est, vt hunc effectum efficiat potiùs quàm alium indiuidualiter sumptum*, Nego. *specificè sumptum*, Concedo. atqui *non potest efficere hunc effectum indiuidualiter sumptum potiùs quàm alium, quin se determinet ad indiuiduum*, Concedo. *hunc effectum specificè tantùm sumptum*, Nego. *Ratio est, quia per hoc sufficienter saluatur libertas causa, quod illa possit elicere effectum huius speciei, potiùs quàm alterius licèt ex illis huius speciei producere non possit hunc potiùs, quàm alium, propterea quòd, scilicet, non distinguat, neque discernat hunc ab illo.*

CONCLVSIO SECVNDA:

Causa secunda determinant Deum ad speciem.

QVOD facit vt Deus de se indifferens, & potens producere varios effectus producat aliquē huius speciei potiùs, quàm alterius, determinat

illum ad ſpeciem; atqui cauſæ ſecundæ faciunt, vt Deus de ſe indifferens,& potēs producere varios effectus, producat aliquem huius ſpeciei potiùs, quàm alterius: ergo cauſæ ſecundæ determinant Deum ad ſpeciem.

Minor pr. Illud facit vt Deus de ſe indifferens & potēs producere varios effectus, producat aliquem huius ſpeciei potiùs quàm alterius, quod eſt cauſa, & id, cui tribuitur, quod aliquem huius ſpeciei producat potiùs, quàm alterius; atqui cauſæ ſecundæ ſunt ratio, & id:cui tribuitur quod Deus producat aliquem huius ſpeciei potiùs, quàm alterius: ergo cauſę ſecundæ faciunt vt Deus de ſe indifferens,& potens producere varios effectus, producat aliquem huius ſpeciei potiùs, quàm alterius.

Minor pr. Illud eſt ratio, & id, cui tribuitur quod Deus producat aliquem effectum huius ſpeciei potiùs, quàm alterius, quod aut natura ſua habet tantùm vim faciendi aliquem vnius ſpeciei, & non alterius illi oppoſitæ, aut ſi habeat vtriuſque, determinat ſe ad vnam potiùs quàm ad aliam; atqui cauſæ ſecundæ aut natura ſua habent tantùm vim faciendi aliquem vnius ſpeciei, & non alterius illi oppoſitæ, aut ſi habeant vtriuſque, determinant ſe ad vnam:ergo cauſæ ſecundæ ſunt ratio, & id, cui tribuitur, quod Deus producat aliquem huius ſpeciei potiùs, quàm alterius.

Minor pr. Cauſæ ſecundæ ſunt neceſſariæ, aut liberæ; atqui neceſſariæ habent tantùm vim faciendi aliquem vnius ſpeciei,& non alterius illi oppoſitæ,& liberæ ſe determinant ad vnam po-

tiùs, quàm ad aliam: ergo causæ secundæ aut naturâ suâ habent tantùm vim faciendi aliquem vnius speciei, & non alterius illi oppositæ, aut si habeant vtriusque determinant se ad vnam.

Prima pars est certa, & secunda probatur.

Illud determinat se ad vnam speciem potiùs quàm ad aliam, cui vertitur vitio, aut laudi, quod ponat hanc potiùs, quàm aliam; atqui vertitur vitio, aut laudi causis secundis liberis, quòd ponant hanc potiùs speciem, quàm aliam, amorem Dei, v. g. potiùs quàm eius odium, aut contrà: ergo causæ liberæ determinant se ad vnam potiùs speciem, quàm ad aliam.

Obijcitur. Causæ secundæ sunt necessariæ; vel liberę; atqui neque causæ necessariæ, neque liberæ determinant Deum ad speciem: ergo causę secundæ non determinant Deum ad speciem.

Minor pr. Causę, quæ determinantur à Deo ad indiuiduum nõ determinant ipsum ad speciem; atqui causæ necessariæ, & liberæ determinantur à Deo ad indiuiduum: ergo non determinant ipsum ad speciem.

Maior pr. Vt causæ, quæ determinantur à Deo ad indiuiduum determinent ipsum ad speciem, debet ipse se ad illam non determinare; atqui Deus se determinat ad speciem: ergo causæ, quæ determinantur à Deo ad indiuiduum, non determinant ipsum ad speciem.

Minor pr. Quod determinat causas secundas ad indiuiduum, determinat se ad speciem; atqui Deus determinat causas secundas ad indiuiduum: ergo determinat etiam se ad speciem.

Solutio : *Quod determinat causas secundas ad indiuiduum non determinatas iam, aut seipsas non determinantes ad speciem, determinat se ad speciem,* Concedo. *quod determinat causas secundas ad indiuiduum determinatas iam ex se, vt necessaria, aut se ipsas determinantes ad speciem vt libera, propterea quòd ipsa agant immediatè ex cognitione indifferenti,* Nego. atqui *Deus determinat causas secundas ad indiuiduum, & ipsa non sunt determinata iam ex se ad speciem, aut ad illam se non determinant,* Nego. *& ipsa sunt determinata, aut se determinant ad illam,* Concedo.

Contrà. Quod determinat causas secundas ad indiuiduum, quantumuis ex se sint determinatæ ad speciem, determinat se ipsum ad speciem : ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Quod determinat causas secundas ad indiuiduum etiam ex se determinatas ad speciem, determinat verè seipsum ad indiuiduum ; atqui quod determinat se ad indiuiduum determinat se ad speciem : ergo quod determinat ad indiuiduum causas secundas etiam ex se determinatas, aut se determinantes ad speciem, determinat se ad speciem.

Minor pr. Quando duo sunt idem, quod se determinat ad vnum determinat etiam se ad aliud ; atqui indiuiduum, & species sunt idem: ergo quod se determinat ad indiuiduum determinat se ad speciem.

Solutio : Atqui *indiuidua omnia & adæquatè sumpta, & species sunt idem,* Concedo. *indiuidua sumpta seorsim, & diuisim, seu vnum indiuiduum,*

& species sunt idem, Nego. *species enim præter vnumquodque indiuiduum determinatè sumptum includit alia omnia* : ergo *quod se determinat ad indiuiduum vnum determinatè sumptum, determinat se ad speciem*, Nego. *quod se determinat ad indiuidua omnia, & adæquatè sumpta, determinat se ad speciem*, Concedo. *hæc siquidem adæquatè sumpta sunt verè ipsa species*.

Contrà. Vt Deus aut alia causa determinet se ad speciem non est necessarium, vt determinet se ad omnia illius indiuidua adæquatè sumpta: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Causæ secundæ determinant se verè ad speciem ex concessis; atqui non determinant se ad omnia indiuidua adæquatè sumpta : ergo vt causa aliqua determinet se ad speciem, non est necessarium vt determinet se ad omnia illius indiuidua adæquatè sumpta.

Minor pr. Determinare se ad omnia indiuidua alicuius speciei adæquatè sũpta, est exigere, intendere, & habere vim paratam, & expeditam producendi omnia, & adæquatè sumpta; atqui causæ secũdæ non exigunt, intendunt, aut habent vim paratam, & expeditam producendi indiuidua omnia, & adæquatè sumpta alicuius speciei : ergo non se determinant ad indiuidua omnia, & adæquatè sumpta alicuius speciei.

Solutio: *Determinare se ad indiuidua omnia, & adæquatè sumpta alicuius speciei, est exigere, intendere, & habere vim paratam, & expeditam producendi indiuidua alicuius speciei omnia, & adæquatè sumpta, hoc est simul, & ita vt omnia eodem tempore producantur*, Nego. *hoc est non*

magis vnum, quàm aliud, & æquè quodlibet, Concedo. atqui *non habent vim expeditam ad producenda indiuidua omnia, & adæquatè sumpta, hoc est simul, & ita vt omnia eodem tempore producantur,* Concedo. *hoc siquidem excedit illarum vires, hoc est, non magis vnum, quàm aliud, & æquè quodlibet sub disiunctione,* Nego.

Contrà. Quod habet vim producendi vnum indiuiduum speciei, & non aliud, non habet vim æquè producendi quodlibet; atqui causæ secundæ habent tantùm vim producendi vnum indiuiduum speciei, & non aliud: ergo non habent vim producendi æquè quodlibet & non magis vnum, quàm aliud.

Minor pr. Causæ vniuocæ sunt causæ secundæ; atqui habent vim producendi vnum indiuiduum speciei, & non aliud: ergo causæ secundæ habent vim producendi vnum indiuiduum speciei, & non aliud.

Minor pr. Causarum vniuocarum indiuidua sunt ipsæmet cum aliis sui similibus; atqui habent vim producendi ista, & non seipsas: ergo causæ secundæ habent vim producendi vnum indiuiduum speciei, & non aliud.

Solutio: Atqui *non habent vim producendi seipsas primâ productione,* Concedo. *secundâ, seu si supponantur aliunde producta,* Nego. ergo *causæ secundæ habent vim producendi vnum indiuiduum, & non aliud primâ productione,* Concedo. *secundâ productione,* Nego. *sufficit autem vt absolutè dici possint omnia posse producere, & æquè quodlibet, vt aliqua possint producere tantùm secunda productione, vt seipsas. Secunda enim*

productio est vera, & propria productio, & consequenter, quod per illam producitur, verè & propriè producitur.

SECTIO III.

De causalitate causæ efficientis.

PRIMA CONCLVSIO:

Actio est causalitas causæ efficientis.

ILLVD est causalitas causæ efficientis, quo posito, seclusis alijs omnibus, illa actu causat; atqui positâ actione, seclusis alijs omnibus, causa efficiens actu causat: ergo actio est causalitas causæ efficientis.

Minor pr. Illo posito causa efficiens actu causat, quo posito aliquid efficit; atqui positâ actione aliquid efficit: ergo positâ actione actu causat.

Minor pr. Illo posito aliquid efficit, quo posito aliquid est ab illa actum; atqui posita actione est aliquid ab illa actum: ergo posita actione aliquid efficit.

Minor pr. Non potest esse actio, quin sit alicuius rei actio, seu effectio; atqui id, cuius est effectio est ab efficiente actum per illam: ergo positâ actione est aliquid ab illa actum.

SECVNDA CONCLVSIO:

Actio distinguitur realiter ab entitate causæ, & effectus.

EXISTENTIBVS entitatibus causæ, & effectus non existit actio: ergo actio distinguitur realiter ab entitate causæ, & effectus.

Vt minor probetur faciliùs,

Suppono ignem B, produci primo instanti à Deo, & igne A, debitè applicato, & secundo instanti produci à solo Deo, perseuerante nihilominus, & eodem modo applicato igne A.

Quo posito sic argumentor:

Secundo illo instanti existit ignis A, & ignis B; atqui nõ existit actio, per quam ignis A producebat primo instanti ignem B: ergo existentibus entitatibus causæ & effectus nõ existit actio.

Respondent *negando suppositionem, sed contra.*

Illa suppositio negari non debet, quæ nullam inuoluit contradictionem; atqui suppositio facta nullam inuoluit contradictionem: ergo negari non debet.

Minor pr. Quod nihil aliud importat, quàm ignem applicatũ ligno primò in illud agere, & deinde cessare ab omni actione in illud, cùm tamẽ Deus in illud agat, & in eo producat eumdẽ effectum, quem ignis antea eũ ipso producebat, nullam inuoluit contradictionem; atqui suppositio facta importat tantùm ignem primò agere in lignum, & deinde cessare ab omni actione in illud, cũ tamen Deus in illud agat, & in eo eundem producat effectum, quem ignis primò pro-

ducebat; ergo ſuppoſitio facta nullam inuoluit contradictionem.

Maior pr. In eo quod ignis applicatus ligno, primò in illud agat, & ceſſet deinde ab actione, cùm tamen nõ ceſſet Deus, nõ poteſt alia excogitari contradictio, quàm quòd Deus non præbeat ſuum concurſum igni debitè applicato ligno ſubiecto idoneo ad recipiendam eius actionem, aut quòd ſimul cum illa non commodatione concurſus Deus agat in lignum; atqui nulla eſt contradictio, quòd Deus non præbeat ſuum concurſum igni debitè applicato ligno ſubiecto idoneo ad recipiendam eius actionem; aut etiam agat in lignum cùm non præbetur ab ipſo concurſus igni: ergo quod nihil aliud importat, quàm ignem applicatum ligno primò in illud agere, & deinde ceſſare ab omni actione in illud cùm tamen Deus in illud agat, & in eo producat eundem effectum, quem ignis antea cum ipſo producebat, nullam inuoluit contradictionem.

Minor pr. Nulla eſſe poteſt contradictio, quòd Deus non præſtet concurſum, quem liberè præſtat, aut non agat, quod poteſt non agere; atqui Deus liberè præſtat ſuum cõcurſum igni debitè applicato ligno ſubiecto idoneo ad recipiendam eius actionem, & poteſt non agere in lignum: ergo nulla eſſe poteſt contradictio, quòd Deus non præſtet ſuum concurſum igni debitè applicato, aut etiam agat in lignum cùm non præbet concurſum igni.

Prima pars minoris probatur.

Non minùs liberè Deus præbet concurſũ igni applicato ligno, quã præbuit igni applicato tri-

bus pueris in fornace Babylonica; atqui isti præbuit cõcursũ liberè: ergo & igni applicatio ligno.

Minor pr. Illi Deus præbet concursum liberè cui ita præbet vt possit non præbere; atqui Deus ita præbuit concursũ igni applicatio tribus pueris, vt potuerit non præbere: ergo Deus liberè præbuit concursum igni applicato tribus pueris in fornace Babylonica.

Minor pr. Non minùs Deus potuit non præbere concursum igni applicato tribus pueris in ministros regis, quàm in pueros; atqui non præbuit in pueros: ergo & potuit non præbere in ministros regis.

Minor pr. Non minùs Deus potuit non præbere concursum igni applicato tribus pueris in eos in quos erat ipsi faciliùs agere, quàm in alios, in quos nõ ita facile: atqui facilius erat igni agere in tres pueros, quàm in ministros regis: ergo non minùs Deus potuit non præbere concursum igni applicato tribus pueris in ministros Regis, quàm in tres pueros.

Minor pr. Facilius erat igni agere in eos, quos vndique ambiebat, & quibus erat ex omni parte immediatus, quàm in eos, à quibus distabat, & si non distabat erat tantùm immediatus ex vna parte; atqui ambiebat tres pueros ex omni parte, distabat verò à ministris regis, aut si non distabat erat tantùm eis immediatus ex vna parte: ergo facilius erat igni agere in tres pueros, quã in ministros regis.

Secunda pars minoris superioris argumenti, quod Deus possit non agere in lignum, probatur.

Non minùs Deus potest non agere in lignum

igne ei debitè applicato, quàm potuit non agere in tres pueros in fornace Babylonica; atqui potuit non agere in tres pueros: ergo & potest non agere in lignum igne ei debitè applicato.

Obiicitur. Vt actio distinguatur à causa, & effectu debet esse quid medium inter illa; atqui actio non est quid medium inter causam, & effectum: ergo non distinguitur à causa, & effectu.

Minor pr. Vt actio sit quid medium inter causam, & effectum effectus non debet pēdere seipso, & immediatè à causa; atqui effectus pendet se ipso, & immediatè à causa: ergo actio non est quid medium inter causam, & effectum.

Minor pr. Non minùs effectus pēdet seipso immediatè à causa, quàm actio; atqui actio pendet immediatè à causa: ergo & effectus.

Maior pr. Actio est effectus: ergo non minùs effectus pendet seipso immediatè à causa, quàm actio.

Solutio: *Actio est effectus vt quo, seu via ad vlteriorem effectum,* Concedo. *est effectus vt quod,* Nego. ergo *non minùs effectus vt quo, pendet à causa se ipso immediatè, quàm actio,* Concedo, *effectus vt quod,* Nego.

Contrà. Eadem est ratio de effectu vt quo, & de effectu vt quod; sed effectus vt quo dependet immediatè à causa ex concessis: ergo & effectus vt quod.

Solutio: *Neganda est maior. Ratio disparitatis est, quia effectus vt quo, seu actio non est producibilis à variis causis sicut est effectus vt quod, ac proinde vt dicamus esse potiùs ab hac causa quàm ab alia debet interuenire aliquid distinctum ab ipso, & causa, quod nos vocamus actionem.*

Tertia Conclvsio:

Omnis passio est actio.

Passio est dependentia effectus à causa subiectiua; sed illa depedentia est actio: ergo omnis actio est passio.

Minor pr. Quod fit seipso à causa efficiente est actio; atqui illa dependentia fit seipsa immediatè à causa efficiente: ergo est actio.

Minor pr. Quod non fit per aliquid distinctum à causa efficiente fit seipso ab illa; atqui dependentia à causa subiectiua non fit per aliquid distinctum à causa efficiente: ergo fit seipsa à causa efficiente.

Minor pr. Illud distinctũ, per quod dici potest pẽdere à causa efficiẽte, debet necessariò pẽdere à causa subiectiua; atqui non potest pendere à causa subiectiua: ergo dependẽtia à causa subiectiua nõ fit à causa efficiẽte per aliquid distĩctũ.

Maior pr. Quod pendet seipso à causa efficiente, & non est creatio, debet necessariò pendere à causa subiectiua; atqui illud distinctum, per quod dependentia à causa subiectiua dici potest pendere à causa efficiente, non est creatio: ergo illud distinctum, per quod dependentia à causa subiectiua dici potest pendere à causa efficiẽte, debet necessariò ipsũ pẽdere à causa subiectiua.

Minor pr. Illud nõ est creatio, cuius terminus pendet à subiecto; atqui terminus istius distincti, dependentia, scilicet, à causa subiectiua verè pendet à subiecto: ergo illud distinctum per

quod dependentia à causa subiectiua dici potest pendere à causa efficiente, non est creatio.

Maior pr. Illud non est creatio, cuius terminus non creatur; atqui terminus, qui pendet à subiecto non creatur: ergo illud non est creatio, cuius terminus pendet à subiecto.

Minor pr. Illud non creatur, quod non fit independẽter à subiecto; atqui terminus, qui pendet à subiecto non fit independenter à subiecto: ergo terminus, qui pendet à subiecto nõ creatur.

QVARTA CONCLVSIO:

Omnis actio non est passio.

CREATIO est actio; atqui creatio non est passio: ergo omnis actio non est passio.

Minor pr. Illa actio non est passio; quæ non est dependentia effectus à causa subiectiua; atqui creatio non est dependentia effectus à causa subiectiua: ergo creatio non est passio.

Minor pr. Illa actio non est dependentia effectus à causa subiectiua, cuius terminus non pendet à subiecto; atqui terminus creationis non pendet à subiecto: ergo creatio non est dependentia effectus à causa subiectiua.

Minor pr. Illud non pendet à subiecto, quod fit independenter à subiecto; atqui terminus creationis fit independenter à subiecto: ergo terminus creationis non pendet à subiecto.

Minor pr. Illud fit independenter à subiecto, quod creatur, & est verè quid creatum; atqui terminus creationis creatur, & est verè quid creatum: ergo fit independenter à subiecto.

SECTIO IV.

De Conseruatione.

PRIMA CONCLVSIO:

Conseruatio non distinguitur necessariò à prima productione.

ILLA non distinguuntur necessariò, quæ semper non distinguuntur; atqui prima productio, & conseruatio semper non distinguuntur: ergo prima productio, & conseruatio non distinguuntur necessariò.

Minor pr. Illa non semper distinguuntur, quæ aliquando sunt idem; atqui prima productio, & conseruatio aliquãdo sunt idẽ: ergo prima productio, & conseruatio nõ semper distinguũtur.

Minor pr. Conseruatio est cõtinuata rei productio; atqui continuata rei productio, & prima productio aliquãdo sunt idem: ergo prima productio, & conseruatio aliquando sunt idem.

Minor pr. Cõtinuata rei productio nihil aliud est, quàm actio rei productiua non desinens statim, seu aliquandiu perseuerans; atqui prima productio aliquando non desinit statim, sed aliquandiu perseuerat: ergo continuata rei productio, & prima productio aliquando sunt idem.

Minor pr. Prima productio est actio, per quã agens dat primo esse effectui; atqui huiusmodi actio aliquando non desinit statim, sed aliquandiu perseuerat; ergo prima productio aliquãdo

non desinit statim, sed aliquandiu perseuerat.

Minor pr. Actio, per quam agens dat primo esse effectui desinere non debet, cū perseuerant eius causæ, & effectus; atqui aliquando perseuerant eius causæ, & effectus: ergo actio per quam agens dat primo esse effectui aliquando non desinit statim, sed perseuerat aliquandiu.

Minor pr. Actio productiua lucis à sole in aëre summo mane est actio, per quàm agens dat primo esse effectui; atqui perseuerant eius causæ, & effectus: ergo perseuerant aliquādo causæ, & effectus actionis, per quam agens dat primo esse effectui,

Minor pr. Causæ illius actionis sunt. Deus quidem, & sol efficiens, & aër subiectiua; effectus verò lux; atqui Deus, sol, aër, & lux perseuerant: ergo actionis productiuę lucis à sole in aëre summo mane perseuerant causæ, & effectus.

SECVNDA CONCLVSIO:

Deus conseruat omnia.

CONSERVARE est producere; atqui Deus producit omnia: ergo & conseruat omnia.

Respondent: *Conseruare est producere primò,* Negant. *secundò, tertiò, quartò*, Concedunt; atqui *Deus producit omnia primò*, Concedunt. *secundò, tertiò, & quartò*, Negant.

Contrà. Quod non producit omnia secundo, tertio, & quarto instanti, quo sunt, non habet in illa perfectissimum dominiū secundo, tertio, & quarto instāti; atqui Deus habet in omnia secūdo, tertio & quarto instanti, quo sunt perfectissimum dominium: ergo producit omnia secun-

do, tertio & quarto instanti quo sunt.

Maior & minor probata sunt suprà conclusione prima sectionis secundæ huius disputationis.

TERTIA CONCLVSIO:

Deus conseruat res creatas diuerso modo.

LVX solaris, & anima rationalis sunt res creatæ; atqui Deus conseruat lucem, & animam rationalem diuerso modo: ergo Deus conseruat res creatas diuerso modo.

Minor pr. Illa Deus conseruat diuerso modo, quorum vnum conseruat solus, alterum verò simul cum sole; atqui Deus conseruat solus animam rationalem, & lucem simul cum sole: ergo Deus conseruat lucem, & animam rationalem diuerso modo.

Prima pars minoris probatur.

Illud Deus conseruat solus, quod non fit neque conseruatur nisi per creationem; atqui anima rationalis non fit, neque conseruatur nisi per creationem: ergo Deus conseruat solus animam rationalem.

Minor pr. Quod non dependet à subiecto non fit, neque conseruatur nisi per creationẽ; atqui anima rationalis non dependet à subiecto: ergo non fit, neque conseruatur nisi per creationem.

Secunda pars minoris superioris argumenti, Deum conseruare lucem simul cum sole, pr.

Illud Deus conseruat simul cum sole, cui sol dat esse secũdo, tertio & quarto instãti, quo est; atqui sol luci à se productę dat esse secundo, ter-

tio & quarto instanti quo est: ergo Deus conseruat lucem simul cum sole.

Minor pr. Illi sol dat esse secundo, tertio & quarto instanti, quo est, quod perit cùm ab eo non potest accipere esse secundo, tertio & quarto instanti; atqui lux cùm non potest accipere esse à sole secundo, tertio & quarto instanti, perit: ergo sol dat esse luci secundo, tertio & quarto instanti.

Minor pr. Cùm recedit sol, aut inter ipsum & lucem interponitur corpus opacum, lux non potest ab eo accipere esse; atqui tunc perit lux teste experientia: ergo cùm lux non potest accipere esse à sole, perit.

SECTIO V.

De Creatione.

PRIMA CONCLVSIO:

Creatio seu productio rei ex nihilo sui, & subiecti, distinguitur realiter ab entitate causæ, & effectus.

ILLA distinguuntur, quorum vno existente non existit aliud; atqui existentibus entitatibus causæ creantis, & effectus creati non existit creatio: ergo creatio distinguitur realiter ab entitate causæ, & effectus.

Minor pr. Causa creans est Deus v.g. solus, vel

simul cum creaturis, effectus verò ab illis per creationem productus creabilis tantùm, aut simul etiam educibilis; atqui existentibus entitatibus Dei, & creaturarum, atque etiam effectus, siue sit tantùm creabilis, siue etiam simul educibilis, non existit creatio istius: ergo existentibus entitatibus causæ creantis, & effectus creati non existit creatio.

Suppono *Deum creare simul cum Angelo animam rationalem tantùm creabilem, aut calorem, qui est quoque educibilis, & secundo instanti illa solùm conseruare. quo posito sic argumentor:*

In illo secundo instanti existit causa creans, Deus scilicet, & Angel⁹, existit quoq; res creata, anima videlicet rationalis, & calor; atqui non existit creatio illorum ab Angelo, & Deo: ergo existentibus entitatibus Dei, & creaturarum, atque etiam effectus, siue creabilis tantùm, siue simul educibilis non existit creatio.

Minor pr. Creatio animæ rationalis, aut caloris à Deo simul, & Angelo, est dependentia illorũ ab istis duobus simul, & indiuisibiliter; atqui secundo instanti non est illa dependentia ab illis duobus simul, & indiuisibiliter: ergo secundo instanti non existit creatio illorum ab Angelo, & Deo.

Minor pr. Non est illa dependentia, cùm non dependent ab illis duobus simul; atqui in suppositione facta secundo instanti non dependent ab illis duobus simul; sed à solo Deo: ergo secundo instanti non est illa dependentia.

Suppositionem factam negant ij, qui sentiunt creaturam eleuari non posse ad creandum. Con-

tra eos agemus conclusione tertia, in qua contrarium probabimus. Iam diluenda sunt, quæ contra conclusionem opponunt.

Obij itur. Creatio est id, per quod effectus creabilis dependet à causa creante; atqui id, per quod effectus creabilis dependet à causa creante non distinguitur à causa, & effectu: ergo creatio non distinguitur à causa, & effectu.

Minor pr. Causa creans est Deus; atqui id, per quod effectus creabilis pendet à Deo, nõ distinguitur ab ipso, & Deo: ergo id, per quod effectus creabilis dependet à causa creante non distinguitur à causa, & effectu.

Minor pr. Id, per quod aliquid pendet essentialiter à Deo, non distinguitur ab ipso, & Deo; atqui effectus creabilis pendet essentialiter à Deo: ergo id, per quod effectus creabilis pendet à Deo non distinguitur ab ipso, & Deo.

Solutio: *Id, per quod aliquid pendet essentialiter à Deo hac, & vna tantùm numero dependentia, non distinguitur ab ipso, & Deo,* Concedo. *diuersa numero dependentia seu hac, vel illa,* Nego. atqui *effectus creabilis pendet essentialiter à Deo, vna tantùm numero dependentia,* Nego. *diuersa, seu hac, vel illa,* Concedo. *Est quidem verum, quòd effectus creabilis non potest non pendere à Deo, & eatenus certum est pendere ab eo, essentialiter, & necessitate metaphysica. Falsum est tamen, quòd pendere debeat hac tantùm numero dependentia, cùm terminare possit diuersas, vnam nimirum, per quam producatur à Deo solo, & aliam per quam producatur à Deo, & causa secunda.*

Contrà. Quod non dependet à Deo per aliquid distinctum, dependet à Deo hac tantùm, & vnica numero dependentia; atqui effectus creabilis non dependet à Deo per aliquid distinctum: ergo dependet à Deo hac tantùm, & vnica numero dependentia.

Minor pr. Illud distinctum, per quod dici potest pendere, debet necessariò esse accidens, vel substantia; atqui non potest esse accidens, neque substantia: ergo effectus creabilis non pendet à Deo per aliquid distinctum.

Prima pars minoris, non esse accidens, probatur.

Omne accidens debet esse in subiecto; atqui illud distinctum non potest esse in subiecto: ergo non est accidens.

Solutio: *Omne accidens debet esse in subiecto inhæsionis, vel adhæsionis*, Concedo. *inhæsionis tantùm*, Nego. atqui *illud distinctum non potest esse in subiecto inhæsionis*, Concedo. *adhæsionis*, Nego.

Contrà. Illud subiectum adhæsionis vel est agens, vel terminus; atqui non potest esse agens, neque terminus: ergo non est in subiecto adhæsionis.

Prima pars de agente non negatur à nobis, & probant secundam de termino.

Subiectum adhæsionis dat esse illi, quod ei adhæret; atqui terminus creationis non potest illi dare esse: ergo terminus non potest esse eius subiectum adhæsionis.

Maior pr. Subiectum adhæsionis est causa materialis eius, quod illi adhæret; atqui causa

materialis dat esse ei, cuius est causa materialis: ergo subiectum adhæsionis, dat esse illi quod ei adhæret.

Solutio: *Neganda est maior. Ratio est, quia subiectum adhæsionis nihil est aliud, quàm illud, cui alterum est affixum, & habet se per modum determinatiui, aut quasi determinatiui respectu illius, quod sanè conuenit creationi respectu sui termini, qui cùm fieri possit à variis causis determinatur per actionem, vt ab hac pendeat potiùs, quàm ab alia.*

SECVNDA CONCLVSIO:

Solus Deus est causa principalis creationis.

NIHIL aliud præter Deum, esse potest causa principalis creationis: ergo solus Deus potest esse causa principalis creationis.

Antecedens pr. Creatura non potest esse causa principalis creationis: ergo nihil aliud præter Deum, potest esse causa principalis creationis.

Minor pr. Creaturæ conuenire non potest id, quod est proprium solius Dei; atqui esse causam principalem creationis est proprium solius Dei: ergo creatura non potest esse causa principalis creationis.

Minor pr. Illud est proprium solius Dei, quod est medium idoneum ad probandum diuinitatem conuenire Spiritui sancto; atqui esse causam principalem creationis, est medium idoneum ad

probandum Spiritui sancto conuenire diuinitatem : ergo esse causam principalem creationis est proprium solius Dei.

Minor pr. Illud est medium idoneum ad probandùm Spiritus santi diuinitatem , quo sancti Patres vsi sunt in hunc finem ; atqui sancti Patres eo medio probarunt Spiritus sancti diuinitatem: ergo esse causam principalem creationis , est medium idoneum ad probandam Spiritus sancti diuinitatem.

Minor pr. Absolutè , & simpliciter creare est esse causam principalem creationis: atqui sancti Patres ex eo , quòd Spiritus sanctus dicatur in Scriptura creator absolutè , & simpliciter creare , inferunt ei conuenire diuinitatem contra Arianos: ergo sancti Patres eo medio probarunt Spiritus sancti diuinitatem.

TERTIA CONCLVSIO:

Creatura esse potest causa instrumentalis creationis.

ILLVD esse potest causa instrumentalis creationis, quod potest eleuari à Deo, ad producendum effectum aliquem independenter à subiecto; atqui creatura eleuari potest ad producendum effectum aliquem independenter à subiecto: ergo creatura esse potest causa instrumentalis creationis.

Minor pr. Ad hoc, vt creatura eleuetur à Deo, ad producendùm effectum aliquem indepenter à subiecto, nihil aliud requiritur, quàm vt Deus suppleat, quod subiectum confert effectui,

aut causæ efficienti coagenti; atqui Deus supplere potest, quod subiectum confert effectui, aut causæ efficienti coagenti: ergo creatura potest eleuari ad producendum effectum independenter à subiecto.

Minor pr. Subiectum nihil aliud confert effectui, aut causæ efficienti cum ipso agenti, aut solitæ coagere, quàm concursum æqualem, aut potiùs minorem eo, quem ista exhibet; atqui Deus potest supplere concursum æqualem ei, quem causa efficiens exhibet, & maiorem: ergo Deus potest supplere, quod subiectũ confert effectui, aut causæ efficienti solitæ cũ ipso agere.

Minor pr. Deus de facto supplet in multis casibus concursum æqualem ei, quem causa efficiens exhibet: ergo Deus supplere potest huiusmodi concursum.

Antecedens pr. Crebræ, & valdè frequentes sunt productiones animalium ex putri materia; atqui in illis omnibus Deus supplet concursum causæ efficientis principalis absentis: ergo Deus de facto supplet in multis casibus concursum æqualem ei, quem causa efficiens exhibet.

Obijcitur. Instrumentum creatum habere debet causam aliquam principalem creatam; atqui nulla est causa principalis creata creationis: ergo neque instrumentalis.

Maior pr. Quod fit semper, necessariò fit; atqui semper fit, vt causæ instrumentales creatæ habeant etiam causam principalem creatam: ergo instrumentum creatum habere debet causam aliquam principalem creatam.

Solutio; *Quod semper fit, necessariò fit necessi-*

tate physica, Concedo. *necessitate metaphysica*, Nego. *& permissa minori*: ergo *instrumentum creatum habere debet causam principalem creatum necessitate physica*, transeat. *metaphysica*, Nego. *Deus enim alia potest facere*, *& alio modo, quàm quæ facta sunt*, *& quo modo facta sunt*.

QVARTA CONCLVSIO:

Terminus connaturalis creationis est substantia spiritalis creata, *& materia prima*.

ILLVD est terminus connaturalis creationis, quod non fit dependenter à subiecto; atqui substantiæ spiritales creatæ, & materia prima, non fiunt dependenter à subiecto: ergo sunt terminus connaturalis creationis.

Minor pr. Quod non habet subiectum, aut ad cuius productionem non concurrit subiectum, non fit dependenter à subiecto; atqui materia prima, & substantiæ spiritales creatæ, aut non habent subiectum, aut ad ipsarum productionem subiectum non concurrit: ergo materia prima, & substantiæ spiritales creatæ non fiunt dependenter à subiecto.

Prima pars minoris probatur.

Quod est primum subiectum non habet subiectum; atqui materia prima est primum subiectum: ergo non habet subiectum.

Secunda pars minoris prioris argumenti probatur.

Substantiæ spiritales creatæ sunt Angeli, & anima rationalis; atqui Angeli non habent subiectum, & subiectum non concurrit ad productionem animæ rationalis: ergo substantiæ spiritales creatæ non habent subiectum, aut ad ipsarum productionem subiectum non concurrit.

Prima pars minoris probatur.

Substantiæ completæ nullum planè habent subiectum; atqui Angeli sunt substantiæ completæ: ergo Angeli non habent subiectum.

Secunda pars minoris probatur.

Nullum est fundamentum dicendi subiectum seu materiam concurrere ad productionem animæ rationalis: ergo subiectum non concurrit ad productionem animæ rationalis.

Antecedens pr. Non potest esse aliud fundamentum dicendi subiectum, seu materiam concurrere ad productionem animæ rationalis, quã quòd concurrat ad productionem formarum materialium; atqui illud fundamentum nullum est: ergo nullum est fundamentum dicẽdi subiectum, seu materiam concurrere ad productionem animæ rationalis.

Minor pr. Fundamentum, quòd materia concurrat ad productionem formarum materialium, non potest esse bonum ad concedendum eidem concursum in animam rationalẽ, nisi ratio propter quam dicitur concurrere ad illas reperiatur in ista; atqui ratio illa non reperitur in ista: ergo illud fundamentum nullum est.

Minor pr. Ratio, propter quam dicitur materia concurrere ad formas materiales est, quia non perseuerant separatæ ab ipsa; atqui anima

rationalis perseuerat separata à materia: ergo ratio propter quam materia dicitur concurrere ad formas materiales, non reperitur in anima rationali.

DISPVTATIO V.

De Causa exemplari.

SECTIO VNICA.

Quid sit, qualis Causa, & quæ eius Causalitas.

PRIMA CONCLVSIO:

Esse id, in quod inspiciens artifex operatur, conuenit soli causæ exemplari.



LIA ab exemplari, quibus dici potest conuenire esse id, in quod inspiciens artifex operatur, sunt causa efficiens, materialis, formalis, & finalis; atqui non conuenit illis: ergo conuenit soli exemplari.

Minor probatur.

Artifex non inspicit in ea dum operatur, quorum expressionem non intendit; atqui non intēdit expressionē causæ materialis, formalis, effi-

cientis,& finalis : ergo non inspicit dum operatur in causam materialem, formalem, efficientem, & finalem.

Minor pr. Artifex eorum expressionem non intendit, quæ iam facta supponit, aut ad ea non se aliter habet, quàm si essent facta; atqui artifex supponit causam materialem, formalem, & efficientem iam habere esse, & ad finalem non aliter se habet, quàm si esset facta : ergo artifex non intendit expressionem causæ materialis, formalis, efficientis, & finalis.

Prima pars minoris est clara, & secunda probatur.

Ad illud artifex non aliter se habet, quàm si esset factum, quod intendit tãtùm sibi, aut alteri coniungere; atqui intendit tantùm coniunctionem causæ finalis secum, aut cum alio: ergo non aliter se habet ad finalẽ, quàm si esset facta.

Minor pr. Non aliud intendit artifex in vlla causa finali, quàm in diuitiis; atqui intendit tantùm coniunctionem diuitiarum secum, aut cum alio, cui illas desideraret : ergo intendit tantùm coniunctionem causæ finalis secum, aut cum alio.

SECVNDA CONCLVSIO:

Exemplar non est cognitio, sed obiectum.

ILLVD est exemplar, in quod inspicit artifex, cùm operatur; atqui inspicit in obiectum, & non in cognitionem : ergo obiectum est exemplar, & non cognitio.

Minor pr. In illud inspicit artifex cùm operatur, quod vult exprimere; atqui vult exprimere obiectum, & non cognitionem: ergo inspicit in obiectum, & non in cognitionem.

Minor pr. Artifex intendit illud exprimere, quod rogatus dicit se velle facere; atqui rogatus quid velit exprimere, dicit se velle exprimere obiectum cognitionis: ergo vult exprimere obiectum.

Obiicitur. Exemplar est causa artefacti: atqui obiectum cognitionis artificis non est causa artefacti: ergo non est exemplar.

Minor pr. Obiectum cognitionis artificis non existit, aut est idem cum artefacto; atqui quod non existit aut est idem cum artefacto, non potest esse causa illius: ergo obiectum cognitionis artificis non est causa artefacti.

Solutio: Atqui *quod non existit, aut est idem cùm artefacto, non potest esse causa physica illius,* Concedo. *intentionalis*, Nego. *Ad hanc enim, vt possit causare non requiritur existentia, vt patet in causa finali, sanitate v.g. qua non existens mouet ægrotum ad sumenda remedia ad depellendum morbum, & recuperandam sanitatem*: ergo *obiectum cognitionis artificis non est causa artefacti physica*, Concedo. *intentionalis*, Nego.

Contrà. Exemplar debet esse causa physica artefacti: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Quod est causa alicuius, quod fit ad sui imitationẽ, debet esse illius causa physica: atqui exemplar est causa artefacti, quod fit ad ipsius imitationem: ergo exemplar debet esse causa physica illius.

Solutio: *Quod est causa alicuius, quod fit ad sui imitationem propriam, & rigorosam, debet esse causa physica illius*, transeat. *quod fit tantùm ad imitationem impropriam*, Nego. atqui *artefactum fit ad imitationem exemplaris propriam, & rigorosam*, Nego. *impropriam*, Concedo.

Contrà. Qui admittit artefactum non fieri ad imitationem propriam exemplaris, negare non potest cognitionem diuinam esse verè exemplar; atqui ex conclusione non est: ergo artefactum debet fieri ad propriam imitationem exemplaris.

Maior pr. Vt aliquid sit exemplar nihil aliud requiritur, quàm vt sit id, in quod inspicit artifex dum operatur, & ad eius imitationem impropriam fiat artefactum; atqui Deus inspicit in suam cognitionem dum operatur, & ad eius imitationem impropriam fit artefactum: ergo artefactum non fieri ad imitationem exemplaris est cognitionem diuinam esse exēplar.

Solutio: *Vt aliquid sit exemplar, nihil aliud requiritur, quàm vt sit id, in quod inspicit artifex dum operatur, ex eo quod debeat agere exemplariter*, Concedo. *ex alijs capitibus*, Nego. atqui *Deus inspicit in suam cognitionem ex eo præcisè, quòd agere debeat exemplariter*; Nego. *ex eo, quòd non possit non se reflectere supra suas cognitiones*, Concedo.

Contrà. Deus inspicit in suam cognitionem ex eo præcisè, quòd debeat agere exemplariter: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Deus inspicit, vt agat exēpla-

riter in suam cognitionem, vel in aliquid extra se; atqui non inspicit in quidquam extra se: ergo inspicit in suam cognitionem.

Minor pr. Quod inspicit in aliquid, vt agat exemplariter ab eo pendet in suis operationibus; atqui Deus non pendet ab vllo planè extra se in suis operationibus: ergo Deus non inspicit in quidquam extra se, vt agat exemplariter.

Solutio: *Quod inspicit in aliquid, ut agat exemplariter ab eo pendet in suis operationibus, tanquam à comprincipio physico*, Nego. *tanquam à comprincipio intentionali*, Concedo. atqui *Deus non pendet in suis operationibus ab vllo extra se, tanquam à comprincipio physico*, Concedo. *tanquam à comprincipio intentionali*, Nego. *dependentia enim hac à comprincipio intentionali, nullam planè refundit imperfectionem in Deum, sed potiùs arguit perfectionem, & ipsum habere perfectissimam notitiam eius, quod facit, & quod est terminus omnipotentia.*

Tertia Conclvsio:

Exemplar non est causa physica.

Illvd non causat physicè, quod non requirit existentiam ad causandum, neque approximationem debitam cum effectu; atqui exemplar ex iam probatis, non requirit existentiam ad causandum, neque approximationem cum effectu: ergo exemplar non est causa physica.

QVARTA CONCLVSIO:

Exemplar reuocatur ad causam efficientem.

ID, quod dirigit operis effectionem, & potentiam exequentem, reuocari debet ad causam efficientem, sed exemplar dirigit operis effectionem, & potentiam exequentem: ergo exemplar reuocatur ad causam efficientem.

Maior pr. Illud, quod magis accedit ad causam efficientem, quàm ad aliam causam reuocari debet ad causam efficientem; atqui quod dirigit operis effectionem & potentiam exequentem magis accedit ad causam efficientem, quàm ad aliam causam: ergo id, quod dirigit operis effectionem, & potentiam exequentem, reuocari debet ad causam efficientem.

Minor pr. Aliæ causæ sunt materialis, formalis, & finalis; atqui accedit magis ad causam efficientem quàm ad illas: ergo quod dirigit operis effectionem, & potentiam exequentem magis accedit ad causam efficientem.

Minor pr. Illud magis accedit ad causam efficientem, quàm ad materialem, formalem, & finalem, quod magis accedit ad modum operandi primæ, quàm aliarum; atqui quod dirigit operis effectionem, & potentiam exequentem magis accedit ad modum operandi efficientis, quàm ad modum operandi materialis, formalis, & finalis: ergo quod dirigit operis effectionem, & potentiam exequentem magis accedit ad causam efficientem.

Minor

Minor pr. Operis effectio est proprius modus operandi causæ efficientis: ergo causa quæ dirigit operis effectionem, & potentiam exequentem magis accedit ad modum operandi causæ efficientis.

Obÿcitur. Exemplar reuocatum ad causam efficientem, est tantùm causa per accidens; atqui exemplar non debet dici tantùm causa per accidens: ergo exemplar non reuocatur ad causam efficientem.

Maior pr. Causa remota est causa per accidens; atqui exemplar reuocatum ad causam efficientem, est tantùm causa remota: ergo & tantùm causa per accidens.

Minor pr. Illud est causa remota effectus, quod non concurrit ad illud immediatè; atqui exemplar reuocatum ad causam efficientem, non concurrit ad suum effectum immediatè: ergo est tantùm causa remota illius.

Minor pr. Eius effectus, est artefactum; atqui exemplar reuocatum ad causam efficientem, non concurrit ad artefactum immediatè: ergo exemplar reuocatum ad causam efficientē, non concurrit ad suum effectum immediatè.

Minor pr. Illud non concurrit immediatè ad artefactum, quod concurrit mediante alio; atqui exemplar reuocatum ad causam efficientem concurrit mediante alio: ergo non concurrit immediatè.

Minor pr. Exemplar reuocatum ad causam efficientem, concurrit mediante causa efficiente: ergo concurrit mediante alio.

Solutio: *Exemplar reuocatum ad causam effi-*


cientem, concurrit mediante causa efficiente ad artefactum sumptum secundùm esse physicum, & suam entitatem pracisè, Concedo. *sumptum secundùm denominationem, & formalitatem artefacti*, Nego. *Sensus est: Illud quod dicitur artefactum secundùm suam entitatem à causa efficiente immediatè fit, & eatenus mediatè ab exemplari; at provt est artefactum fit immediatè ab ipso exemplari, nihil enim aliud est medium, à quo illa denominatio desumi possit, & illi tribui.*

QVINTA CONCLVSIO:

Causalitas exemplaris est actio operis facti, cognitio illius, & volitio operandi ad illius imitationem.

ILLVD est causalitas exemplaris, quo posito exemplar actu causat; atqui positâ actione operis facti cognitione illius, & volitione operandi ad illius imitationem exemplar actu causat: ergo illa sunt eius causalitas.

Minor pr. Illis positis exemplar actu causat, quibus positis fit artefactum; atqui illis positis fit artefactum: ergo illis positis exemplar actu causat.



DISPVTATIO VI.

De Causa finali.

Sectio Vnica.

Quænam sit eius ratio causandi, causalitas, & quinam effectus.



Avsæ finalis notio id, propter quod aliquid fit, nullam habere videtur difficultatem, leuem etiam admodum eiusdem diuisio in finem cui, & qui: hic enim est bonum, quod amamus, & ille persona, cui illud volumus. quare his omissis, quæ de ea agitantur difficiliora explicemus.

Prima Conclvsio:

Ratio causandi finis est obiectum.

Illvd est ratio causandi finis, per quod constituitur potens causare; atqui constituitur potens causare per obiectum: ergo obiectum est ratio causandi finis.

Minor pr. Per illud constituitur potens causare, per quod constituitur potens mouere voluntatem; atqui per obiectum constituitur potens mouere voluntatem: ergo constituitur potens causare per obiectum.

Minor pr. Per illud constituitur potens mouere voluntatem, per quod de facto allicit voluntatem; atqui per obiectum de facto allicit voluntatem: ergo per obiectum constituitur potens causare.

Minor pr. Per illud de facto allicit voluntatem, quod de facto voluntas amat; atqui de facto voluntas amat obiectum: ergo per obiectum de facto allicit voluntatem.

Obiicitur. Illud non est ratio causandi finis, quod per se non constituit illum potentem actu causare; atqui obiectum non constituit finem potentem causare per se: ergo obiectum non est ratio causandi finis.

Minor pr. Illud non constituit per se finem potentem causare, quod hoc facit per aliud; atqui obiectum constituit tantùm per aliud finem potentem causare: ergo non constituit illum potentem causare per se.

Minor pr. Cognitio est aliud ab obiecto; atqui obiectum cõstituit tantùm finem potentem causare per cognitionem sui: ergo obiectum cõstituit tantùm finem potẽtem causare per aliud.

Minor pr. Obiectum constituit tantùm finem potentem causare per bonitatem apprehensam; atqui hoc est cõstituere illum potentem causare per cognitionem: ergo obiectum constituit tãtùm finem potẽtem causare per cognitionẽ sui.

Solutio: Atqui *hoc est constituere illum potentem causare per cognitionem, tanquam per conditionem sine qua non causaret,* Concedo. *tanquam per rationem influentem, & causantem.* Nego.

Contrà. Cognit io non est conditio, sine qua non: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Pura conditio sine qua non, nõ variat effectum causæ; atqui cognitio variat effectus causæ finalis: ergo non est pura conditio sine qua non.

Solutio: *Neganda est maior. Ratio est, quia ex approximatione maiori, aut minori agentis, quantumuis sit pura conditio, sequitur intensior, aut remissior effectus.*

SECVNDA CONCLVSIO:

Omnis actus voluntatis, sequens ex perfecta cognitione finis est effectus finis.

ILLVD est effectus finis, quod fit propter finem; atqui omnis actus voluntatis sequẽs ex perfecta cognitione finis fit propter finem: ergo est effectus finis.

Minor pr. Illud fit propter finem, quod fit ex bonitate finis; atqui omnis actus voluntatis sequens ex perfecta cognitione finis, fit ex bonitate finis: ergo & propter finem.

Obÿcitur. Primus amor est actus voluntatis sequens ex perfecta cognitione finis, atqui ille non est effectus finis: ergo omnes actus voluntatis sequentes ex perfecta cognitione finis non sunt effectus finis.

Minor pr. Illud non est effectus finis, quod non est propter finem; atqui primus amor non est propter finem: ergo non est effectus finis.

Minor pr. Illud non est propter finem, quod non est gratia finis; sed primus amor nõ est gra-

tia finis; ergo non est propter finem.

Minor pr. Illud non est gratia finis, quod non est ex amore finis; atqui primus amor non est ex amore finis: ergo non est gratia finis.

Maior pr. Gratia finis est ex amore finis, vel ex bonitate finis; sed non est ex bonitate finis: ergo est ex amore finis.

Minor pr. Actus brutorum sunt ex bonitate finis; atqui illi non sunt gratia finis: ergo gratia finis, & ex bonitate finis non sunt idem.

Solutio: *Actus brutorum sunt ex bonitate finis perfectè cognita,* Nego. *imperfectè cognita,* Cōcedo. ergo *gratia finis, & ex bonitate finis perfectè cognita non sunt idē,* Nego. *imperfectè cognita,* Concedo. *Bonitas finis perfectè cognita consistit in eo, quod qui illam cognoscit distinguat illam esse appetibilem propter se, & media tantùm propter illam, quod bruta non faciunt, quippe quæ ferantur in media, & finem absque aduertentia illius subordinationis.*

Contrà. Ad perfectam cognitionem bonitatis finis, non est necessaria aduertentia subordinationis illius, quòd finis sit appetibilis propter se, media verò propter illum: ergo licèt bruta non habeant huiusmodi aduertentiam agere possunt ex perfecta cognitione finis.

Antecedens pr. Vt sit illa aduertentia debet esse duplex cognitio, vna dicens finis est bonus; & media etiam; & alia. hæc tamen sunt tantū bona propter illum, & ille propter se; atqui non interuenit duplex huiusmodi cognitio cùm amamus: ergo ad perfectam cognitionē finis necessaria non est aduertentia subordinationis illius.

Solutio : *Vt sit illa aduertentia debet esse duplex cognitio, vna dicens finis est bonus, & media etiam, & alia, hæc tamen sunt tantùm bona propter illum, & ille propter se, cùm non est vna æquiualens illis duabus*, Concedo. *cùm est vna æquiualens illis duabus*, Nego, atqui *non datur duplex huiusmodi cognitio cùm non est vna æquiualens duabus illis*, Nego. *cùm est*, Concedo.

Contrà. Cùm amamus non est duplex huiusmodi cognitio, nec vna æquiualens duabus illis: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Cùm est huiusmodi duplex cognitio, aut aliqua illis æquiualēs, null⁹ est labor explicare, an quod amamus sit appetibile propter se; atqui multus est labor in quampluribus explicare, num quod amant sit appetibile propter se: ergo cùm amamus non est duplex huiusmodi cognitio, aut aliqua illis æquiualens.

Respondeo *minorem esse falsam, quia nosse aliquid esse appetibile propter se, nihil est aliud quàm nos experiri illud nō appetere propter aliud.*

Contrà. Explicare num aliquid sit appetibile propter se, nihil aliud est ex concessis, quàm nos experiri illud non appetere propter aliud; atqui bruta experiuntur se nō appetere finem propter aliud: ergo bruta nosse possunt an aliquid sit appetibile propter se.

Minor pr. Nos experiri, non appetere finem propter aliud, nihil est aliud, quàm nos habere actum tendentem in illum sine ordine ad aliud; atqui bruta habent similem actum: ergo bruta experiuntur se non appetere finem propter aliud.

Solutio: *Nos experiri non appetere finem propter aliud, nihil est aliud quàm habere actum tendentem in illum sine ordine ad aliud, ex præsupposita cognitione quod non sit appetibilis propter aliud*, Concedo. *sine præsuppositione huiusmodi cognitionis*, Nego. atqui *bruta habent similem actum ex præsupposita cognitione, quod non sit appetibilis propter aliud*, Nego. *sine præsuppositione huiusmodi cognitionis*, Concedo.

Contrà. Cognitio brutorum non repræsentat finem esse appetibilẽ propter aliud: ergo repræsentat quòd non sit appetibilis propter aliud.

Respondeo *falsam esse consequentiam, & ratio est, quia aliud est cognitionem nihil dicere de appetibilitate rei propter aliud, & aliud negare rei appetibilitatem propter aliud. Primum facit cognitio brutorum: secundum cognitio creaturæ intellectualis, cuius solius consequenter actus dici possunt esse verè, & propriè propter finem.*

TERTIA CONCLVSIO:

Actus Dei ad intra non sunt effectus finis.

ILLVD non est effectus finis, quod non est propter finem; atqui actus interni Dei non sunt propter finem: ergo actus Dei ad intra non sunt effectus finis.

Minor pr. Quod non fit propter finem, non est propter finem; atqui actus interni Dei non fiũt propter finem: ergò non sunt propter finem.

Minor probatur. Illud non fit propter finem,

quod non est vllo modo factibile; atqui actus interni Dei non sunt factibiles: ergo non fiunt propter finem.

Minor pr. Illi actus non sunt factibiles, qui habere non possunt causam; atqui actus interni Dei non possunt habere causam: ergo non sunt factibiles.

Minor pr. Nihil aliud dici potest illorum actuum causa, quàm Deus; atqui Deus non potest esse causa actuum suorum internorum: ergo actus interni Dei non possunt habere causam.

Minor pr. Causa distingui debet à suo effectu; atqui Deus non distinguitur à suis actibus internis: ergo Deus esse non potest causa suorum actuum internorum.

QVARTA CONCLVSIO:

Actus Dei ad extra sunt effectus finis.

ILLVD est effectus finis, quod fit propter finem; atqui actus Dei ad extra sunt propter finem: ergo sunt effectus finis.

Minor pr. Actus Dei ad extra sunt res productæ extra Deum; atqui illæ sunt propter finem: ergo actus Dei ad extra sunt propter finem.

Minor pr. Res productæ extra Deum sunt ex bonitate finis: ergo sunt propter finem.

Antecedens pr. Res productæ extra Deum sunt ex bonitate illa, propter quam factæ sunt à Deo; atqui Deus fecit illas propter suam bonitatem: ergo sunt ex bonitate finis.

Minor pr. Omnia propter semetipsum fecit Deus; Prou. 16. vers. 4. sed Deus est ipsa bonitas: ergo Deus fecit illas propter suã bonitatẽ.

Obijcies. Quoties actiones externæ agentis intellectualis sunt propter finem, eius aliqui actus interni, electio, scilicet, imperium, atque etiam primus amor sunt propter finem; atqui actus interni Dei ex superiori conclusione non sunt propter finem: ergo neque eius actus ad extra.

Solutio: Atqui *actus interni Dei necessarij non sunt propter finem*, Concedo. *liberi*, Nego.

Contrà. Ideò actus Dei necessarij non sunt propter finem, quia sunt ipsemet Deus; atqui etiam actus Dei liberi sunt ipsemet Deus: ergo actus Dei liberi non sunt propter finem.

Solutio: Atqui *etiam actus Dei liberi sunt ipsemet Deus secundùm id, quod dicunt in recto*, Concedo. *secundùm illud, quod important in obliquo, seu secundùm terminationem extrinsecam, & illud extrinsecum per quod complentur*, Nego. ergo *non sunt propter finem secundùm rectum*, Concedo. *secundùm obliquum*, Nego.

Contrà. Obliquum illud actuum Dei liberorum debet esse vel propter aliquem certum finem tantùm, vel indifferenter propter hunc, vel illum modò ex vno, modò ex alio; atqui neutrum dici potest: ergo obliquum actuum Dei liberorum non est propter finem.

Secunda pars minoris probatur.

Nulla potest afferri ratio cur sit potiùs ex hoc fine, quàm ex alio: ergo non est indifferens vt sit modò ex vno, modò ex alio.

Respondeo, *rationem illam esse actionem, quæ*

fit respicientem essentialiter non tantùm agens, & effectum, sed etiam hunc finem ; quem ea non respicit, per quam fit ex alio fine.

Contrà. Negatio combustionis v. g. ab igne Babylonico fuit propter finem aliquem potiùs, quàm propter alium, ex quo poterat esse ; atqui hoc non habuit per actionem respicientem hunc finem potiùs, quàm alium : ergo id, per quod obliquum actuum Dei liberorũ est propter hunc finem potiùs, quã alium, non est actio, per quam fit respiciens essentialiter hunc finem.

Solutio : Atqui *hoc non habuit per actionem respicientem hunc finem potiùs, quàm alium terminatam ad ipsam*, Concedo. *terminatam ad ignem non elicientem ipsius oppositum in iis circunstantiis*, Nego. ergo *id, per quod obliquum actuum Dei liberorum est propter hunc finem potiùs, quam alium, non est actio tantùm, per quam ipsum fit*, Concedo. *per quam ipsum fit aut aliud cum eo connexum*, Nego.

Contrà. *Posito quod Deus decreuerit liberè nihil omnino producere ad extra, sic argumentantur.*

Negatio in ea suppositione omnis entis creati est obliquum illius actus Dei liberi; atqui non respicit hunc finem potiùs, qqam alium, neque per actionem terminatã ad ipsam, aut ad aliud cum ea connexum : ergo obliquum actuum Dei liberorum non est propter hunc finem potiùs, quàm alium per actionem terminatam ad ipsam, aut ad aliud cum ea connexum.

Solutio : *Negatio in ea suppositione omnis entis creati est obliquum actus Dei liberi, & est indifferens, vt ad varios fines disiunctiuè ordinetur,* Ne-

go. & *non est indifferens, vt hunc finem potiùs respiciat, quàm alium, quòd sit aquè vtilis ad omnes, & per illam vnus obtineri non possit quin alij etiam omnes obtineantur*, Concedo. ergo *obliquum actuum Dei liberorum non est indifferēs, vt sit propter hunc finem potiùs quàm alium, neque per actionem terminatam ad ipsam, neque ad aliud cum ea connexum cùm non est indifferens, vt sit propter varios*, Concedo. *cùm est ad hoc indifferens*, Nego.

Contrà Obliquum illud actuum Dei liberorum est actio externa Dei; atqui actio externa Dei non respicit hunc finem potiùs, quàm alium: ergo obliquum actuum Dei liberorū non est indifferens, vt respiciat hunc finem potiùs, quā aliū.

Minor pr. Non magis actio externa Dei debet dici respicere finem, quàm actio externa hominis: atqui actio externa hominis non respicit finem: ergo neque actio externa Dei.

Solutio: *Neganda est maior. Disparitas est, quia actio illa externa Dei determinat immediatè indifferentiam voluntatis diuinæ, non verò actio externa hominis; sed volitio à qua imperatur, quæ cùm sit immediatum determinatiuum indifferentia nostra voluntatis, vt ponatur hac actio propter hunc finem potiùs, quàm alium, essentialiter illum respicit*.

Contrà Nihil volitionis diuinæ debet dici respicere hunc potiùs finem, quàm alium; atqui actio illa externa est aliquid volitionis diuinæ: ergo non magis actio externa Dei debet dici respicere finem; quàm actio nostra externa.

Maior pr. Hic finis potiùs, quā alius est aliqua

bonitas creata; atqui nihil volitionis diuinæ respicit bonitatem creatam: ergo nihil volitionis diuinæ debet dici respicere hunc potiùs finem quàm alium.

Minor pr. Id quod respicit volitio vt finem est eius obiectum formale: atqui bonitas creata nō est obiectū formale volitionis diuinæ: ergo nihil volitionis diuinæ respicit bonitatē creatam.

Minor pr. Obiectum formale tribuit speciem volitioni: atqui bonitas creata non tribuit speciem volitioni diuinæ: ergo bonitas creata non est obiectum formale illius.

Solutio: *Obiectum formale tribuit speciem volitioni per veram causalitatem, vel per solam terminationem* Concedo. *per solam veram causalitatem, & efficientiam,* Nego. atqui *bonitas creata non tribuit speciem volitioni diuinæ per veram causalitatem*: transeat, *hoc enim falsum est de libera, quæ cùm sit saltem ex parte, aliquid extra Deum eatenus habere potest veram causalitatem*: *per terminationem extrinsecam*, Nego.

Contrà. Quod tribuit speciem alteri etiam per terminationem est æquè necessarium, ac ipsum, atqui bonitas creata non est æquè necessaria; ac volitio diuina: ergo bonitas creata non tribuit speciē volitioni diuinæ etiā per terminationē.

Solutio: Atqui *bonitas creata existens non est æquè necessaria, ac volitio diuina necessaria,* Concedo. *libera,* Nego. *aut bonitas creata possibilis non est æquè necessaria ac volitio diuina etiam necessaria*, Nego. *tam enim implicat esse omnipotentiam, omniscientiam, & complacentiam circa possibilia ipsis factis impossibilibus; quam è*

contrà ista esse possibilia illis impossibilibus: bonitas creata existens, Concedo, ergo *bonitas creata non tribuit speciem volitioni diuinæ etiam per terminationem vt existens*, Concedo. *vt possibilis*, Nego.

QVINTA CONCLVSIO:

Causalitas finis respectu actuum elicitorum voluntatis est actio, qua illi fiunt dependenter à fine.

ILLVD est causalitas finis respectu huiusmodi actuum, quo posito illos actu causat; sed positâ illâ actione finis illos actu causat: ergo causalitas finis respectu actuum elicitorum voluntatis est actio, quâ illi fiunt dependenter â fine.

Maior pr. Illo posito finis causat illos actus, quo posito illi fiunt ex bonitate illius; atqui positâ illâ actione fiunt ex bonitate illius: ergo positâ illâ actione finis illos causat.

Minor pr. Illo posito illi actus fiunt ex bonitate finis, quod cùm est fiunt dependenter ab illo; atqui positâ actione fiunt dependenter à fine: ergo & ex bonitate illius.

CONCLVSIO SEXTA:

Causalitas finis respectu mediorum est actio, quâ illa executioni mandantur ex intentione finis.

ILLVD est causalitas finis respectu mediorum, quo posito finis actu causat media; sed po-

sitâ actione, quâ illa executioni mandantur ex intentione finis causantur à fine: ergo causalitas finis respectu mediorum est actio, quâ illa executioni mandantur ex intentione finis.

Minor pr. Illo posito media actu causantur à fine, quo posito fiunt ex bonitate finis; atqui positâ illâ actione fiunt ex bonitate finis: ergo positâ actione, quâ illa executioni mandantur ex intentione finis causantur à fine.

Maior pr. Illo posito fiunt ex bonitate, quo posito fiunt ex intentione finis; atqui positâ illâ actione fiunt ex intentione finis: ergo positâ illâ actione fiunt ex bonitate finis.

Obijcitur. Illud non est causalitas finis respectu mediorum, quo posito finis actu illa non causat; atqui positâ actione quâ illa executioni mandantur ex intentione finis, finis illa actu non causat: ergo hæc actio non est causalitas respectu illorum.

Minor pr. Finis est v. g. sanitas; atqui actio, qua media executioni mandantur ex intentione illius, illam non constituit causantem actu illa media: ergo positâ actione, quâ illa executioni mandantur ex intentione finis, finis illa actu non causat.

Minor pr. Media illa sunt deambulatio v. g. atqui actio, quâ executioni mandatur deambulatio ex intentione sanitatis non constituit illam actu causantem: ergo actio, qua media executioni mandantur ex intentione sanitatis non constituit illam actu causantem.

Minor pr. Deambulatio causari potest, & de facto causatur à recreatione: ergo actio quâ

executioni mandatur non constituit actu causantem sanitatem.

Consequentia pr. Non constituit sanitatem, & recreationem actu causantes; atqui ex concessis constituit recreationem actu causantem: ergo non constituit simul sanitatem actu causantem.

Minor pr. Vel constituit sanitatem, & recreationem actu causantes tanquam causas totales, vel tanquam causas partiales; sed neutrum dici potest: ergo non constituit illas simul actu causantes.

Respondeo, *constitui causantes tanquam causas totales.*

Obijcies Causæ totales habere debent causalitates distinctas; atqui actio, quâ executioni mandatur deambulatio, est vna tantùm entitas: ergo non constituit sanitatem, & recreationem actu causantes tanquam causas totales.

Solutio: *Causa totales physica, & reales habent causalitates omnino distinctas*, Concedo. *causa intentionales*, Nego. *& concessa minori distinguo consequens*: ergo *non constituit sanitatem, & recreationem actu causantes tanquam causas totales physicas*, Concedo. *intentionales*, Nego. *Addi posset actionem, quâ executioni mandatur deambulatio, quatenus dicit intentionem, ex qua ponitur sanitatis scilicet, & recreationis non esse eandem planè; in quantum enim recreatio distinguitur à sanitate, in tantum illa actio ex intentione sanitatis est diuersa à seipsa, ex intentione recreationis.*

SEPTIMA CONCLVSIO: *Finis non eſt cauſa phyſica.*

ILLVD non eſt cauſa phyſica, quod non requirit exiſtentiam ad cauſandum; atqui finis non requirit exiſtentiam ad cauſandum: ergo finis non eſt cauſa phyſica.

Minor pr. Quod non exiſtens cauſat non requirit exiſtentiam ad cauſandum; atqui finis non exiſtens cauſat: ergo non requirit exiſtentiam ad cauſandum.

Minor pr. Sanitas eſt finis; atqui ſanitas non exiſtens cauſat: ergo & finis.

Minor pr. Quod non exiſtens mouet ad ſumptionem medicinæ non exiſtens cauſat; atqui ſanitas non exiſtens mouet ægrotum ad ſumptionem medicinæ: ergo non exiſtens cauſat.

Minor pr. Sanitas mouens ægrotum ad ſumptionem medicinæ non poteſt in alio dici exiſtens quàm in ipſo; atqui in ipſo non exiſtit: ergo ſanitas non exiſtens mouet ad ſumptionem medicinæ.

Minor pr. In eo ſanitas non exiſtit, in quo exiſtit morbus; atqui in ægroto exiſtit morbus: ergo in eo non eſt ſanitas.

Obijcitur Illud eſt cauſa phyſica, quod habet veram, & phyſicam cauſalitatem; atqui finis habet veram, & phyſicam cauſalitatem: ergo eſt cauſa phyſica.

Solutio: *illud eſt cauſa phyſica, quod habet phyſicam cauſalitatem pendentem ab ipſo per phyſicum influxum*, Concedo. *pendentem tantùm*

ab ipso intentionaliter, Nego. atqui *finis habet veram, & physicam causalitatem pendentem ab ipso per physicum influxum*, Nego. *pendentem tantùm ab ipso intentionaliter*, Concedo.

Contrà. Finis habet causalitatem physicam pendentem à se per physicum influxum: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Illud habet causalitatem physicam pendentem à se per physicum influxum, à quo huiusmodi causalitas realiter pendet; atqui causalitas physica agentis realiter pendet à fine: ergo finis habet causalitatem physicam pendentem à se per physicum influxum.

Solutio: *Illud habet causalitatem physicam pendentem à se per physicum influxum à quo huiusmodi causalitas pendet realiter physicè*, Concedo. *realiter intentionaliter*, Nego. atqui *causalitas physica agentis pendet realiter intentionaliter à fine*, Concedo. *realiter physicè*, Nego.

Contrà. Ab eo causalitas physica agentis pendet realiter physicè, quod verè, & realiter mouet voluntatem; atqui finis verè, & realiter mouet voluntatem: ergo ab eo causalitas agentis pendet realiter physicè.

Solutio: *Ab eo causalitas physica agentis pendet realiter physicè, quod mouet voluntatem verè, & realiter physicè*, Concedo. *intẽtionaliter tantùm*, Nego. atqui *finis verè & realiter physicè mouet voluntatem*; Nego. *intentionaliter*, Concedo. *Mouere physicè voluntatem est aliquid in illa per efficientiam veram producere, mouere verò illam intentionaliter est tantùm esse obiectum alicuius actus ab ipsa eliciti, qui deinde efficiat, vt aliquid fiat ab agente ad obtinendum illud obiectum.*




TRACTATVS III.

DE AFFECTIONIBVS *rerum naturalium.*



ERTVM est explicationem principiorum, & causarum rei alicuius iuuare plurimum ad eius cognitionem. Hanc autem esse non posse omninò perfectam sine declaratione affectionum ipsius cùm nemini dubium sit: Explanationi principiorum, & causarum rerum naturalium, quam huc vsq; tradidimus subiungam breuiter disputationes quinque aut sex de earum affectionibus, inter quas cùm motus teneat primum locum, vtpote per quem definiatur natura, abs re non erit ab illo incipere. Quare sit.





DISPVTATIO I.


De Motu.

SECTIO PRIMA.

Quid sit mutatio & motus, quis huius terminus, & quænam inter vtrumque distinctio.

PRIMA CONCLVSIO:

Mutatio genericè sumpta rectè dicitur & quidem sola transitus subiecti præexistentis ab vno statu in oppositum.



PRIMA pars probatur. Id, per quod subiectum aliter se habet, ac antè, rectè dicitur transitus subiecti præexistentis ab vno statu in oppositum; atqui per mutationem subiectum aliter se habet, ac antè: ergo mutatio rectè dicitur transitus subiecti præexistentis ex vno statu in oppositum.

Minor pr. Per illud subiectum se aliter habet, ac antè, per quod, aut habet aliquid, quo antea carebat, aut caret aliquo, quod antea habebat; atqui per mutationem habet aliquid, quo antea

carebat, aut caret aliquo, quod antea habebat: ergo aliter se habet ac antè.

Minor pr. Subiectum habet aliquid, quo antea carebat cùm acquirit formam nouam, & caret aliquo quod antea habebat cùm amittit veterem; atqui acquirit nouam, & deperdit veterem per mutationem: ergo subiectum per mutationem habet aliquid, quo antea carebat, aut caret aliquo, quod antea habebat.

Secunda pars conclusionis, quòd nihil aliud sit transitus subiecti praexistentis, ab vno statu in oppositum, probatur.

Alia, quæ dici possent transitus subiecti præexistentis ab vno statu in oppositum, sunt actiones ex non subiecto, aut actiones ex subiecto, nō præexistente tempore; sed hoc non conuenit illis: ergo sola mutatio est transitus subiecti ab vno statu in oppositum.

Minor pr. Hoc nō conuenit illis, quæ non trāsferunt suum subiectum ab vno statu in oppositum; atqui allatæ actiones id non faciunt: ergo non conuenit illis.

Minor pr. Illę actiones hoc non faciunt, quæ aut non habent subiectū, aut illud non inueniunt sub statu opposito illi, quem illi dant; atqui allatæ actiones, aut non habent subiectum, aut non inueniunt illud sub statu opposito illi, quem illi dant: ergo allatæ actiones hoc non faciunt.

Minor pr. Actiones ex non subiecto non habent subiectum, & actiones ex subiecto non præexistente tempore, non inueniunt illud sub statu opposito illi, quem illi dant: ergo allatæ actiones, aut non habent subiectum, aut non

inueniunt illud sub statu opposito illi, quem illi dant.

Prima pars minoris est clara, & secunda probatur.

Cùm actio est cùm primùm est subiectum ipsius, non inuenit illud sub statu opposito illi, quē illi dat; atqui actio est cùm primo est subiectū, quod non præcedit illam tempore: ergo actiones ex subiecto non præexistente tempore non inueniunt illud sub statu opposito illi, quē illi dant.

Obijcies. Mutatio instantanea non est transitus subiecti ex vno statu in oppositum: ergo mutatio genericè sumpta non est transitus subiecti ab vno statu in oppositum.

Antecedens pr. Illa mutatio, non est transitus subiecti ab vno statu in oppositum, quæ non est successiua; atqui mutatio instantanea non est successiua: ergo non est transitus subiecti ab vno statu in oppositum.

Solutio: *Illa mutatio non est transitus subiecti ab vno statu in oppositum, quæ non est successiua, hoc est includens successionem statuum oppositorum,* Concedo. *hoc est includens successionem mutationum* Nego. Atqui *mutatio instantanea non est successiua, hoc est includens successionem statuum oppositorum,* Nego. *successionem mutationum,* Concedo.

Contrà. Quod consistit in positione termini ad quem, non includit successionem statuum oppositorum; atqui mutatio instantanea consistit in positione termini ad quem: ergo mutatio instantanea, non includit successionem statuum oppositorum.

Solutio : *Quod consistit adaquatè in positione termini ad quem, non includit successionem statuum oppositorum*, Concedo. *quod non consistit in ea adaquatè, sed tantùm inadaquatè*, Nego. Atqui *mutatio instantanea consistit in positione termini ad quem adaquatè*, Nego. *inadaquatè*, Concedo. *Includit enim præter acquisitionem termini ad quem desitionem termini à quo.*

SECVNDA CONCLVSIO:

Definitio motus actus entis in potentia, prout in potentia, conuenit motui propriè dicto, & mutationi strictè sumptæ, prout diuersimodè explicatur.

ILLA definitio potest ita explicari, vt sensus illius sit motum esse productionem formæ in subiecto illa carente, aut esse productionem formæ in subiecto partim illam habente, partim non habente, sed immediatè pòst habituro; atqui iuxta primam explicationem conuenit mutationi strictè sumptæ, & iuxta secundam motui propriè dicto: ergo definitio motus actus entis in potentia, prout in potentia, conuenit motui propriè dicto, & mutationi strictè sumptæ.

Obÿcies. Ist. definitio actus entis in potentia, prout in potentia, quomodocunque explicetur non conuenit soli motui propriè dicto : ergo non est eius definitio.

Antecedens pr. Acquisitio vbi permanentis in

corpore non est motus; atqui hæc definitio conuenit illi: ergo ista definitio quomodocunque explicetur, non conuenit soli motui propriè dicto.

Solutio: Atqui *hæc definitio conuenit illi intellecta iuxta primam explicationem*, Concedo. *iuxta secundam*, Nego. *& eodem modo distinguendum est consequens.*

Contrà. Iuxta secundam explicationem intellecta non conuenit omni motui: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Motus adæquatè sumptus est verus motus; sed non conuenit illi: ergo iuxta secundam explicationem, non conuenit omni motui.

Solutio: *Motus adæquatè sumptus est verus motus in fieri*, Nego. *in facto esse*, Concedo. *& concessa minori: ergo non conuenit omni motui in fieri*, Nego. *in facto esse*, Concedo. *Ratio est, quia motus adæquatè sumptus, non constituit suum subiectum in potentia ad vlteriorem formam mox habituram prout facit motus in fieri, seu dum fit.*

TERTIA CONCLVSIO:

Datur motus ad quantitatem, qualitatem, & vbi.

AD illa datur motus, quæ debent produci successiuè, aut acquiri; atqui quantitas acquiri debet successiuè, qualitas, & vbi produci successiuè: ergo datur motus ad quantitatem, qualitatem, & vbi.

Prima

Prima pars minoris probatur.

Illud acquiri debet successiuè, cuius vna pars acquiri debet ante aliam; atqui vna pars quantitatis acquiri debet ante aliam: ergo quantitas acquiri debet successiuè.

Minor pr. Eo modo acquiruntur partes quantitatis, quo disponuntur; atqui vna pars priùs disponitur quàm alia: ergo vna pars acquiri debet ante aliam.

Minor. pr Eo modo disponuntur partes quantitatis, quo agens illis applicatur, & in illas agit: atqui priùs applicatur vni: quàm aliis: ergo vna priùs disponitur, quàm alia.

Minor pr. Agens priùs applicatur viciniori, quàm remotiori, & priùs agit in viciniorem, quàm in remotiorem: ergo priùs applicatur vni, quàm aliis.

Secunda pars minoris superioris argumenti, qualitatem produci successiuè, probatur.

Illa forma produci debet successiuè, quæ habet contrarium; atqui qualitas habet contrarium: ergo debet produci successiuè.

Maior pr. Eo modo forma, quæ habet contrarium produci debet, quo istud destruitur; atqui istud destruitur tantùm successiuè: ergo forma, quæ habet contrarium produci debet successiuè.

Probatur primò maior.

Subiectum non plus acquirit vnius contrarij, quàm deperdat alterius: ergo eo modo forma, quæ habet contrarium produci debet, quo istud destruitur.

Probatur secundò minor prioris argumenti.

Illud destruitur tantùm successiuè, quod non

perit totum statim, ac ei applicatur, & in ipsum pugnat agens inimicum; atqui contrarium non perit totum statim, ac ei applicatur, & in ipsum pugnat agens inimicum: ergo contrarium destruitur tantùm successiuè.

Minor pr. Agens inimicum frigori existenti in aqua est ignis; atqui frigus aquæ non perit totum, cùm ei primò applicatur ignis teste experientia: ergo contrarium non perit totum statim, ac ei applicatur agens inimicum.

Tertia pars minoris primi argumenti, vbi produci successiuè probatur.

Illud producitur successiuè, quod non producitur totum simul; atqui vbi non producitur totum simul: ergo producitur successiuè.

Minor pr. Vbi corporum non potest produci totũ simul, quin eius subiectum sit simul in pluribus locis, atqui non potest esse in pluribus locis simul: ergo vbi corporum non potest produci totum simul.

Maior probatur. Vbi corporum, per quod mouentur est multiplex: atqui corpus nõ potest habere multiplex vbi, quin sit in pluribus locis: ergo vbi corporum non potest produci totum simul, quin eius subiectum sit simul in pluribus locis.

Maior pr. Illud vbi est multiplex, per quod eius subiectum corespõdet maiori spatio nulla facta rarefactione; atqui corpus, quod mouetur corespondet maiori spatio: ergo vbi, quod in eo habet, & in eo mouetur est multiplex.

Obiicitur. Non datur motus ad id, cuius subiectum non manet idem sub vtroque termino;

atqui subiectum quantitatis non manet idem sub vtroque termino: ergo non datur motus ad quantitatem.

Solutio: *Non datur motus ad id, cuius subiectum non manet sub vtroque termino idem essentialiter*, Concedo. *idem entitatiuè, & integraliter*, Nego. atqui *subiectum augmentationis non manet sub vtroque termino idem essentialiter*, Nego. *integraliter*, Concedo.

Contrà. Quod non manet idem integraliter immutatur; atqui motus non debet immutare suum subiectum: ergo non datur motus ad id, cuius subiectum non manet idem integraliter.

Minor pr. Motus localis corporis est verus motus; atqui non immutat suum subiectū: ergo motus non debet immutare suum subiectum.

Solutio: Atqui *motus localis non immutat suum subiectum sensibiliter valde, vel non ita sensibiliter*, Nego. *sensibiliter valde semper*, Concedo. ergo *motus non immutat suum subiectum semper ita sensibiliter*, Concedo. *nullo modo sensibiliter*, Nego.

Contrà. Non magis datur motus ad vbi non ita sensibiliter immutās suum subiectum, quàm ad qualitatem, quæ illud sensibiliter immutat; atqui non datur motus ad qualitatem: ergo neque ad vbi quantumuis non ita sensibiliter immutet suum subiectum.

Minor pr. Non potest dari motus ad qualitatem, nisi per se, vel per accidens; atqui non datur motus ad qualitatē neque per se, neque per accidens: ergo non datur motus ad qualitatem

Prima pars minoris probatur.

Ad illud non datur per se motus, ad quod non datur necessariò; atqui ad nullam qualitatem datur necessariò motus: ergo non datur per se motus ad aliquam qualitatem.

Minor probatur. Ad illud non datur necessariò motus, quod non fit necessariò successiuè; atqui nulla qualitas fit necessariò successiuè: ergo ad nullam qualitatem datur necessariò motus.

Minor pr. Illud non fit necessariò successiuè quod potest fieri simultaneè; atqui omnis qualitas potest fieri simultaneè: ergo nulla qualitas fit necessariò successiuè.

Minor pr. Non potest afferri alia ratio, cur qualitas fieri non possit simultaneè, quàm existentia contrarij in subiecto, aut non applicatio virtutis infinitæ ad illud introducendum in illud subiectum; atqui non est necessarium, vt contrarium sit in subiecto, aut non applicetur virtus infinita ad illam introducendam: ergo omnis qualitas fit simultaneè.

Solutio: Atqui *non est necessarium vt contrarium sit in subiecto, aut non applicetur virtus infinita, ad illam introducendam absolutè loquendo,* Concedo. *spectato ordine statuto in rerum natura,* Nego. ergo *omnis qualitas fieri potest simultaneè de potentia Dei absoluta,* Concedo. *spectato ordine statuto in rerum natura,* Nego. *Verum quidem est Deum posse per suam omnipotentiam efficere si velit, vt non sit contrarium fortius in subiecto, in quod induci debet calor, aut etiam si sit vt vincatur statim, & simul totum ab*

agente virtutis infinitæ, quod potest producere: non tamen si habere velit rationem ordinis à se statuti in rerum natura, qui petit vt quantum deest vnius contrarij in subiecto tantundem sit alterius, & ne detur agens infinitæ virtutis, cui nihil possit resistere.

CONCLVSIO QVARTA:

Motus distinguitur modaliter à suo termino intrinseco.

MOTVS est vel augmentatiuus, vel alteratiuus, vel localis; atqui & augmentatiuus, & alteratiuus, & localis distinguuntur modaliter à suis terminis intrinsecis: ergo motus distinguitur modaliter à suo termino intrinseco.

Duæ primæ partes minoris sunt claræ, & probatur tertia.

Terminus intrinsecus motus localis est vbi fluens; atqui motus distinguitur modaliter ab vbi fluente: ergo & à suo termino intrinseco.

Minor pr. Motus est actio, per quam fit illud vbi fluens; atqui illa actio distinguitur ab illo vbi fluente: ergo & motus.

Minor pr. Effectus, qui fieri potest à varijs causis distinguitur ab actione, per quam fit; atqui vbi fluens fieri potest à varijs causis: ergo actio per quam fit distinguitur ab illo.

Minor pr. Vbi fluens fieri potest à Deo solo, vel à Deo, & causa secunda: ergo fieri potest à varijs causis.

Antecedens pr. Non est aliud vbi fluens rei mouentis seipsam in eodem spatio & motæ ab alio:

ergo vbi fluens fieri potest à Deo solo, vel à Deo & causa secunda.

QVINTA CONCLVSIO:

Motus est idem realiter cum actione.

PASSIO est idem realiter cum actione; atqui motus est idem realiter cum passione: ergo etiam est idem realiter cum actione.

Minor pr. Motus est id, per quod subiectum recipit formam; atqui id per quod subiectum recipit formam est passio: ergo motus, & passio sunt idem.

SEXTA CONCLVSIO:

Motus distinguitur formaliter ab actione, & passione.

ILLA distinguuntur formaliter, quorum sunt diuersi conceptus: atqui sunt diuersi conceptus actionis, passionis, & motus: ergo distinguuntur formaliter.

Minor pr. Conceptus actionis explicat illam in ordine ad agens, conceptus passionis explicat illam in ordine ad subiectum, & conceptus motus illum explicat in ordine ad terminum, aut ad subiectum præexistens: atqui illi tres conceptus vt patet sunt diuersi: ergo & illi actionis, passionis, & motus.

SECTIO II.

De successione, continuitate, specificatione, & contrarietate motus.

CONCLVSIO PRIMA:

Motus formaliter sumptus est essentialiter successiuus.

ILLVD est essentialiter successiuum de cuius essentia est successio: atqui successio est de essentia motus formaliter sumpti: ergo motus formaliter sumptus est essentialiter successiuus.

Minor pr. Illud est de essentia motus formaliter sumpti, quod distinguit illū essentialiter ab alijs actionibus, quæ non sunt motus formaliter sumptus: atqui successio distinguit essentialiter motum formaliter sumptū ab alijs actionibus, quæ nō sunt motus formaliter sūptus: ergo successio est de essentia motus formaliter sumpti.

Minor pr. Aliæ actiones, quæ non sunt motus formaliter sumptus sunt mutationes instantaneæ: atqui successio distinguit essentialiter motum à mutationibus instantaneis: ergo successio distinguit essentialiter motum ab alijs actionibus, quæ non sunt motus formaliter sumptus.

Minor pr. Illud distinguit essentialiter motum formaliter sumptū à mutationibus instantaneis quod est primum in illo, & non conuenit mutationibus instantaneis: atqui successio est primū in motu formaliter sumpto, & non cōuenit mutationibus instātaneis: ergo successio distinguit

essentialiter motum formaliter sumptum à mutationibus instantaneis.

Obiicitur. Successio non est de essentia motus formaliter sumpti: ergo motus formaliter sumptus non est essentialiter successiuus.

Illud non est de essentia motus, quo sublato ipse manet; atqui sublata successione manet motus: ergo successio non est de essentia motus.

Solutio: Atqui *sublata successione manet motus formaliter sumptus*, Nego. *materialiter sumptus*, Concedo. ergo *successio non est de essentia motus formaliter sumpti*, Nego. *materialiter sumpti*, Concedo.

Contrà Motus manet formaliter sumptus sublato eo, quod nihil est illius; atqui successio nihil est motus formaliter sumpti: ergo sublata successione manet motus formaliter sumptus.

Minor pr. Negatio nihil est motus formaliter sumpti; atqui successio est negatio: ergo successio nihil est motus formaliter sumpti.

Maior pr. Negatio nihil est entis positiui; atqui motus formaliter sumptus est positiuus: ergo negatio nihil est motus.

Solutio: *Negatio nihil est entis adæquatè positiui*, Concedo. *partim positiui, partim negatiui*, Nego. atqui *motus formaliter sumptus est adæquatè positiuus*, Nego. *partim positiuus, & partim negatiuus*, Concedo. *Includit enim terminum à quo, & ad quem, quorum vnus est negatio alterius.*

SECVNDA CONCLVSIO:
Motus est essentialiter continuus.

ILLVD est essentialiter continuum de cuius es-

ſentiæ eſt continuitas; atqui continuitas eſt de eſſentia motus: ergo motus eſt eſſentialiter continuus.

Minor pr De illius eſſentia eſt continuitas, de cuius eſſentia eſt ſucceſſio; atqui ſucceſſio eſt de eſſentia motus: ergo & continuitas.

Maior pr. Continuitas eſt de eſſentia ſucceſſionis: ergo de illius eſſentia eſt continuitas, de cuius eſſentia eſt ſucceſſio.

Antecedens pr. Continuitas, & non interruptio ſunt idem; atqui non interruptio eſt de eſſentia ſucceſſionis: ergo & continuitas.

Obÿcitur. Illud nō eſt eſſentialiter continuū, quod eſt tantùm continuum per accidens; atqui motus ex Ariſtotele eſt tantùm continuus per accidens: ergo non eſt eſſentialiter continuus.

Solutio: Atqui *motus ex Ariſtotele eſt tantùm continuus per accidens continuitate quantitatiua ſeu ſubiecti,* Concedo. *continuitate entitatiua petita ex ſucceſſione partium aliarum aliis*, Nego. ergo *non eſt eſſentialiter continuus continuitate quantitatiua*, Concedo. *entitatiua*, Nego.

Contrà. Illud non eſt continuum continuitate petita ex ſucceſſione partium aliarum aliis, quod non habet huiuſmodi ſucceſſionem; atqui motus nullam habet ſucceſſionem partium: ergo motus non eſt continuus continuitate entitatiua petita ex ſucceſſione partiū aliarū aliis.

Minor pr. Motus eſt acquiſitio formæ vt ſic; atqui acquiſitio formæ vt ſic non eſt continua continuitate petita ex ſucceſſione partiū aliarū aliis: ergo motus non habet ſucceſſionē partiū.

Solutio: *Negandа eſt maior. Ratio eſt, quia mo-*

tus non est quacunque acquisitio formæ, sed tantùm ea, quæ est successiua, qualis non est acquisitio formæ vt sic.

TERTIA CONCLVSIO:

Continuitas motus non est positiua.

Continuitas positiua est realis vnio partium rei cõtinuæ; atqui nõ est realis vnio inter partes motus: ergo continuitas motus non est positiua.

Minor pr. Inter illa non est realis vnio, quæ simul non existunt; atqui partes motus non existunt simul: ergo non est realis vnio inter partes motus.

Minor pr. Partes motus sunt præsentes, præteritæ, & futuræ; atqui illæ non existunt simul: ergo neque partes motus.

Minor pr. Quod fuit, aut nondum est non existit simul cum eo, quod de facto est; atqui partes præteritæ motus fuere, futuræ nondum sunt, & præsentes de facto sunt: ergo partes motus præteritæ, præsentes, & futuræ non existunt simul.

Obijcitur. Continuitas motus non est negatiua: ergo est positiua.

Antecedens pr. Cõtinuitas motus est vera cõtinuitas; atqui continuitas negatiua non est cõtinuitas: ergo cõtinuitas motus nõ est negatiua.

Solutio: *Continuitas motus est vera continuitas tota positiua*, Nego. *partim negatiua, & partim positiua*, Concedo. atqui *continuitas partim negatiua non est tota positiua*, Concedo. *partim positiua, & partim negatiua*, Nego.

Contrà. Continuitas partim negatiua nullo modo est continuitas: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Continuitas illa negatiua nihil est aliud, quàm non interruptio partium tendẽtium ad eundem speciẽ terminum; atqui illa non interruptio nullo modo est cõtinuitas: ergo continuitas partim negatiua nullo modo est continuitas.

Respondeo *negando minorem. Ratio negati est, quia quoties partes tendentes ad eumdem speciei terminum succedunt alia aliis sine interruptione, verè continuantur, seu non interrumpuntur cuius solius continuitatis sunt capaces.*

QVARTA CONCLVSIO:

Motus specificatur ab agente, subiecto, & termino.

AB eo motus specificatur per quod distinguitur ab aliis; atqui per agens, subiectum & terminum distinguitur ab aliis: ergo motus specificatur ab agente, subiecto, & termino.

Minor pr Motus distinguitur per illud, quod est illi essentiale, & nõ conuenit aliis: atqui ordo ad subiectum, agens, & terminum est illi essentialis & non conuenit aliis: ergo motus distinguitur ab aliis per agens subiectum, & terminum.

Minor pr. Ei quod est modus, est essentialis ordo ad suum modificatum; atqui motus est modus agentis, subiecti & termini: ergo ordo ad illa est illi essentialis.

QVINTA CONCLVSIO:

Motus specificatur tantùm ab agente, subiecto, & termino secundùm speciem sumptis.

MOTVS non specificatur ab agente, subiecto,

& termino in indiuiduo sumptis: ergo specificatur tantùm ab illis secundùm speciem sumptis.

Antecedens pr. Non magis motus specificatur ab agente, subiecto, & termino in indiuiduo sumptis; quàm vnio à suis extremis; atqui vnio non specificatur à suis extremis in indiuiduo sumptis: ergo neque motus.

Maior probatur primò.

Modi eadem planè ratione specificātur à suis modificatis; atqui motus est modus æquè ac vnio, & eius modificata sunt agens, subiectum, & terminus: ergo motus non magis specificatur ab agente, subiecto, & termino in indiuiduo sumptis, quàm vnio à suis extremis.

Probatur secundò minor prioris argumenti.

Vnio humana non specificatur à suis extremis in indiuiduo sumptis: ergo neque vlla alia.

Antecedens pr. Extrema vnionis humanæ in indiuiduo sumpta sunt corpus, & anima Petri v. g. & corpus, & anima Pauli; atqui vnio humana non specificatur ab illis: ergo neque à suis extremis in indiuiduo sumptis.

Minor pr. Vnio humana non specificatur ab illis, quæ non faciunt illā esse diuersæ speciei; atqui corpus, & anima Petri, & corpus, & anima Pauli non faciunt vt vniones, quæ sunt inter illa, sint diuersæ speciei: ergo vnio humana non specificatur à corpore, & anima Petri, & corpore & anima Pauli.

Minor pr. Vniones humanæ sunt omnes eiusdē speciei: ergo corpus, & anima Petri, & corpus, & anima Pauli non faciunt vt vniones, quæ sunt inter illa, sint diuersæ speciei.

Antecedens pr. Vniones humanæ tales debent esse, quales requiruntur, vt omnes homines possint dici nō differre specie & esse eiusdem planè speciei; atqui vt homines dici possint verè non differre specie, & esse eiusdem speciei, omnes vniones humanæ debent esse eiusdem speciei: ergo omnes vniones humanæ debent esse eiusdem speciei.

Minor pr. Vt duo sint eiusdem speciei, ea quæ sunt ipsis essentialia debent esse eiusdem speciei: atqui vniones humanæ sunt pars essentiæ hominum: ergo vt homines possint dici eiusdem speciei, vniones humanæ debent esse eiusdem speciei.

Maior pr. Vt duo sint eiusdem speciei, debent non differre in aliquo ipsis essentiali; atqui cum ea, quæ sunt ipsis essentialia non sunt eiusdem speciei, differunt in aliquo essentiali: ergo vt duo sint eiusdem speciei ea, quæ sunt ipsis essentialia debent esse eiusdem speciei.

Obiicitur. Motus qui habent subiectum, agens, & terminū indiuidualiter distincta distinguuntur specie: ergo motus specificantur ab agente, subiecto, & termino in indiuiduo sumptis.

Antecedens probatur. Illi motus differūt specie, qui differunt plusquam numero; atqui motus qui habent diuersum agens, subiectum, & terminum indiuidualiter sumpta differunt plusquam numero: ergo & specie.

Solutio: *Illi motus differunt specie, qui differunt plusquam numero differentia notabili*, Concedo. *differentia non notabili*, Nego. atqui *motus qui differunt specie, differunt plusquam numero*

differentia non notabili, Cōcedo. *notabili*, Nego.

Contrà. Quæ differunt essentia differunt specie; atqui quæ differunt plusquam numero differentia etiam non notabili, differunt essentia: ergo & specie.

Solutio: *Quæ differunt essentia specifica differunt specie*, Concedo. *essentia tantùm numerica*, Nego. atqui *quæ differunt plusquam numero differentia etiam non notabili, differunt essentia numerica, vel specifica*, Concedo. *specifica tantùm*, Nego.

Contrà. Differentia specifica debet esse certa; atqui posito quòd non sit illa, quæ est plusquam numerica non potest esse certa: ergo differentia specifica debet esse ea, quæ est plusquam numerica.

Minor pr. Differentia specifica non potest esse certa, cùm nō est certa notabilitas, quam habere debet supra numericam; atqui notabilitas illa non potest esse certa: ergo differentia specifica alia ab ea, quæ est plusquam numerica, non potest esse certa.

Minor pr. Notabilitas illa non potest esse certa sine certa regula determināte, quantum debeat habere supra numericam vt sit notabilis, atqui nulla assignari potest certa regula quæ hoc definiat: ergo notabilitas illa non potest esse certa.

Minor pr. Regula illa non potest esse nisi iudicium prudentum; atqui iudicium prudentum non potest facere certam illam regulam: ergo nulla assignari potest certa regula.

Minor pr. Certa regula alicuius rei debet esse vna; atqui iudicium prudentum non est vnum;

sed multiplex: ergo non potest facere illam certam regulam.

Solutio: Atqui *iudicium prudentum quod communius est in ista materia non est vnum, sed multiplex*, Nego. *quod non est communius, & magis vniuersale*, Concedo. ergo *quod non est magis commune non potest facere illam certam regulam*, Concedo. *quod est magis commune*, Nego. *Cùm enim vera significatio vocis ea haberi debeat, pro qua communiùs vsurpari solet: illa importata per differentiam specificam, non debet censeri alia ab ea, pro qua eam usurpant communiùs auctores.*

Contrà. Prudentes diuersa sentientes in hac materia possunt esse in æquali numero: ergo iudicium prudentum non potest dici vnum, quia est communius.

Solutio: *Prudentes aqualis meriti, & auctoritatis possunt esse physicè in aquali numero*, Concedo. *moraliter prout nunc res se habent*, Nego. *qui enim vni multùm probatur apud alios vilescit. Data tamen aqualitate illa prudentium diuersa sentientium, liberum esset propendere in quam vellemus partem, qua semel electa semper nobis esset vna, & constans regula. Atque ita etiam in ea casu extraordinario, non careret qui vellet regula vna, & certa, licèt non eadem, ac illa qua vti posset alius, qui inclinaret in contrariam partem.*

SEXTA CONCLVSIO:

Ad vnitatem numericam motus requiritur vnitas numerica agentis, subiecti, & termini ad quem, & continuitas temporis.

PROBANTVR *tres primæ partes.* Illud requiritur ad vnitatem numericam motus, sine quo non potest esse vnus numero motus; atqui sine vnitate numerica agentis, subiecti, & termini non potest esse vnus numero motus: ergo ad vnitatem numericam motus requiritur vnitas numerica agentis, subiecti, & termini.

Minor pr. Quod est essentialiter alligatum huic numero agenti, subiecto, & termino esse non potest sine vnitate numerica agentis, subiecti, & termini; atqui motus est essentialiter alligatus huic numero agenti, subiecto, & termino: ergo motus esse non potest sine vnitate numerica agentis, subiecti, & termini.

Minor pr. Modus est essentialiter alligatus suo modificato; atqui motus est modus huius numero agentis, subiecti, & termini: ergo est essentialiter alligatus huic numero agenti, subiecto, & termino.

Probatur quarta pars conclusionis, ad vnitatem numericam motus requiri continuitatem temporis.

Vt motus sit vnus debet esse continuus; atqui non potest esse continuus nisi sit continuitas tē-

poris: ergo vt motus sit vnus requiritur continuitas temporis.

Minor pr. Vt motus sit continuus debet esse non interruptus; atqui non potest esse non interruptus, nisi sit continuitas temporis: ergo motus non potest esse continuus, quin sit continuitas temporis.

Minor pr Vt motus sit non interruptus debent partes ei⁹ aliæ aliis succedere immediatè; atqui vt succedant immediate aliæ aliis requiritur continuitas temporis; ergo motus non potest esse nō interruptus nisi sit continuitas temporis.

Minor pr. Illæ partes non succedunt immediatè aliæ aliis, inter quarum existentiā interponitur existentia, & duratio aliarum rerum; atqui cùm non est continuitas temporis in motu inter existentiam partium ipsius interponitur duratio, & existentia aliarum rerum: ergo vt partes motus succedant aliæ aliis immediatè requiritur continuitas temporis.

Minor pr. Interponitur existentia illarum rerū, quæ fiunt in illa temporis interruptione: ergo cùm non est continuitas temporis in motu inter existentiam partium ipsius interponitur duratio, & existentia aliarum rerum.

Obiicitur contra secundam partem conclusionis, non requiri ad vnitatem numericam motus vnitatem numericam subiecti.

Motus, quo pulsatur chordæ citharæ est vnus; atqui habet plura subiecta: ergo ad vnitatem numericam motus, non requiritur vnitas numerica subiecti.

Solutio: ***Motus ille, quo pulsantur chordæ ci-***

thara est vnus, quatenus se tenet ex parte manus pulsantis, Concedo. *quatenus se tenet ex parte chordarum*, Nego. atqui *sunt plura subiecta ex parte chordarum*, Concedo. *ex parte manus*, Nego.

Contrà. Non minùs motus ille ex parte chordarum est vnus, quàm motus ligni cadentis partim viridis; & partim aridi; atqui iste est vnus: ergo & ille.

Solutio : *Non minùs motus ille ex parte chordarum est vnus, quàm motus ligni cadentis partim viridis, & partim aridi ex parte materia, & accidentium*, Nego. *ex parte formarum*, Concedo. atqui *iste est vnus ex parte formarum*, Nego. *Cùm enim forma sint diuersa, & quidem ea diuersitate, qua est inter vnam viuentem, & alteram non viuentem motus ipsarum non potest non esse diuersus: ex parte materia, & accidentium aliquorum*, Concedo. *Dico aliquorum, quia omnia non sunt eadem, diuersa siquidem forma substantiales, trahunt etiam secum diuersas formas accidentales.*

SEPTIMA CONCLVSIO:

Illi motus sunt contrarij, qui habent contrarios terminos ad quos.

ILLI motus sunt contrarij, qui sunt incompossibiles; atqui motus, qui habent contrarios terminos ad quos sunt incompossibiles : ergo & contrarij.

Minor pr. Illi motus sunt incompossibiles, qui


ſimul eſſe non poſſunt; atqui motus, qui habent terminos contrarios non poſſunt eſſe ſimul: ergo motus, qui habent contrarios terminos ad quos ſunt incompoſſibiles.

Minor pr. Motus, qui habent terminos contrarios non poſſunt eſſe ſimul, quin eorum termini ſint ſimul; atqui eorum termini non poſſunt eſſe ſimul: ergo neque ipſi.

Maior pr. Motus non poteſt eſſe in vllo loco, quin ibi etiam ſit id, cui eſſentialiter eſt alligatus; atqui motus terminorum contrariorum ſunt eſſentialiter illis alligati: ergo motus habentes terminos contrarios non poſſunt eſſe ſimul, quin eorum termini ſint ſimul.

Minor præcedentis argumenti probatur.

Illi termini non poſſunt eſſe ſimul, qui ſunt contrarij; atqui illi de quibus eſt quæſtio, ſunt contrarij: ergo non poſſunt eſſe ſimul.



DISPVTATIO II.

De Loco.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Locus.

VNICA CONCLVSIO:

Locus bene definitur superficies prima, & immobilis corporis ambientis.

DEFINITIO hæc conuenit omni & soli loco: ergo hîc bene definitur per illam.

Prima pars antecedentis probatur. Omnis locus est superficies prima, & immobilis corporis ambientis: ergo hæc definitio conuenit omni loco.

Minor pr. Illud omne est superficies prima, & immobilis corporis ambientis, quod circundat locatum immediatè; atqui omnis locus immediatè circundat locatum: ergo omnis locus est superficies prima, & immobilis corporis ambientis.

Secunda pars minoris primi argumenti superioris probatur.

Alia quibus hæc definitio dici posset conuenire, sunt vacuum, aut spatium imaginarium, aut

vbi; atqui non conuenit illis: ergo conuenit soli loco.

Minor pr. Non conuenit illis quæ non ambiunt, & continent rem locatam; atqui nullum horum continet rem locatam : ergo non conuenit illis.

Minor pr. Illa non continent rem locatam quorum primum illam excludit, & ea debet esse destitutum, secundum nihil est positiuum, & tertium in ea potiùs continetur, & ei aduenit; atqui vacuum destitutum esse debet re locata: spatium imaginarium nihil est positiuum, & vbi continetur potiùs in re locata, & ei aduenit: ergo nullum horum continet rem locatam.

Obijcies. Definitio allata non conuenit loco: ergo locus non definitur bene per illam.

Antecedens pr. Definitio allata non conuenit ei, quod non est superficies immobilis; atqui locus non est superficies immobilis : ergo non conuenit loco.

Minor pr. Locus est superficies aëris, aquæ, aut alterius corporis; atqui superficies aëris, aquæ, &c. non sunt immobiles : ergo locus non est superficies immobilis.

Solutio : Atqui *superficies aëris, aquæ, &c. non sunt immobiles immobilitate opposita mobilitati vasis*. Nego. *immobilitate omnimoda*, Concedo. ergo *locus non est superficies immobilis, immobilitate opposita mobilitati vasis*, Nego. *immobilitate omnimoda*, Concedo.

Contrà. Locus nō est immobilis immobilitate opposita mobilitati vasis : ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Illud non est immobile immo-

bilitate opposita mobilitati vasis, quod habet ipsammet mobilitatem vasis; atqui locus habet verè, & propriè mobilitatem vasis: ergo locus non est immobilis immobilitate opposita mobilitati vasis.

Minor pr. Illud habet verè, & propriè mobilitatem vasis, quod verè, & propriè est vas; atqui locus verè, & propriè est vas: ergo locus habet verè, & propriè mobilitatem vasis.

Solutio: Atqui *locus formaliter sumptus verè, & propriè est vas*, Nego. *De huius enim ratione est posse transferre corpora, quæ vestit de loco in locum: Illius verò tantùm circundare, & ambire, quod stare potest sine motu, cùm mouentur ea, quæ circundat, & ambit: aliquis locus materialiter sumptus est vas*, Concedo. *Cùm enim vas circundet, & ambiat corpora, quæ continet non est excludendum à ratione loci, ei tamen quatenus est locus non conuenit, vt debeat moueri cùm mouentur ea, quæ ambit: alioqui idem dicendum esset de omnibus aliis locis, quod apertè falsum est. Neque enim cathedra, in qua quis sedet, cùm ipse surgit mouet se loco, in quo erat.*



SECTIO SECVNDA.

De Vbi.

PRIMA CONCLVSIO:

Vbi distinguitur à re locata, & spatio, in quo est.

VBI est illud, per quod res locata fit præsens huic potiùs spatio, quàm alteri; atqui illud, per quod res locata fit præsẽs huic potiùs spatio, quàm alteri distinguitur ab ipsa, & spatio: ergo vbi distinguitur à re locata & spatio, in quo est.

Minor pr. Illa distinguuntur, quorum vno existẽte non existit aliud; atqui existente re locata, & spatio non existit illud, per quod res locata fit præsens huic potiùs spatio, quã alteri: ergo illud per quod res locata fit præsens huic potiùs spatio, quàm alteri distinguitur ab ipsa, & spatio.

Minor pr. Res locata est v. g. Petrus, & spatium, aër istius scholę; atqui existentibus Petro, & hac schola, aut aëre istius scholæ, Petrus non est præsens huic scholæ: ergo existẽte re locata, & spatio non existit illud, per quod res locata fit præsens huic potiùs spatio, quam alteri.

Minor pr. Cùm Petrus est domi existit ipse, existit etiam aër istius scholæ; atqui ipse non est præsens huic scholæ: ergo existentibus Petro, & aëre istius scholæ, Petrus non est præsens huic scholæ.

Respondent : *Cùm Petrus est domi ipse existit, aër etiam istius scholæ existit cum inexistentia illius in isto*, Nego. *sine inexistentia illius in isto*, Concedo. *& concessa minori*: ergo *existentibus Petro, & aëre istius scholæ sine inexistentia illius in isto Petrus non est præsens huic scholæ*, Concedo. *cum inexistentia illius*, Nego.

Contrà. Inexistentia Petri in aëre istius scholæ, indistantia vtriusque, duo illa simul, & omnes illi alij termini, & phrases, quibus vtuntur ij contra quos argumentamur, debent significare, & importare aliquid distinctum realiter ab entitatibus Petri, & aëris istius scholæ: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Quod nihil importat distinctum realiter ab entitatibus Petri, & aëris istius scholæ, istis positis extra causas, illud quoq; debet existere; atqui Petro, & aëre istius scholæ positis extra causas inexistentia illius in isto, indistãtia vtriusque, duo illa simul, &c. non existunt: ergo inexistentia Petri in aëre istius scholæ, indistantia vtriusque, duo illa simul, & omnes illi alij termini quibus vtuntur ij, contra quos argumẽtamur, debent significare, & importare aliquid distinctum realiter ab entitatibus Petri, & aëris istius scholæ.

Minor pr. Cùm Petrus orat in templo Deum positus est extra causas: sicut & aër istius scholæ; atqui inexistentia illius in isto, indistãtia vtriusque, duo illa simul, &c. non existunt: ergo Petro; & aëre istius scholæ positis extra causas inexistentia illius in isto, indistantia vtriusque duo illa simul, &c. non existunt.

Obiicitur

Obiicitur. Vbicatio est idem cum re locata, & spatio: ergo non distinguitur ab illis.

Antecedens pr. Quod non est aliquid realiter superadditum rei locatæ, & spatio est idem cum re locata, & spatio; atqui vbicatio non est aliquid realiter superadditum rei locatæ, & spatio: ergo vbicatio est idem cum re locata, & spatio.

Minor pr. Illud realiter superadditum rei locatę, aut spatio debet esse necessariò substantia, vel accidens; atqui neutrum dici potest. ergo vbicatio non est aliquid realiter superadditum rei locatę, & spatio,

Respondeo *esse accidens.*

Contrà. Accidens debet habere subiectum; atqui vbi non habet subiectum: ergo illud realiter superadditum non est accidens.

Minor pr. Subiectum vbi non potest esse nisi res locata; atqui non est res locata: ergo vbi non habet subiectum.

Minor pr. Subiectum vbi est eius causa; atqui res locata non potest esse causa vbi: ergo res locata non est subiectum vbi.

Minor pr. Quod est causa vbi debet dare illi esse; atqui res locata non potest dare illi esse: ergo non est eius causa.

Minor pr Vbi non potest dare esse sibi ipsi; atqui rem locatā dare esse vbi, est vbi dare esse sibi ipsi: ergo res locata non potest illi dare esse.

Minor pr. Vt res locata det esse vbi, debet existere: ergo rem locatam dare esse vbi, est vbi dare esse sibi ipsi.

Consequentia pr. Illud quod requiritur vt res

existat dat ei esse, cui dat esse ipsa existentia; atqui vbi requiritur vt res locata existat, & eius existentia dat esse vbi : ergo rem locatam dare esse vbi, est vbi dare esse sibi ipsi.

Solutio : *Illud quod requiritur vt res existat absolutè dat esse ei, cui illa dat,* Concedo. *vt existat in loco hoc potiùs, quàm in alio dat esse ei, cui illa dat,* Nego. atqui *vbi requiritur vt res existat absolutè,* Nego. *vt existat in hoc potiùs loco, quàm in alio,* Concedo. *Sensus responsionis est vbi nihil esse eorum, quæ sunt principium actionis tribuentis esse existentiæ rei, neque etiam ipsius existentiæ præcisè sumptæ, bene verò vt constitutæ in tali loco. Hoc enim non habet nisi per ipsum vbi.*

Contrà. Existentia rei in hoc loco requiritur vt res debet esse vbi : ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Approximatio requiritur vt res det esse vbi, atqui approximatio est existentia rei in loco: ergo existentia rei in hoc loco requiritur vt res det esse vbi.

Maior probatur Approximatio requiritur inter causam saltem materialem, effectum; atqui res locata est causa materialis, & vbi est effectus: ergo approximatio requiritur vt res det esse vbi.

Solutio : *Approximatio requiritur inter causam materialem, & effectum pro priori natura,* Nego. *pro posteriori,* Concedo. ergo *approximatio requiritur pro priori natura vt res det esse vbi,* Nego. *pro posteriori,* Concedo. *posterioritas autem ista non impedit quominus in causa præscindendo ab vbi intelligatur vis completa ad dandam existentiam vbicationi.*

SECVNDA CONCLVSIO:

Omne ens creatum distinctum ab vbi, & motu locali habet vbi proprium.

QVOD potest esse modò in hoc loco, modò in alio debet habere vbi proprium; atqui omne ens creatum distinctum ab vbi, & motu locali potest esse modò in vno loco, modò in alio: ergo debet habere vbi proprium.

Maior pr. Quod est indifferens vt sit in variis locis debet habere vbi proprium; atqui quod potest esse modò in vno loco, modò in alio, est indifferens vt sit in variis locis: ergo debet habere vbi proprium.

Maior pr. Res vt sit in hoc loco potiùs quàm in alio debet habere vbi proprium: ergo res indifferens vt sit in variis locis debet habere vbi proprium.

Respondent aduersarij: *Res non modalis vt sit in hoc loco potiùs quàm in alio debet habere vbi proprium*, Concedo. *non modalis*, Nego.

Contrà. Vt res modalis sit in hoc loco potiùs, quàm in alio debet illud habere per vbi proprium, vel alterius rei, sed hoc non habet per vbi alterius rei: ergo hoc habet per vbi propriũ.

Minor pr. Vbi illius alterius rei nõ potest esse aliud ab vbi subiecti; atqui hoc nõ habet per vbi subiecti: ergo hoc nõ habet per vbi alterius rei.

Minor pr. Vnio est entitas modalis; atqui vnio non habet vt sit potiùs in hoc loco, quàm in alio per vbi subiecti: ergo neque res modalis.

Minor pr. Res quæ est in loco per vbi alterius

rei debet esse vbicunque res illa est; atqui vnio non est vbicumque est vbi sui subiecti: ergo non est in loco per vbi sui subiecti.

Maior probatur primò.

Quod est in loco per aliud debet esse coniunctum cum illo; atqui vt sit coniunctum cum illo debet esse vbicunque illud est: ergo quod est in loco per aliud debet esse vbicumque illud est.

Maior pr Quod est in loco per aliud non potest esse separatum ab illo: ergo debet esse coniunctum cum illo.

Antecedens pr Vbicatio non communicat suũ effectum formalem ei, quod est ab ipsa separatum; atqui constituere in loco, seu spatio est ipsius effectus formalis: ergo quod est, seu constituitur in loco per aliud, non potest esse separatum ab illo.

Maior pr. Vbicationes, & alij modi non communicant suum effectum formalẽ nisi per vnionem cum eo, cui illud communicant; atqui non habent vnionem cum eo, quod est ab ipsis separatum: ergo vbicatio non communicat suum effectum formalem ei, quod est ab ipsa separatum.

Maior pr. Effectus formalis formæ est subiectum, ipsa, & vtriusque vnio; atqui non potest esse subiectum, forma, & vtriusque vnio nisi per vnionem: ergo vbicationes, & alij modi non communicant suum effectum formalem nisi per vnionem.

Probatur secundò minor superioris argumenti, vnionem non esse vbicunque est eius subiectum.

Subiectum vnionis poni potest in duobus locis, ipsa remanente in vno: ergo vnio non est

vbicumque eſt vbi ſui ſubiecti.

Ad clariorem probationem antecedentis.

Suppono *guttam aquæ A, v. g. vniri hic Sequanæ, & eandem poni Romæ, & hoc poſito ſic argumentor:*

Subiectum vnionis, per quam gutta A vnitur hîc Sequanæ eſt gutta A; atqui gutta A ponitur in duobus locis vnione remanente tantùm in vno: ergo ſubiectum vnionis poni poteſt in duobus locis, ipſa remanente in vno.

Minor pr. Pariſij, & Roma ſunt duo loca, & Pariſij vnus; atqui gutta A ponitur Pariſijs & Romæ, vnione remanente tantùm Pariſijs: ergo gutta A ponitur in duobus locis vnione remanente tantùm in vno.

Prima pars minoris patet, & ſecunda probatur.

Vnio non poteſt poni Romæ, quin ibidem ponatur alterum extremum ipſius, ſcilicet, Sequana; atqui hæc non ponitur Romæ: ergo neque vnio.

Maior pr. Vnio nullibi eſſe poteſt ſine ſuis modificatis; atqui Sequana eſt vnum ex ipſius modificatis: ergo vnio non poteſt poni Romæ, quin ibidem ponatur Sequana.

Maior pr. Quod eſt eſſentialiter alligatum ſuis modificatis, non poteſt eſſe ſine illis; atqui vnio eſt eſſentialiter alligata ſuis modificatis: ergo non poteſt eſſe ſine illis.

Minor pr. Modus eſt eſſentialiter alligatus ſuis modificatis; atqui vnio eſt modus: ergo eſt eſſentialiter alligata ſuis modificatis.

TERTIA CONCLVSIO:

Negationes non habent vbi proprium.

QVOD habet vbi proprium debet esse illius subiectum; atqui negationes, & priuationes non possunt esse subiectum vbi proprij: ergo non habent vbi proprium.

Minor pr. Quod est quid negatiuum non potest esse subiectum vbi; atqui negationes, & priuationes sunt quid negatiuum: ergo non possunt esse subiectum vbi prǒprij.

Maior pr. Quod est quid negatiuum non potest esse subiectum eius, quod est positiuum; atqui vbi est quid positiuum: ergo quod est quid negatiuum non potest esse eius subiectum.

Maior pr Quod est subiectum alterius dat illi esse; atqui quod est negatiuum non potest dare esse ei, quod est positiuum: ergo quod est quid negatiuum non potest esse subiectum eius, quod est positiuum.

Obiicitur. Quod est indifferens, vt sit in varijs locis debet habere vbi proprium; atqui negationes sunt indifferentes vt sint in varijs locis: ergo debent habere vbi proprium.

Solutio: *Quod est indifferens, vt sit in varijs locis debet habere vbi proprium si sit quid positiuum,* Concedo. *si non sit quid positiuum,* Nego. atqui *negationes, & priuationes sunt indifferentes vt sint in varijs locis, & sunt quid positiuum,* Nego. *& non sunt quid positiuum,* Concedo.

Contrà. Quod est indifferens vt sit in varijs lo-

cis, etiam si sit quid negatiuum debet habere vbi proprium: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Debet dari ratio cur negatiuum illud, quod est indifferens vt sit in variis locis, sit potiùs in hoc, quàm in alio; atqui illa ratio non potest, esse alia quàm vbi proprium: ergo quod est indifferens vt sit in variis locis, debet habere vbi proprium.

Minor pr. Illa ratio non potest esse nisi vbi proprium, vel subiecti; atqui non est vbi subiecti: ergo debet esse vbi proprium.

Solutio: *Illa ratio non potest esse nisi vbi proprium vel subiecti solum*, Nego. *cum negatione formæ oppositæ*. Concedo. atqui *non est vbi subiecti solum*, Concedo. *cum negatione formæ oppositæ*, Nego. *Verum quidem est vbi subiecti præcisè non sufficere, vt ibi dicatur esse priuatio formæ ipsi debitæ; si tamē ei adiungatur negatio, seu sumatur simul cum absentia illius formæ determinat omnino indifferentiam illius priuationis existendi in variis locis vt existat in hoc potiùs, quàm in alio certissimum enim est ibi esse, & non alibi.*

QVARTA CONCLVSIO:

Vbi bene diuiditur in circunscriptiuum, & definitiuum.

MEMBRA istius diuisionis exhauriunt diuisum, & sunt distincta: ergo vbi bene diuiditur in circunscriptiuum, & definitiuum.

Prima pars minoris probatur.

Diuisum est vbi membra diuidentia circunscriptiuum & definitiuũ; atqui circunscriptiuũ, & definitiuum exhauriunt vbi: ergo & diuisum.

Minor pr. Per vbi vel res correspondet secundùm varias partes, varijs partibus spatij; vel non correspondet secundùm huiusmodi varias partes; atqui vbi circunscriptiuum facit vt correspondeat, & definitiuum vt non correspondeat: ergo vbi circunscriptiuum, & definitiuum exhauriunt vbi.

Secunda pars minoris primi argumenti probatur. Illa membra sunt distincta quorum conceptus sunt diuersi; atqui conceptus vbi circumscriptiui, & definitiui sunt diuersi: ergo membra huius diuisionis sunt distincta.

Minor pr. Alius est conceptus vbi facientis correspondere rem secundùm diuersas partes, diuersis partibus spatij: alius non facientis; atqui primus conceptus, est conceptus vbi circumscriptiui, & alius definitiui: ergo diuersi sunt conceptus illorum vbi.

QVINTA CONCLVSIO:

Vbi definitiuum indiuisibile ratione subiecti, est diuisibile ratione spatij.

VBI Angeli, & vbi animæ rationalis sunt indiuisibilia ratione subiecti: atqui diuisibilia sunt ratione spatij: ergo vbi definitiuum indiuisibile ratione subiecti, est diuisibile ratione spatij.

Minor pr. Vbi, quo Angelus fit præsens toti huic scholæ, & anima toti corpori sunt diuisibi-

lia ratione ſpatij: ergo vbi Angeli, & animæ ſunt diuiſibilia ratione ſpatij.

Antecedens pr. Illud vbi eſt diuiſibile ratione ſpatij, cuius vna pars correſpondet vni parti ſpatij, & altera alteri; atqui pars vna vbi Angeli, per quod fit præſens huic ſcholæ, & anima corpori, correſpondet vni parti ſpatij, & altera alteri, ergo ſunt diuiſibilia ratione ſpatij.

Minor pr. Angelus per illud vbi ſi velit facit ſe præſentem vni parti ſcholæ, & deinde alteri, & anima vni parti corporis, & poſtea alij: ergo vna pars correſpondet vni parti ſpatij, & altera alteri.

Conſequentia pr. Per illud vbi, per quod Angelus facit ſe præſentem vni parti ſcholæ, & anima vni parti corporis, non correſpondet alteri: ergo per vnam partem illius vbi correſpondet vni parti, & per alteram alteri.

Reſpondent. *per illud vbi per quod facit ſe primo præſentem vni parti ſcholæ, non correſpondet alteri cui ſe facit etiam præſentem, & illud quod erat ante manet*, Nego. *Et fit nouum per quod Angelus correſpondet toti illi ſpatio*, Concedo.

Contra: Non fit nouũ vbi: ergo nulla ſolutio.

Antecedens pr. Vbi præcedens non debet perire: ergo non fit nouum.

Antecedens pr. Nihil incompoſſibile ponitur cum illo vbi præcedente: ergo non debet perire præcedens.

Antecedens pr. Ponitur tantum vbi ſeu correſpondentia ad nouum ſpatium; atqui illud vbi ſeu correſpondentia ad nouum ſpatium, non eſt quid incompoſſibile cum vbi præcedente: ergo,

nihil incompossibile ponitur cum præcedente:

Minor pr. Vbi eiusdem rei non sunt inter se contraria; atqui vbi illud nouum, & præcedens sunt vbi eiusdem rei: ergo non sunt incompossibilia.

Obijcitur. Nullum aliud vbi indiuisibile ratione subiecti dici debet potiùs diuisibile ratione spatij, quàm vbi Angeli, aut animæ rationalis; atqui vbi Angeli, aut animæ rationalis non sunt diuisibilia ratione spatij: ergo vbi indiuisibile ratione subiecti non est indiuisibile ratione spatij.

Minor pr. Vbi diuisibile ratione spatij est verè diuisibile, & habens partes; atqui vbi Angeli, & animæ rationalis non possunt esse verè diuisibilia, & habentia partes, ergo vbi Angeli, & animæ rationalis non sunt diuisibilia ratione spatij.

Minor pr. Quod habet subiectum indiuisibile, & carens partibus non potest esse diuisibile, & habens partes; atqui vbi Angeli, & animæ rationalis habent subiectum indiuisibile; & carens partibus: ergo vbi Angeli, & animæ rationalis nō possūt esse verè diuisibilia, & habētia partes.

Solutio: *Quod habet subiectum indiuisibile replicatum in pluribus locis non potest esse diuisibile*, Nego. *non replicatum*, Concedo. atqui *vbi Angeli & anima rationalis habent subiectum indiuisibile non replicatum*, Nego. *replicatum*, Concedo.

Contrà. Vbi diuisibile non est proportionatum subiecto indiuisibili replicato in pluribus locis: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Non magis vbi diuisibile est

proportionatum subiecto indiuisibili, etiam replicato, quàm quantitas, & albedo; atqui quantitas, & albedo, non sunt proportionata subiecto indiuisibili replicato: ergo vbi diuisibile non est proportionatum subiecto indiuisibili replicato.

Maior pr. Vbi diuisibile secundùm omnem dimensionem est quantitas: ergo non est magis proportionatum subiecto indiuisibili, quàm quantitas.

Antecedens pr. Trina dimensio est quantitas; atqui vbi diuisibile secundùm omnem dimensionem est trina dimensio: ergo & quantitas.

Solutio: *Trina dimensio impenetrabilis est quantitas,* Concedo. *trina dimensio penetrabilis, & spiritalis est quantitas,* Nego. atqui *vbi diuisibile secundùm omnem dimensionem, est trina dimensio impenetrabilis qualis sola conuenit quantitati,* Nego. *penetrabilis,* Concedo.

Contrà. Vbi Angeli est trina dimensio corporea: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Quod est extensum est corporeum; atqui vbi illud Angeli, quod est trina dimensio est extensum: ergo est trina dimensio corporea.

Solutio: *Quod est extensum, & impenetrabile est corporeum,* Concedo. *quod est penetrabile licèt sit extensum est necessariò corporeum* Nego. atqui *vbi illud Angeli, quod est trina dimensio est extensum, & impenetrabile,* Nego. *penetrabile,* Concedo. *Extensio autem penetrabilis non est aliena à re spiritali, cuius est tantùm non esse impenetrabilem, aut à re impenetrabili non pendere.*

SEXTA CONCLVSIO:

Definitio situs accidens constitutiuum rei quantæ in loco, cum aliqua partium coordinatione non conuenit aliis ab illo.

NVLLI alteri dici potest conuenire, quàm vbi vniuersaliter sũpto; atqui non conuenit vbi vniuersaliter sumpto: ergo non conuenit aliis à situ.

Minor pr. Illud non conuenit vbi vniuersaliter sumpto, quod non conuenit multis vbi in particulari; atqui constituere rem præsentem spatio cum aliqua partium coordinatione, non conuenit multis vbi in particulari: ergo non conuenit vbi vniuersaliter sumpto.

Minor pr. Vbi Angeli, & animæ rationalis sunt vbi particularia; atqui non conuenit illis constituere rem præsentem spatio, cum aliqua partium coordinatione: ergo non conuenit multis vbi in particulari.

Obiicies. Definitio allata conuenit vbi; atqui vbi non est situs: ergo conuenit aliis à situ.

Solutio: *Definitio tradita conuenit vbi cuicunque*, Nego. *alicui, illi scilicet, quod facit correspondere rem diuersis partibus spatii cum certa coordinatione*, Concedo. atqui *vbi quodcunque non est situs*, Concedo. *aliquod, seu illud, quod facit correspondere rem diuersis partibus spatij, cum certa coordinatione*, Nego.

Contrà Situs non est vbi, quod facit correspondere rem diuersis partibus spatij cum certa coordinatione: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Illa non sunt idem, quorum vno existente non existit aliud; atqui existente

eodem situ, non existit idem vbi faciens correspondere rem diuersis partibus spatij: ergo situs non est vbi, quod facit correspondere rem diuersis partibus spatij cum certa coordinatione.

Minor pr. Sessio est situs sedentis faciens eum correspõdere diuersis partibus spatij; atqui existente eadem sessione non existit idem vbi sedẽtis: ergo existente eodẽ situ, non existit idẽ vbi faciens correspõdere rem variis partibus spatij.

Minor pr. Sessio hominis positi in naui ventis agitata est eadem; atqui non est idem vbi illius hominis: ergo existente eadem sessione non existit idem vbi.

Solutio: *Neganda est maior. Ratio est, quia sessio non est quæcunque correspondentia ad extrinsecum quid, sed positio talis partium in spatio, quæ sine dubio mutatur quoties res non correspondet eidem spatio, vt non facit, vt patet, sedens in naui ventis secundis vtente. Nauis enim pars, cui semper correspondet, non correspondet ipsa eidem parti maris, prout esset necessarium ad identitatem spatij.*

Sectio III.
De spatiis imaginariis.

Prima Conclusio:

Spatium imaginarium non est aliquid reale positiuum materiale, neque negatio corporum locatorum, aut vbi ipsorum.

Spatium imaginariũ est extra, & intra cœlos; atqui nihil est reale positiuum materiale

extra cœlos, & negatio corporum, & vbi ipsorum non est intra ipsos: ergo spatium imaginarium non est aliquid reale positiuum materiale: neque negatio corporum locatorum, aut vbi ipsorum.

Maior pr. Spatium imaginarium eò vsque se extendit, quò ire potest nostra cogitatio; atqui nostra cogitatio pertingit, & intra, & extra cœlos; ergo spatium imaginarium est extra, & intra cœlos.

Minor praecedentis argumenti probatur.

Deus nihil fecit extra cœlos, & intra ipsos repleuit omnia elementis, aut mixtis: ergo nihil est reale positiuum extra cœlos, & negatio corporum, & vbi ipsorum non est intra ipsos.

SECVNDA CONCLVSIO:

Spatium imaginarium non est possibilitas vbi, nec capacitas recipiendæ vbicationis.

PRIMA *pars conclusionis probatur.*

In ordine ad spatium imaginarium explicamus vbicationes, & alias ab alijs distinguimus; atqui non distinguimus neque explicamus vbicationes in ordine ad earum possibilitatẽ: ergo spatium imaginarium non est possibilitas vbi.

Minor pr. Non explicamus, neque distinguimus res in ordine ad se ipsas; atqui vbicatio possibilis non distinguitur ab ipsa existente: ergo illam non explicamus neque distinguimus in ordine ad possibilitatem ipsius.

Secunda pars conclusionis probatur.

Illa capacitas recipiendæ vbicationis debet esse necessariò aliquid reale positiuum, vel negatiuum; atqui nihil est reale positiuum, neque negatiuum ex superiori conclusione: ergo spatium imaginarium non est capacitas recipiendæ vbicationis.

TERTIA CONCLVSIO:

Spatium imaginarium est ens rationis.

ILLVD est ens rationis quod habet tãtùm esse obiectiuum; atqui spatium imaginarium habet tantum esse obiectiuum: ergo est ens rationis.

Minor pr. Quod concipitur esse aliquid positiuum materiale, immobile, immensum, improducibile, & indestructibile, & illud nec est nec esse potest huiusmodi, habet tantùm esse obiectiuum; atqui spatium imaginarium concipitur esse aliquid positiuum materiale, immobile, immensum, improducibile & indestructibile, & illud nec est nec esse potest huiusmodi: ergo habet tantùm esse obiectiuum.

Minor pr. Concipitur à nobis per modum aëris, aut alterius rei cuiusdam immobilis, talis vt nihil produci possit, quin ei sit præsens; atqui hoc est concipi esse aliquid positiuum immobile, immensum: ergo concipitur esse aliquid positiuum, immobile, immensum.

Obijcitur. Vbicatio dicit ordinem essentialem ad spatium imaginarium; atqui non dicit ordinem essentialem ad ens rationis: ergo spatium

imaginarium non est ens rationis.

Maior pr. Vbicatio non dicens essentialem ordinem ad spatium imaginarium est tam absoluta & nō magis respectiua, quàm calor & frigus; atqui non est tam absoluta, quàm calor & frigus: ergo dicit ordinem essentialem ad spatium imaginarium.

Minor pr. Vbicatio tam absoluta, ac calor, & frigus supponit duo corpora quāta posse esse simul in eodem spatio; atqui duo corpora quanta non possunt esse simul in eodem spatio: ergo vbicatio non est tam absoluta, ac calor, & frigus.

Maior pr. Illa corpora quanta possunt esse simul in eodem spatio, quæ possunt habere simul vbicationes correspondentes eidem spatio; atqui vbicatio tam absoluta, ac calor, & frigus supponit duo corpora quanta posse habere simul vbicationes correspondentes eidem spatio: ergo supponit etiam duo corpora quanta posse esse simul in eodem spatio.

Minor pr. Illa corpora quanta possunt esse simul in eodem spatio, quorum vbicationes correspondentes eidem spatio non opponuntur; atqui vbicationes tam absolutę, ac calor, & frigus non opponuntur: ergo vbicatio tam absoluta, ac calor, & frigus supponit duo corpora quanta posse habere vbicationes correspondentes eidem spatio.

Minor pr. Omnis oppositio est in ordine ad aliquod tertium commune; atqui illæ vbicationes nullum habent tertium commune: ergo non opponuntur.

Minor pr. Illud tertium commune debet esse,

vel ſubiectum, vel ſpatium; atqui non eſt neque ſubiectum, neque ſpatium; ergo illæ vbicationes nullum habent tertium commune.

Reſpondeo *eſſe ſpatium virtuale, ſcilicet, eandem partem immenſitatis diuinæ.*

Contrà. Immenſitas diuina non eſt ſpatium, & non habet partes: ergo eadem pars immenſitatis diuinæ non eſt ſpatium illud quod dicitur illis eſſe commune.

Solutio: *Immenſitas diuina non eſt ſpatium formale, & non habet partes formales,* Concedo. *non eſt ſpatium virtuale, & non habet partes virtuales,* Nego.

Contrà. Partes illæ virtuales immenſitatis diuinæ debent eſſe tales, vt vbicatio, quę correſpondet vni ex illis non correſpondeat alteri; atqui vbicatio, quæ correſpondet vni correſpondet etiam alteri: ergo immenſitas diuina non habet partes virtuales.

Minor pr. Quando aliqua ſunt idem realiter, quod correſpondet vni correſpondet etiã alteri; atqui illæ partes virtuales ſunt idẽ realiter: ergo quod correſpondet vni correſpondet etiã alteri.

Solutio: *Quando aliqua ſunt idem realiter, & virtualiter quod correſpondet vni, correſpondet etiam alteri,* Concedo. *quando non ſunt idem virtualiter, licèt ſint idem realiter,* Nego. atqui *partes illæ ſunt idem realiter, ſed non virtualiter,* Concedo. *realiter, & virtualiter,* Nego. *Diuerſitas enim illa virtualis ſufficit, vt quod tribuitur vni non debeat ſimiliter tribui alteri, & poſſit illi negari, vt patet in diſtinctione virtuali eſſentiæ diuinæ à perſonalitatibus; ratione cuius iſta di-*

cuntur produci; illa verò non produci.

Contrà. Distinctio virtualis illa mirabilis essentiæ diuinæ à personalitatibus non debet extendi ad partes illas immensitatis diuinæ: ergo non est distinctio realis virtualis inter partes immensitatis diuinæ.

Solutio: *Distinctio illa mirabilis essentia diuina à personalitatibus non debet extendi ad partes immensitatis diuina, si non vrgeat eadem ratio, propter quam admittitur in essentia, & personalitatibus*, Concedo. *si vrgeat eadem ratio*, Nego. *Eam autem vrgere ex eo patet, quòd cùm prædicata correspondere, & non correspondere sint æquè contradictoria, ac produci & non produci, partes virtuales immensitatis diuina, quibus tribuuntur debent habere similem distinctionem illi, quàm habent essentia, & personalitas, de quibus prædicantur produci, & non produci.*

Contrà Admissa distinctione huiusmodi virtuali inter partes virtuales diuinæ immensitatis hæc debet dici spatium imaginarium; atqui non est spatium imaginarium: ergo non est distinctio virtualis inter partes immensitatis diuinæ.

Maior pr. Nomine spatij imaginarij Philosophi intelligunt aliquid improducibile, indestructibile, immobile, & coextensum omni loco & spatio, atqui diuina immensitas est improducibilis, indestructibilis, immobilis & coextensa omni loco, & spatio per suas partes virtuales: ergo debet dici spatium imaginarium.

Solutio: *Nomine spatij imaginarij Philosophi intelligunt aliquid improducibile, indestructibile, immobile, & coextensum omni loco, & spatio que-*

modocunque, Nego. *per partes formales, & materiales*, Concedo. atqui *diuina immensitas est improducibilis, indestructibilis, immobilis, & coextensa omni loco, & spatio per partes virtuales, & immateriales*, Concedo. *per partes formales, & materiales*, Nego. *Deus enim nullas huiusmodi habet, nec habere potest, nec consequenter dici spatium imaginarium nisi mutetur significatio huius vocis, & non intelligatur per eam aliquid materiale, & habens partes formales, sed tantùm ens coextensum omni loco & spatio, siue per partes formales, siue per virtuales. In quo sensu non esset dicendum imaginarium, sed verum & reale, & per illud posse facilè explicari, & distingui vnam vbicationem ab alia per correspondentiam, scilicet, diuersam diuersis partibus virtualibus diuinæ immensitatis.*

QVARTA CONCLVSIO:

Deus est in spatijs imaginarijs.

NON minùs Deus dici potest esse in spatijs imaginarijs, quàm in tempore imaginario: atqui Deus verè dicitur esse in tempore imaginario: ergo & in spatijs imaginarijs.

Minor pr. Deus dicitur verè fuisse ante mundum conditum: atqui ante mundum conditum non erat tempus reale, sed imaginarium: ergo Deus verè dicitur esse in tempore imaginario.

Maior primi argumenti probatur.

Ideo Deus dicitur esse in tempore imaginario, quia eius ęternitas talis est vt nulla creatura pro

duci possit in vlla temporis differentia, cui Deus non coexistat; atqui eius immensitas etiam est talis vt nulla creatura vllibi poni possit, quin ei Deus intimè sit præsens: ergo Deus non minùs est in spatiis imaginariis quàm in tempore imaginario.

QVINTA CONCLVSIO:

Res creata non potest esse sine vbi.

TAM implicat rem creatam esse sine vbi, quàm sine duratione; atqui non potest esse sine duratione: ergo neque sine vbi.

Minor pr. Non potest esse res, quin de illa verum sit dicere, est, fuit, aut erit; atqui hoc est non posse esse sine duratione: ergo non potest esse si ne illa.

Minor pr. De illa dici, est, est habere durationem præsentem, fuit, præteritam, & erit, futuram: ergo non potest esse sine duratione.

Posuimus alram probationem huius assertionis disputatione secunda de Principiis Rerum naturalium, sectione quinta, conclusione prima.

Obiicitur. Res creata esse potest sine duratione: ergo & sine vbi.

Antecedens pr Quod est prius alio, & cum eo non habet essentialem connexionem, potest esse sine eo; atqui res creata est prior duratione, & cum ea non habet essentialem connexionem: ergo potest esse sine duratione.

Prima pars minoris conceditur à nobis, & probant secundam.

Quod est indeterminatum, & indifferens ad hanc, aut illam durationem, non potest dici habere essentialem cum ea connexionem; atqui res creata ita se habet ad durationem: ergo non habet essentialem cum ea connexionem.

Solutio: *Neganda est maior. Ratio est, quia res qualibet, & in exemplo, virium v.g. est indifferens ad habendum colorem, vel non habendum colorem, & tamen necessariò necessitate metaphysica alterum ex illis debet illi conuenire.*

SECTIO IV.

An plura esse possint in eodem loco.

DIFFICVLTAS esse potest tantùm de rebus quantis, clarum enim est alias siue substantiales, vt Angelos, & animas rationales, siue accidentales, vt calorem, & frigus, esse sæpe simul in eodem planè spatij, aut subiecti.

PRIMA CONCLVSIO:

Plura corpora quanta non possunt esse simul penetratiuè, seu in eodem loco naturaliter.

ILLA non possunt esse simul in eodem loco, seu penetratiuè, quæ non possunt simul correspondere eidem planè spatio; atqui duo quanta

non possunt simul naturaliter correspondere eidem spatio: ergo duo corpora quanta naturaliter non possunt esse simul in eodem loco, seu penetratiuè.

Minor pr. Corpora quanta, quæ dici possent correspondere eidem spatio, vel sunt omnia dura, vel omnia mollia, vel vnum molle, & alterum solidum, aut è conuerso, atqui neque dura, neque mollia, neque vnum molle, & alterum solidum, aut è conuerso correspondere possunt eidem spatio: ergo neque duo corpora quanta.

Minor pr. Illa corpora correspondere eidem spatio est sine condensatione, & partium detractione simul sumpta non occupare maius spatium, quàm seorsim sumpta, atqui simul sumpta maius occupant spatium quàm seorsim sumpta: ergo simul sumpta non correspondent eidem spatio, cui seorsim sumpta.

Minor pr. Duo lapides sunt duo corpora dura, vinum, & aqua duo corpora mollia, & lapis, & aqua corpus durum & molle, atqui duo lapides, vinum, & aqua, & lapis, & aqua occupant maius spatium simul sumpta, quàm seorsim: ergo duo corpora dura, duo mollia, durum, & molle, aut è conuerso, occupant maius spatium simul sumpta, quàm seorsim.

Minor pr Illa occupant maius spatium simul sumpta, quàm seorsim, quæ contineri non possunt intra vas aliquod simul, intra quod continentur seorsim, atqui vt docet experientia duo lapides, vinum, & aqua, lapis & aqua contineri non possunt simul intra vas, intra quod continentur seorsim: ergo duo lapides, vinum, &

aqua, lapis, & aqua occupant maius spatium simul sumpta, quàm seorsim.

Obÿcies. Illa sunt simul in eodem loco, seu penetratiuè, quæ simul sumpta correspondent eidē planè spatio cui seorsim correspondebant; atqui duo quāta correspondere possunt naturaliter eidem planè spatio, cui seorsim correspondebant: ergo duo corpora quanta naturaliter possunt esse simul in eodē loco, seu penetratiuè.

Minor pr. Illa correspondent simul eidem planè spatio, quæ simul sumpta non occupant plus spatij, quàm seorsim, aut vnum solum ex illis; atqui duo quanta simul sumpta non occupant plus spatij, quàm seorsim, aut vnum solum ex illis: ergo duo quanta correspondere possunt naturaliter eidem planè spatio.

Minor pr. Aqua, & cineres sunt duo quanta; atqui simul sumpta non occupant plus spatij, quàm seorsim, aut vnum solum ex illis: ergo duo quanta simul sumpta non occupant plus spatij, quàm seorsim, aut vnum solum ex illis.

Minor pr. Illa non occupant simul sumpta plus spatij, quàm seorsim, quæ simul sumpta ponuntur in spatio, quod totum occupabatur ab vno solo ex illis; atqui aqua, & cineres ponuntur simul sumpta in spatio, quod occupabatur ab vno solo ex illis: ergo aqua, & cineres simul non occupant plus spatij, quàm seorsim, aut vinum solum ex illis.

Ad probationem minoris.

Supponunt *vas aliquod impleri primò aqua, & hac extracta, & seposita, repleri idem vas cineribus aliquantulum calidis, ac deinde extra-*

ctam aquam sensim illis misceri totam. Quod sæpissimè contingere docet experientia. Et sic argumentantur.

In suppositione facta vas illud occupabatur totum à sola aqua; atqui aqua, & cineres simul sumpta ponuntur in illo: ergo aqua, & cineres simul sumpta ponuntur in spatio, quod occupabatur ab vno solo ex illis.

Solutio: Atqui *aqua, & cineres simul sumpta nulla ab ijs planè facta detractatione partium, & nulla ex ipsorum poris eiectione corporis extranei ponuntur in illo vase*, Nego. *facta detractione aliqua partium ipsorum & eiectione aëris contenti intra cineres*, Concedo. ergo *simul sumpta facta detractione partium ipsorum, & eiectione corporis extranei ponuntur in spatio, quod occupabatur ab vno solo ex illis*, Concedo. *non facta huiusmodi detractione & eiectione aëris contenti intra cineres*, Nego.

Contrà. Aqua tota infunditur in illud vas, & nihil planè cinerum aufertur: ergo nulla fit detractio partium aquæ, & cinerum.

Solutio: *Aqua tota infunditur in illud vas, & per illam infusionem, & mixtionem cum cineribus non abeunt multæ ipsorum partes in halitus, & quasi vapores*, Nego. *& abeunt quamplurima*, Concedo. *Hunc autem abscessum esse veram detractionem partium ab ipsis euidens est, & consequenter mirum esse non debet, quòd residua partes ipsorum non occupent plus spatij, quàm omnes partes vnius ex illis occuparent.*

SECVNDA CONCLVSIO:

Plura corpora quanta possunt esse simul in eodem loco supernaturaliter.

ILLA possunt esse simul in eodem loco, quæ possunt habere simul vbi fundantia easdem planè relationes distantiæ, indistantiæ &c. atqui duo quanta possunt supernaturaliter habere vbi fundantia easdem planè relationes distantiæ, & indistantiæ: ergo duo quanta possunt esse simul supernaturaliter in eodem loco.

Minor pr. Vt duo quanta habeant vbi fundantia easdem planè relationes distantiæ, & indistantiæ, nihil aliud requiritur, quàm vt Deus non satisfaciat exigentiæ, quam habet quantitas vna, ne alia producat vbi in spatio, in quo ipsa suum adhuc conseruat: atqui potest Deus non satisfacere, & non se accommodare huiusmodi exigentiæ: ergo duo quanta possunt habere simul vbi fundantia easdem planè relationes distantiæ, & indistantiæ.

Minor pr. Huiusmodi exigentiæ Deus liberè se accommodat: ergo potest ei non se accommodare.

Antecedens pr. Quæ Deus facit ad extra liberè facit: atqui quod satis faciat & se accommodet, aut non se accommodet illi exigentiæ est aliquid ad extra: ergo Deus liberè se accommodat huiusmodi exigentiæ.

Obijcies. Duæ partes quantitatis non possunt

esse simul etiam diuinitus in eodem loco: ergo duo quanta non possunt esse simul supernaturaliter in eodem loco.

Antecedens pr.] Tam repugnat duas partes quantitatis permanentis esse simul in eodem loco, quàm successiuæ esse eodem tempore; atqui partes quantitatis successiuæ non possunt simul esse eodem tempore: ergo neque partes quantitatis permanentis in eodem loco.

Maior pr. Ideo repugnat partes quantitatis successiuæ esse eodem tempore, quia est de earum essentia vt sint diuersis temporibus; atqui est etiam de essentia quantitatis permanentis vt vna sit extra locum alterius: ergo tam repugnat partes quantitatis permanentis esse simul in eodem loco, quàm successiuæ esse eodem tempore.

Minor probatur. Illud dici debet de essentia quantitatis permanentis, quo negato sequuntur duo contradictoria; atqui ex eo, quod non sit de essentia quantitatis permanentis vt vna sit extra locum alterius, sequuntur duo contradictoria: ergo est de essentia quantitatis permanentis vt vna sit extra locum alterius.

Minor pr. Vnam ex illis quantitatibus esse in loco, & eandem non esse in loco sunt contradictoria; atqui ex eo, quod non sit de essentia quantitatis vt vna sit extra locum alterius; fit vt vna sit in loco: & eadem non sit: ergo ex eo, quod non sit de essentia quantitatis permanentis, vt vna sit extra locum alterius, sequuntur duo contradictoria.

Respondeo. *vtramque esse in loco.*

Contrà. Illud non eſt in loco, quod non replet locum; atqui neutra ex illis quantitatibus replet locum : ergo neutra eſt in loco.

Minor pr. Illud non replet locum, quod compatitur in illo aliud ſecum; atqui quælibet ex illis quantitatibus compatitur in loco in quo eſt alia ſecum : ergo neutra ex illis replet locum.

Solutio : *Illud non replet locum, quod compatitur aliud ſecum extra ſe poſitum*, Concedo. *intra ſe poſitum*, Nego. atqui *qualibet ex illis quantitatibus compatitur aliam ſecum intra ſe poſitam*, Concedo. *extra ſe poſitam*, Nego.

Contrà. Vna non poteſt compati aliam intra ſe poſitam : ergo nulla ſolutio.

Antecedens pr. Vel poteſt vna quantitas compati vnam aliam tantùm intra ſe poſitam, vel plures; aut etiam infinitas; atqui nullum horum dici poteſt : ergo non poteſt compati aliam intra ſe poſitam.

Reſpondeo. *poſſe compati plures, atque etiam infinitas.*

Contrà. Qui admittit vnam quantitatem poſſe compati plures alias intra ſe poſitas, aut etiam infinitas, negare non poteſt totam terram reduci poſſe ad ſpatium acuminis aſſiculæ; atqui hoc videtur per ſe incredibile: ergo vna quantitas compati non poteſt plures alias intra ſe poſitas; aut etiam infinitas.

Solutio : *Neganda eſt minor, & dicendum hoc quidem eſſe incredibile attendenti vires ſolius naturæ, facillimum verò ſi conſiderentur illæ diuinæ omnipotentiæ, cui nihil difficile eſt niſi quod eſt impoſſibile, & quod factibile non eſt.*

SECTIO V.

An idem possit esse in pluribus locis.

PRIMA CONCLVSIO:

Nullum ens creatum potest esse simul in pluribus locis totalibus.

ENTIA creata, quæ dici possunt esse posse simul in pluribus locis totalibus, & discretis, sunt substantiæ spiritales, aut corporeæ: atqui neque substantiæ spiritales, neque corporeæ possunt esse simul in pluribus locis totalibus, & discretis: ergo nullum ens creatum potest esse simul in pluribus locis totalibus, & discretis.

Minor pr. Substantiæ spiritales, aut corporeæ, quæ dici possunt esse simul in pluribus locis totalibus, & discretis, sunt sine *dubio*, quæ sunt inter illas perfectiores: atqui quæ sunt inter illas perfectiores non possunt esse simul in pluribus locis totalibus, & discretis: ergo substantiæ nec spiritales, nec corporeæ possunt esse simul in pluribus locis totalibus, & discretis.

Minor probatur. Perfectissimæ substantiarum spiritalium sunt Angeli, & corporearum homines: atqui nec Angeli nec homines possunt esse simul in pluribus locis totalibus, & discretis:

ergo quæ ſunt inter illas perfectiores, non poſſunt eſſe ſimul in pluribus locis totalibus, & diſcretis.

Minor pr. Subſtantiæ; quæ deſerere debent vnũ locum cùm ſe facere volunt præſentes ateri, non poſſunt eſſe ſimul in pluribus locis; altqui Angeli, & homines cùm volunt ſe facere præſentes alicui loco totali diſcreto deſerere debent præcedentem: ergo Angeli, & homines non poſſunt eſſe ſimul in pluribus locis totalibus, & diſcretis.

Minor probatur. Quod deſerere non debet locum præcedentem totalem, cùm ſe vult facere præſentem nouo, poteſt eſſe ſimul in omni loco; atqui Angeli, & homines non poſſunt eſſe ſimul in omni loco: ergo Angeli, & homines deſerere debent vnum locum, cùm ſe volunt facere præſentes alteri.

Maior pr. Quod deſerere non debet præcedentem locum totalem, cùm ſe vult facere præſentem nouo, poteſt occupare duo, tria, & quatuor loca ſimul; atqui quod occupare poteſt ſimul duo, tria, & quatuor loca poteſt eſſe in omni loco: ergo quod deſerere non debet præcedentem locum cùm ſe vult facere præſentem nouo, poteſt eſſe ſimul in omni loco.

Minor probatur Quod occupare poteſt ſimul quatuor loca, poteſt etiam quinque, ſex, & ſic in infinitum; atqui quod poteſt occupare quinque, ſex, & ſic in infinitum, poteſt eſſe in omni loco: ergo quod poteſt occupare tria, quatuor loca, poteſt eſſe in omni loco.

Minor probatur. Infinitus locus, & omnis

ſunt idem : ergo quod poteſt eſſe in loco infinito poteſt etiam eſſe in omni loco.

SECVNDA CONCLVSIO:

Supernaturaliter ens creatum poteſt habere plura vbi totalia, & diſcreta.

ILLVD non implicat quod non inuoluit eſſe & non eſſe vllius rei ; atqui ens creatum habens plura vbi totalia & diſcreta non inuoluit eſſe & non eſſe vllius rei : ergo non implicat ens creatum habere plura vbi totalia, & diſcreta.

Minor probatur. Ens creatum habens plura vbi totalia, & diſcreta, non poteſt inuoluere eſſe, & non eſſe, niſi vel ſui ipſius, vel plurium illarum vbicationum ; atqui non inuoluit eſſe, & non eſſe, neque ſui ipſius, neque plurium illarum vbicationum: ergo ens creatum habens plura vbi totalia, & diſcreta non inuoluit eſſe, & non eſſe vllius rei.

Prima pars minoris probatur.

Illud non inuoluit eſſe, & non eſſe vllius entis creati, quod inuoluit tantùm ipſum habere aliquid, quod non exigit ; atqui ens creatum habens plura vbi totalia inuoluit tantùm ipſum habere aliquid, quod non exigit : ergo ens creatum habens plura vbi totalia non inuoluit eſſe, & non eſſe ſui ipſius.

Secunda pars minoris prioris argumenti probatur.

Illud non inuoluit eſſe, & non eſſe plurium

vbicationum, quod inuoluit tantùm illas ſimul exiſtere; atqui ens creatum habens plura vbi totalia inuoluit tantùm plures ſuas vbicationes ſimul exiſtere: ergo ens creatum habens plura vbi non inuoluit eſſe, & non eſſe illarum.

Maior probatur. Simultanea exiſtentia earum rerum non inuoluit eſſe & non eſſe plurium illarum vbicationum, quarum vna non eſt negatio alterius; atqui vbicationum vna non eſt negatio alterius: ergo illud non inuoluit eſſe, & non eſſe plurium vbicationum, quod inuoluit tantùm illas ſimul exiſtere.

Minor probatur. Ex duobus entibus poſitiuis vnum non eſt negatio alterius; atqui vbicationes iſtæ ſunt poſitiuæ: ergo vna non eſt negatio alterius.

Obijcitur. Ens corporeum eſt ens creatum; atqui non poteſt habere plura vbi totalia, & diſcreta ſimul: ergo ens creatum non poteſt habere plura vbi totalia, & diſcreta.

Minor pr. Illa vbi debent eſſe, vel circunſcriptiua, vel definitiua; atqui non poſſunt dici eſſe neque circunſcriptiua neque definitiua: ergo non poteſt habere plura vbi totalia ſimul.

Minor pr. Plus requiritur vt ſint definitiua, quàm circunſcriptiua; atqui non poſſunt eſſe circunſcriptiua: ergo neque definitiua.

Minor pr. Corpus quod habet plura vbi circunſcriptiua eſt in loco circunſcriptiuè, & non eſt in loco circunſcriptiuè; atqui non poteſt eſſe in loco circunſcriptiuè & non eſſe in loco circunſcriptiuè: ergo non poteſt habere plura vbi circunſcriptiua.

Respondeo *esse in loco circunscriptiuè.*

Contrà. Illud non est in loco circunscriptiuè, quod non coarctatur intra terminos illius; atqui corpus, quod habet duo vbi circunscriptiua non coarctatur intra terminos vllius ex illis locis: ergo est in loco circunscriptiuè.

Solutio: *Illud non est in loco circunscriptiuè quod non continetur intra terminos illius vi vbi correspondentis illi loco*, Concedo. *vi alterius vbi correspondentis alteri loco*, Nego. atqui *corpus, quod habet duo vbi circunscriptiua non continetur intra terminos vllius ex illis locis vi vbi ipsi correspondentis*, Nego. *non correspondentis*, Concedo.

Contrà. Corpus existens circunscriptiuè in loco nullo modo, neque vi alterius vbi debet esse extra illum: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Corpus, quod est extra illum est illi æquale & non est æquale, atqui non potest esse æquale & non esse quale: ergo non potest poni extra illum.

Respondeo *esse æquale.*

Contrà. Corpus, quod commensuratur simul duobus locis nulli illorum est æquale; atqui corpus existens circunscriptiuè in loco, quod potest poni extra illum, commensuratur simul duobus locis: ergo non est æquale vlli ex illis.

Solutio: *Corpus, quod commensuratur simul duobus locis per vnam continuam applicationem, nulli illorum est æquale*, Concedo. *per diuersas tantùm, & repetitas applicationes*, Nego atqui

corpus existens in loco circumscriptiuè, quod potest poni extra illum commensuratur simul duobus locis per vnam continuam applicationem, Nego. *per diuersas, & repetitas*, Concedo.

Contrà. Non potest dici, quòd commensuretur ei per diuersas applicationes: ergo nulla solutio.

Antecedens probatur. Illæ applicationes sunt diuersa vbi; atqui non potest dici illis commensurari per diuersa vbi: ergo neque per diuersas applicationes.

Minor pr. Vnum ex illis vbi esset v. g. sessio, & per aliud staret; atqui non potest vnum esse sessio, & per aliud stare: ergo non potest illis commensurari per diuersa vbi.

Minor probatur. Vnum ex illis vbi esse sessionem, & aliud facere vt corpus stet, est corpus illud sedere, & non sedere; atqui corpus non potest sedere, & non sedere: ergo non potest vnum esse sessio, & per aliud stare.

Solutio: *Vnum ex illis vbi esse sessionem, & aliud facere vt corpus stet, est corpus illud sedere simul, & non sedere, vi eiusdem vbi*, Nego. *vi diuersorum*, Concedo. atqui *corpus non potest sedere simul & non sedere vi eiusdem vbi*, Concedo. *vi diuersorum*, Nego.

Contrà. Corpus sedens & non sedens vi diuersorum vbi potest non sedens occurrere sibi sedenti; atqui non sedens non potest occurrere sibi sedenti: ergo non potest sedere, & non sedere vi diuersorum vbi.

Maior probatur. Corpus non sedens occurrens sibi sedenti penetraret seipsum, vel non pe-

netraret, sed neutrum dici potest: ergo non sedens non potest occurrere sibi sedenti.

Respondeo *non se penetraturum.*

Contra. Corpus non sedens occurrens sibi sedenti, & non se penetrans resistit ipsi, atqui nihil resistit sibi ipsi: ergo corpus non sedens occurrens sibi sedenti debet se penetrare.

Solutio: *Corpus non sedens occurrens sibi sedenti, & non se penetrans resistit sibi ipsi secundùm easdem partes*, Nego. *secundùm diuersas* Concedo. *pars enim dextra frontis, v. g. incurreret in sinistram, & sinistra in dextram eo modo, quo sit in duobus hominibus iungentibus frontem fronti*: atqui *nihil resistit sibi ipsi secundùm easdem partes*, Concedo. *secundùm diuersas*, Nego.

Contrà. Tam potest corpus non sedens occurrens sibi sedenti resistere sibi ipsi secundùm easdem partes, quàm separari à seipso; atqui non sedens occurens sibi sedenti, & non se penetrans est separatum à seipso: ergo corpus non sedens occurrens sibi sedenti, & non se penetrans resistit sibi ipsi secundùm easdem partes.

Minor probatur. Illud quod distat à seipso est separatum à seipso, atqui corpus non sedens occurrens sibi sedenti distat à seipso: ergo est separatum à seipso.

Minor probatur. Illa distant à se inuicem, inter quæ intercipi possunt alia corpora; atqui inter corpus non sedens, & sedens, cui occurrit, intercipi possunt alia corpora, & intercipitur de facto aër intermedius: ergo corpus non se-

dens occurrens sibi sedenti distat à seipso.

Solutio: *Illa distant à se inuicem, inter quæ sumpta secundùm se intercipi possunt alia corpora*, Concedo. *sumpta tantùm secundùm præsentias diuersas*, Nego. atqui *inter corpus non sedens, & sedens sumpta secundùm se intercipi possunt alia corpora*, Nego. *sumpta secundùm diuersas illas vbicationes & præsentias, quas habent*, Concedo. *Ad hoc vt inter corpus illud non sedens, & sedens sumpta secundùm se intercipi possent corpora, necessarium esset, vt illud idem quod est non sedens ipsummet non esset sedens, vt patet in anima rationali, quæ quia est vna, & eadem in capite, & in pede inter ipsam sumptam secundùm se intercipi non possunt corpora, possunt tamen inter ipsam sumptam secundùm diuersas illas suas præsentias in capite, & in pede, quod est vbicationes illas esse inuicem dissitas, non verò animam, quæ similiter vt existens in capite non dicitur separata à seipsa vt existente in pede, quia ad separationem duorum requiritur distinctio, & vt vnum non sit idemmet planè cum eo à quo dicitur separatum.*

Quod diximus de vbicationibus dissitis eiusdem rei animæ rationalis, v. g. Angeli, & corporis positi diuinitus in pluribus locis, magnam lucem accipere potest ab iisdem rebus affectis diuersis durationibus. Neque enim licet inferre ex eo, quòd inter durationes illas intercipi possint aliæ multæ, intercipi etiã posse inter ipsarum subiecta sumpta secundùm se, & hæc propterea esse separata à seipsis. Nemini enim dubium est, quin idem planè, quod afficitur

vna ex illis durationibus afficiatur etiam, & alia, & diuersitatem illam durationum, & interceptionem aliarum multarum inter ipsas non posse arguere non modò separationem in ipsarum subiectis, sed neque distinctionem.

Quod indubitatum etiam debet facere multiplicitatem vbicationum distantium eiusdem rei non debere inducere in illam vllam realem distinctionem, nedum separationem.

Contrà. Inter illa etiam secundùm se sumpta intercipi possunt alia corpora, quorum vno existente potest aliud non existere; atqui corpus non sedens, & sedens, inter quæ secundum diuersas præsentias possunt intercipi alia corpora ita se habent vt vno existente possit aliud non existere: ergo inter corpus non sedens, & sedens secundùm se sumpta intercipi possunt alia corpora.

Ad probationem minoris supponunt corpus illud non sedens, & sedens esse Petrum, v. g. qui vbi sedet interficiatur, & vbi non sedet viuat, & sic argumentantur.

Petrus non sedens est; atqui Petrus sedens non est: ergo corpus non sedens, & sedens ita se habent, vt vnum possit non existere alio existente.

Solutio: Atqui *Petrus sedens non est, hoc est sessio Petri non est*, Concedo. *hoc est ipse Petrus non est*, Nego. ergo *corpus non sedens, & sedens ita se habent vt vnum possit existere alio non existente secundùm se sumpto*, Nego. *sumpto secundùm sessionem*, Concedo.

Contrà, Cùm Petrus moritur ipse verè non est,

& non tantùm eius sessio; atqui ex suppositione vbi sedet moritur, & interficitur: ergo verè ipse Petrus non est, & non tantùm eius sessio.

Solutio: *Cùm Petrus moritur vbique, seu eius anima nullibi remanet vnita eius corpori ipse verè non est*, Concedo: *cùm Petrus moritur, seu eius anima desinit habere vnionem, cum eius corpore in aliquo loco, retinens tamen illam in alio, ipse non est*, Nego. *Cùm enim negatio sit malignantis natura præfixa verbo, est, significat nullibi conuenire existentiam rei, cui illam negat, quod vt patet falsum est de Petro, cùm eius anima retinet vnionem cum eius corpore vbi non sedet*; atqui *vbi sedet moritur, & interficitur. hoc est, eius anima desinit esse vnita corpori in aliquo loco ex duobus illis, in quibus est*, Concedo. *hoc est desinit esse vnita corpori absolutè, & in omni loco*, Nego. *vbi enim Petrus non sedet viuit, vt admittit suppositio facta.*

Contrà. Non magis anima Petri, potest esse vnita eius corpori in aliquo loco, & in alio non vnita, quàm eadem esse vnita gratiæ sanctificãti in aliquo loco, & in alio non esse ei vnita; atqui non potest esse vnita gratiæ sanctificanti in aliquo loco, & in alio non esse illi vnita: ergo anima Petri, quæ non est vnita eius corpori in aliquo loco, non potest in alio esse illi vnita.

Minor pr. Anima vnita gratiæ sanctificanti, & illi nõ vnita quantumuis sit in diuersis locis, si soluatur à corpore in eo statu est sancta, beata, digna amore Dei, & non est sancta, nec beata, nec digna amore Dei; atqui anima Petri nõ potest esse simul sãcta, beata, & digna amore Dei,

& non esse sancta, beata, & digna amore Dei: ergo anima Petri non potest esse vnita gratiæ sanctificanti in aliquo loco, & in alio non esse illi vnita.

Respondeo *falsum esse non esse sanctam, beatam, & dignam amore Dei.*

Contrà. Illa anima non est sancta, neque beata, neque digna amore Dei, in qua est peccatum, & miseria; atqui in anima in illo loco, in quo gratia sanctificans ei non vnitur est peccatum, & miseria: ergo anima vnita gratiæ sanctificanti, & illi non vnita quantumuis sit in diuersis locis, si soluatur à corpore in eo statu est sancta, beata, & digna amore Dei, & non est sancta, neque beata, neque digna amore Dei.

Solutio: *Illa anima non est sancta, neque beata, neque digna amore Dei, in qua est peccatum, & miseria, quales sunt pœna damnatorum in omni loco in quo est,* Concedo. *in vno tantùm ex illis locis in quibus est,* Nego. *Negatio siquidem vt iam diximus cùm sit malignantis naturæ præfixa verbo, est, significat nullibi conuenire subiecto formam quam ei dicit non inesse*: atqui *in anima in eo loco, in quo gratia sanctificans ei non vnitur est peccatum & miseria, & hic est omnis locus, in quo est* Nego. *& non est omnis locus in quo est,* Concedo. *Certè si non est impossibile supernaturaliter, (vt docent multi) vt sit gratia, & visio beatifica simul cum peccato in anima, in vno solo loco posita faciliùs multo esse censendum est, vt sint in illa cùm est in diuersis locis.*

SECTIO VI.

Quæ accidentia habeat subiectum positum in pluribus locis.

ACCIDENTIA alia sunt localia, alia non localia, alia debita, alia indebita; prima sunt ea quæ sunt affixa certo spatio, secunda verò non: tertia exiguntur à subiecto, & vltima non exiguntur: notitia diuersorum illorum accidentium necessaria est ad faciliorem intelligentiam sequentium conclusionum.

PRIMA CONCLVSIO:

Accidentia localia non sunt vbicunque est subiectum.

SVBIECTVM in varijs locis positum non habet accidentia, quæ in illis esse non possunt; atqui accidentia localia non possunt esse in varijs locis: ergo accidentia localia non sunt vbicunque est subiectum.

Minor pr. Accidentia, quæ sunt affixa vni loco non possunt esse in varijs locis, atqui accidentia localia sunt affixa vni loco: ergo non possunt esse in varijs illis locis, in quibus est subiectum.

Minor pr. Accidentium localium natura est, vt sint affixa vni loco: ergo non debent negari esse ipsi affixa.

SECVNDA CONCLVSIO:

Accidentia non localia possunt esse vbicumque est subiectum.

VT accidentia non localia sint vbicumque est subiectum, requiritur tantùm vt possint esse in varijs locis; atqui non implicat vt sint in varijs locis: ergo possunt esse vbicumque est subiectum.

Minor pr. Non magis implicat, vt accidentia non localia sint in varijs locis, quàm ipsorum subiectum; atqui non implicat, vt ipsorum subiectum sit in varijs locis: ergo neque etiam vt ipsa sint in iisdem.

Maior pr Non magis sequitur ipsa esse, & non esse quod sint in varijs locis, quàm ipsorum subiectum: ergo non magis implicat vt sint in varijs locis, quàm ipsorum subiectum.

TERTIA CONCLVSIO:

Accidentia debita subiecto sunt naturaliter vbicumque illud est.

ACCIDENTIA ponuntur naturaliter vbicunque subiectum ea exigit; atqui subiectum vbicunque sit exigit accidentia sibi debita: ergo accidentia debita subiecto sunt naturaliter vbicunque illud est.

Maior pr. Subiectum vbicunque sit debet habere naturaliter loquendo ea, quæ exigit: ergo

accidentia ponuntur naturaliter vbicunque ſubiectum ea exigit.

Antecedens pr. Ordo naturalis eſt, vt detur vnicuique rei id, quod exigit: ergo ſubiectum vbicunque ſit debet habere naturaliter loquendo ea, quæ exigit.

Reſpondent: *Ordo naturalis eſt, vt detur vnicuique rei id, quod exigit, ſi non ſit contraria exigentia impediens*, Concedo. *ſi ſit contraria exigentia impediens, & ſe opponens*, Nego. ergo *ſubiectum vbicunque eſt debet habere naturaliter loquendo ea, quæ exigit ſi non ſit contraria exigentia impediens*, Concedo. *ſi ſit contraria exigentia impediens*, Nego.

Contrà. Nulla eſt contraria exigentia opponens ſe, ne ſubiectum vbicunque eſt habeat ea, quæ exigit: ergo nulla ſolutio.

Antecedens pr. Exigentia illa contraria debet præualere ei, quæ eſt in ſubiecto habendi ea, quę exigit; atqui non præualet: ergo nulla eſt contraria exigentia opponens ſe, ne ſubiectum vbicunque eſt habeat ea, quę exigit.

Minor pr. Exigentia illa contraria non eſt alia ab ea, per quam id, quod exigitur à ſubiecto petit non poni in pluribus locis; atqui illa exigentia non præualet ei, quam habet ſubiectum illud habendi vbicunque eſt: ergo exigentia illa contraria non præualet.

Minor pr. Illa exigentia non debet dici præualere, quæ eſt rei ignobilioris; & cui ſi Deus ſatis faceret, beneficium, quod conferret ſubiecto ponendo illud in variis locis valdè imminueretur: atqui exigentia illa eſt rei ignobilioris, & ſi

ei Deus satisfaceret, beneficium, quod conferret subiecto ponendo illud in variis locis valdè minueretur: ergo illa exigentia contraria non præualet ei, quam habet subiectum habendi ea, quæ exigit.

Minor pr Accidentia sunt ignobiliora substantia, & minuitur tunc beneficium, cùm ei cui conceditur non conceduntur propterea alia, ad quæ habet ius; atqui ea, quæ exigunt non poni in pluribus locis sunt accidētia, & subiectum in illis positum est substantia, cui si non concedantur illa propterea quòd sit in pluribus illis locis, non conceduntur ea, ad quæ habet ius: ergo exigētia illa est rei ignobilioris, & si Deus ei satisfaceret, imminueretur valde beneficiū, quod conferret subiecto ponēdo illud in variis locis.

QVARTA CONCLVSIO:

Accidentia indebita subiecto, non ponuntur necessariò vbicunque est subiectum.

QVOD nón ponitur in pluribus locis, cùm in illis est ipsius subiectum, non ponitur necessariò vbicūque est subiectum; atqui accidentia indebita alicui subiecto non ponuntur necessariò in pluribus locis, cùm in illis est ipsorum subiectum: ergo accidentia indebita subiecto non ponuntur necessariò vbicunque est subiectum.

Minor pr. Accidens, quod non exigit esse in pluribus illis locis, in quibus est ipsius subiectum, & istud etiam non exigit, vt sit in illis, nō debet poni in illis; atqui accidentia indebita

alicui subiecto, non exigunt poni in pluribus illis locis, in quibus est ipsorum subiectum, & istud non exigit vt ponantur in illis: ergo accidentia indebita alicui subiecto, non ponuntur necessariò in pluribus locis, cùm in illis est ipsorum subiectum.

Minor pr. Subiectum non exigit illud, quod ei non debetur, & accidentia indebita subiecto non exigunt id, quod rebus alijs minùs limitatis non debetur; atqui non debetur subiecto vt accidentia ipsi indebita ponantur in pluribus illis locis, in quibus est, & huiusmodi positio non debetur rebus alijs minùs limitatis, quàm sint illa accidentia: ergo accidentia indebita alicui subiecto non exigunt poni in pluribus illis locis, in quibus est subiectum, & istud non exigit, vt ponantur in illis.

Prima pars minoris probatur.

Positio illorum accidentium in pluribus illis locis, tam est indebita subiecto, quàm ipsa accidentia; atqui hæc sunt ipsi indebita vt supponimus: ergo etiam non debetur ipsi vt ponantur in pluribus illis locis, in quibus est.

Secunda pars minoris prioris argumenti probatur.

Substantiæ tum spiritales, tum corporeæ, sunt aliquid minùs limitatum, quàm sint illa accidētia; atqui neque substantijs spiritalibus, neque corporeis debetur vt ponantur in pluribus locis: ergo huiusmodi positio non debetur alijs minùs limitatis.

Minor pr. Substantiæ spiritales, & corporeæ creatę non habent nisi vnicum vbi, & vnam tantùm

præsentiam : ergo positio in pluribus locis non debetur eis.

Obijcies Quæ vniuntur subiecto sumpto secundùm se,& vt antecedit vbi debent esse necessariò vbicunque est subiectum; atqui accidentia indebita vniuntur subiecto sumpto secundùm se, & vt antecedit vbi : ergo accidentia indebita subiecto debent esse vbicunque istud est.

Solutio : *Quæ vniuntur subiecto sumpto secundùm se, & prout non existenti in aliquo loco certo, & determinato sunt vbicunque illud est*, Concedo. *Quæ vniuntur subiecto sumpto quidem secundùm se, sed vt existenti in hoc, aut illo loco sunt vbicunque illud est*, Nego. atqui *accidentia indebita vniuntur subiecto sumpto secundùm se, & prout non existenti in aliquo loco certo, & determinato*, Nego. *prout existenti in hoc, aut illo loco*, Concedo. *Posita autem in subiecto prout existente in hoc certo, & determinato loco habent tantùm vnum vbi. Vnde sicut in fieri ipsorum vnum tantùm illis conceditur, ita etiam in conseruari non debent habere nisi vnicum.*

Contrà. Accidentia indebita Christo in cœlo, vniuntur ei prout existenti in Empyreo; atqui ponuntur in Sacramento Eucharistiæ, & in omni alio loco, in quo ipse se constituit per apparitiones: ergo accidentia indebita, quæ vniuntur subiecto prout existenti in certo, & determinato loco ponuntur vbicunque est illorum subiectum.

Solutio : Atqui *ponuntur in Sacramento Eucharistia, & in omni alio loco; in quo ipse se constituit per apparitiones, si Christus ea possederit, & antequam fecerit sibi debita antequam ponatur in*

Sacramento Eucharistia, Concedo. *si ea antea non habuerit, sed postea illi aduenerint*, Nego. ergo *accidentia indebita ponuntur vbicunque est illorum subiectum, si ea antequam ponatur in illis variis locis possederit, & eatenus fecerit sibi debita*, Concedo. *si prius ea non possederit; sed postea illi aduenerint in vno loco*, Nego. *Nullum enim videtur esse ius tunc in illo subiecto, vt ea transmittat in alium locum, in quo est.*

Contrà. *Suppono Angelum constituere se præsentem medietati cubiculi, quod totum habet præ sphara sua præsentiæ, & in ea acquirere nouam cognitionem, & volitionem, & deinde occupare etiam aliam medietatem retinendo priorem, & hoc posito sic argumentor:*

In suppositione facta cognitio illa, & volitio sunt accidentia indebita Angelo, & quæ priùs non possedit antequam poneretur in duplici illo loco; atqui ponuntur in duplici illa medietate cubiculi, & vbicunque est Angelus: ergo accidentia indebita etiam si subiectum non possederit ea priùs ponuntur vbicunque ipsum est.

Solutio: Atqui *ponuntur in duplici illa medietate, & vbicunque est Angelus naturaliter*, Concedo. *vbicumque est supernaturaliter*, Nego. ergo *accidentia indebita subiecto etiam si priùs ea non possederit ponuntur vbicunque ipsum est naturaliter*, Concedo. *vbicunque est supernaturaliter*, Nego. *Angelus est naturaliter in toto illo cubiculo, & propterea debet habere in eo toto, quidquid habet, si verò poneretur in duobus locis adæquatis supernaturaliter, quæ ei superuenirent in vno ex illis, non transmitteret ad se ipsum existentem in*

alio loco propter repugnantiam quam habet accidens ad huiusmodi translationem, & positionem in pluribus locis, ad quam subiectum in iis existens non dat ipsi ius.

Contrà. Cognitio, & amor Dei sunt accidentia indebita animæ rationali; atqui non ponuntur in toto illo spatio, in quo ipsa est naturaliter: ergo accidentia indebita non ponuntur in toto illo spatio, in quo est subiectum naturaliter.

Solutio: Atqui *cognitio, & amor Dei, non ponuntur in toto illo spatio, in quo est anima naturaliter, & nullum est impedimentum ne ponantur,* Nego. *& est impedimentum propter quod non possunt poni,* Concedo. *Impedimentum illud est, quod cognitio, & amor dependeant mediatè, vel immediatè à dispositionibus, quæ non sunt nisi in vna parte spatij, quod anima potest occupare, scilicet, capite in quo solo eas operationes potest exercere:* ergo *accidentia indebita non ponuntur in toto illo spatio in quo est subiectum naturaliter cùm nullum est impedimentum,* Nego. *cùm est aliquod impedimentum,* Concedo.

Contrà. Non magis cognitio, & amor Dei, etiam sublato impedimento dici debent esse in toto spatio, in quo est anima, quàm alia, quæ sunt indebita suis subiectis, aut quasi subiectis; atqui alia indebita suis subiectis, aut quasi subiectis non sunt, sublato etiā impedimento vbicunque ista sunt naturaliter: ergo cognitio, & amor Dei, etiamsi nullum sit impedimentum, non sunt in toto illo spatio, in quo est anima.

Minor pr. Humanitas Verbi est illi indebita, atqui sublato impedimento non est vbicunque

est Verbum naturaliter: ergo alia indebita suis quasi subiectis non sunt vbicunque ista sunt naturaliter.

Solutio: *Humanitas Verbi est illi indebita, & est quasi accidens illi connaturale*, Nego. *& est quasi accidens non connaturale*, Concedo. *Quòd enim ei vniatur non est vllo modo secundùm ordinem naturæ, sed supra vires totius naturæ. Quando autem diximus accidentia indebita, sublato impedimento poni vbicunque ponitur ipsorum subiectum naturaliter, id intelleximus de accidentibus connaturalibus, non autem de non connaturalibus:* ergo *alia indebita suis quasi subiectis si non sint illis connaturalia, non sunt vbicunque ipsorum subiecta ponuntur*, Concedo. *si sint connaturalia*, Nego.

QVINTA CONCLVSIO:

Subiectum positum in diuersis locis recipere potest accidentia, quæ non posset si esset tantùm in vnico.

SVBIECTVM positum in diuersis locis æquiualet duobus: ergo subiectum positum in diuersis locis recipere potest accidentia, quæ non posset si esset tantùm in vnico.

Antecedens pr. Subiectum positum in duobus temporibus æquiualet duobus: ergo etiam positum in diuersis locis æquiualet duobus.

Consequentia pr Non minorem habet vim ad hoc multiplicitas loci, quã durationis: ergo etiam positum in diuersis locis ęquiualet duobus.

Antecedens pr. Multiplicitas durationis non potest dici magis facere ad hoc, nisi quia conueniat ei potiùs, quàm vbicationi esse rationem, & virtutem agendi; atqui non est magis ratio, neque virtus agendi quàm vbicatio: ergo non minorem vim ad hoc habet multiplicitas vbicationis quàm durationis.

Minor pr Totum munus durationis, est vt constituat rem præsentem huic tempori potiùs quàm alteri: ergo non est magis virtus agendi, quàm vbicatio.

Obiicitur. Ratio, quare dicamus subiectum posse recipere accidentia in duobus locis, quæ non posset in vno, est, quia in duobus locis positum æquiualet duobus, aut pluribus; atqui non æquiualet duodus: ergo positum in diuersis locis, non potest recipere accidentia, quæ non posset in vno.

Minor pr. Ratio, quare dicamus æquiualere, est quia multiplicitas vbicationum dat illi hanc vim; atqui non dat illi hanc vim: ergo non æquiualet duobus.

Minor pr. Ratio, quare dicamus dare illi hanc vim, est quia multiplicitas durationum dat illi similem; atqui hæc ratio nulla est: ergo multiplicitas vbicationum non dat illi hanc vim.

Minor pr. Non est paritas quoad hoc in vbicationibus, & durationibus: ergo hæc ratio nulla est.

Antecedens pr. Vbicationes sunt simul, durationes verò sunt vna post aliam: ergo non est paritas inter vbicationem, & durationem.

Consequentia pr. Vt sit paritas quoad hoc inter

ter vbicationes, & durationes debent tam bene vbicationes variæ tollere incapacitatem subiecti ad formas contrarias, quàm durationes variç; atqui non tollunt: ergo non est paritas inter vbicationem & durationem.

Minor pr. Incapacitas subiecti ad formas contrarias, est tantùm pro eodem tempore; atqui hęc incapacitas tollitur per durationes varias, non autem per varias vbicationes: ergo vbicationes non tollunt incapacitatem subiecti ad formas contrarias.

Maior pr. Incapacitas subiecti non est pro eodem loco: ergo est tantùm pro eodem tempore.

Antecedens pr. Nulla est particula in definitione contrariorum, quæ petat identitatem, & simultatem vbicationum: ergo incapacitas subiecti ad formas contrarias, non est pro eodem loco.

Antecedens pr. Illa particula non potest esse nisi simul; atqui simul non importat identitatem, & simultatem vbicationum: ergo nulla est particula in definitione contrariorum, quæ petat identitatem, & simultatem vbicationum.

Minor pr. Simul importat tantùm simultatem durationum: ergo non importat identitatem, & simultatem vbicationum.

Solutio: *Negandum est antecedens. Ratio est. quia, simul, ibi tam bene significat in eodem loco, atque in eodem tempore.*



DISPVTATIO III.

De Vacuo.

NATVRA loci præcedenti diſputatione explicata, non parum conferet ad faciliorem intelligentiam eorum, quæ habemus dicenda de Vacuo.

SECTIO I.

An, & quid ſit Vacuum.

PRIMA CONCLVSIO:

Conuenit ſoli vacuo eſſe locum deſtitutum corpore aptum eo repleri.

ALIA quibus hoc poſſet dici conuenire ſunt locus, & inane; atqui non conuenit illis: ergo conuenit ſoli vacuo eſſe locum deſtitutum corpore aptum eo repleri.

Maior pr. Non conuenit illis, quæ ſunt repleta corpore, aut non ſunt apta eo repleri; atqui locus eſt repletus corpore, & inane non eſt aptum eo repleri: ergo non conuenit loco, neque inani.

Minor de inani probatur.

Illud non eſt aptum repleri, quod non poteſt circundare; atqui inane non poteſt circundare: ergo nec repleri.

Minor pr. Illud non poteſt circundare, quod non eſt poſitiuum; atqui inane non eſt poſitiuum: ergo non poteſt circundare.

Minor pr. Inane eſt merum nihil: ergo non eſt quid poſitiuum.

SECVNDA CONCLVSIO:

Vacuum non poteſt dari naturaliter.

ILLVD dari non poteſt naturaliter, quod vt vitent res naturales faciunt ſibi vim magnam, & agunt contra naturalem inclinationem; atqui res naturales, vt vitent vacuum faciunt ſibi magnam vim, & agunt contra naturalem inclinationem: ergo vacuũ dari non poteſt naturaliter.

Minor pr. Aqua, ignis, aër, &c. ſunt res naturales; atqui vt vitent vacuum faciunt ſibi magnam vim; & agunt contra naturalem inclinationem: ergo res naturales, vt vitent vacuum faciunt ſibi magnam vim, & agunt contra naturalem inclinationem.

Minor probatur de aqua.

Tunc aqua facit ſibi magnã vim, & agit contra naturalem inclinationem, quando aſcendit: atqui aſcendit ad vitandum vacuum: ergo aqua vt vitet vacuum facit ſibi magnam vim, & agit contra naturalem inclinationem.

Minor pr. In fiſtulis aquæ admotis, cùm attrahitur aër aqua aſcendit: atqui non aſcendit niſi

ad vitandum vacuum : ergo aqua ascendit contra naturalem inclinationem ad vitandum vacuum.

Minor pr. Quod ascendit intra fistulam, vt occupet locum relictum ab aëre attracto, ascendit ad vitandum vacuum; atqui aqua ascendit, vt occupet locum relictum ab aëre attracto: ergo aqua ascendit ad vitandum vacuum.

Minor pr. Illud ascendit, vt occupet locum relictum ab aëre attracto, quod cùm non debet illum occupare non ascendit; atqui aqua cùm non debet occupare locum relictum ab aëre attracto non ascendit : ergo aqua ascendit, vt occupet locum relictum ab aëre attracto.

Minor pr. Cùm est foramen in extremitate fistulæ, aut ista non perfectè coaptatur aquę, aqua occupare non debet locum relictum ab aëre attracto; atqui aqua tunc non ascendit, vt docet experientia: ergo cùm aqua occupare non debet locum relictum ab aëre attracto, non ascendit.

Maior pr. Cùm est corpus leuius aqua, quod succedere potest in locum relictum ab aëre attracto, aqua occupare non debet locum relictum ab aëre attracto; atqui cùm est foramẽ in extremitate fistulæ; aut ista non perfectè coaptatur aquæ, est corpus leuius, quod succedere potest in locum relictum ab aëre attracto : ergo cùm est foramen in extremitate fistulæ, aut ista non perfectè coaptatur aquæ, aqua occupare non debet locum relictum ab aëre attracto.

Minor pr. Aër est corpus leuius aqua; atqui cùm est foramen in extremitate fistulæ, aër succedere potest in locũ relictum ab aëre attracto:

ergo cùm eſt foramen in extremitate fiſtulæ, aut iſta non perfectè coaptatur aquæ, eſt corpus leuius; quod ſuccedere poteſt in locum relictum ab aëre attracto.

Minor pr. Vt aër ſuccedat nihil aliud requiritur, quàm vt pateat ipſi via; atqui cùm eſt foramen patet ipſi via: ergo cùm eſt foramen in extremitate fiſtulæ, aër ſuccedere poteſt in locum relictum ab aëre attracto.

Obijcitur. Datur naturaliter charta non verberata; atqui in ea datur vacuum: ergo naturaliter datur vacuum.

Minor pr. Eſſe debet aliqua ratio, cur charta non verberata ſit leuior verberata; atqui illa non poteſt eſſe alia, quàm quòd in non verberata detur vacuum: ergo in charta non verberata datur vacuum.

Minor pr. Illa alia ratio non poteſt eſſe niſi quia in charta nõ verberata eſt aër incluſus; atqui hæc ratio nulla eſt: ergo illa non poteſt eſſe alia, quàm quod in nõ verberata detur vacuũ.

Maior pr. In aëre illo incluſo datur vacuum: ergo hæc ratio nulla eſt.

Antecedens pr. Non minùs in illo aëre eſt vacuum, quàm in eo, in quo mouemur; atqui in eo, in quo mouemur, datur vacuum: ergo & in illo.

Minor pr. Non poſſumus moueri in vacuo, quin in aëre, in quo mouemur, detur vacuum; atqui mouemur in vacuo: ergo in aëre, in quo mouemur, datur vacuum.

Minor pr. Cùm mouemur, mouemur in pleno, vel in vacuo; atqui non mouemur in pleno: ergo mouemur in vacuo.

Solutio : *Cùm mouemur, mouemur in vacuo, vel in pleno nostro corpore, vel alieno in sensu diuiso*, Concedo. *in sensu composito*, Nego. atqui *non mouemur in pleno nostro corpore, aut alieno in sensu diuiso, ita vt desinat esse plenum alio corpore dum repletur nostro*, Nego. *non mouemur in pleno alio corpore in sensu composito, hoc est, quod maneat simul cum nostro*, Concedo.

Contrà. Moueri in pleno nostro, aut alio corpore in sensu diuiso est, cùm corpus nostrum occupat locum aliquem ibi desinere esse aliud, quod antea erat; atqui cùm nostrum occupat locum aliquem, ibi non desinit esse aliud, quod antea erat: ergo non mouemur in pleno nostro, aut alio corpore in sensu diuiso.

Minor pr. Cùm desinit corpus esse in aliquo loco, secedit in alium; atqui corpus quod antea erat vbi ponitur nostrum, non secedit in alium locum: ergo cùm nostrum occupat locum aliquem, ibi nō desinit esse aliud, quod antea erat.

Minor pr. Vel corpus in cuius locum succedit, recedit ipsum ex eo loco, vel non; sed neutrum dici potest: ergo nō secedit in alium locū.

Respondeo *recedere*.

Contrà. Corpus illud recedere, est ad motum minimi corporis totum mundum moueri; atqui totus mundus non mouetur ad motum minimi corporis: ergo non recedit.

Solutio : *Corpus illud recedere via recta est totum mundum moueri*, Concedo. *via obliqua, seu ad latus, & condensari*, Nego. *& concessa minori* : ergo *non recedit via recta*, Concedo. *via obliqua, & condensando alia corpora*, Nego.

Contrà. Aër ſæpè non poteſt refluere ad latus, etiam cùm nullum eſt aliud corpus à quo poſſit occupari ſpatium relictum à corpore, quod recedit: ergo tunc dabitur vacuum.

Antecedens pr. Cùm aqua congelatur hyeme intra vas bene occluſum, aër refluere non poteſt ad latus: ergo aër ſæpè non poteſt refluere ad latus, etiam cùm non eſt aliud corpus, à quo poſſit occupari ſpatium relictum à corpore, quod recedit.

Solutio: *Cùm aqua congelatur hyeme intra vas benè occluſum aer refluere non poteſt ad latus, & non frangitur vas, aut nullum eſt aliud corpus à quo ſpatium relictum occupetur*, Nego. *& eſt aliud corpus à quo occupetur, aut frangitur vas*, Concedo. *Illud corpus eſſe poſſet corpuſcula illa quæ includebantur in aqua ante congelationem.*

Contrà. Non eſt neceſſarium admittere illa corpuſcula replentia illud ſpatium: ergo non eſt dicendũ illud ſpatiũ repleri ab illis corpuſculis.

Antecedens pr. Non eſt magis neceſſarium illud ſpatiũ eſſe repletum illis corpuſculis, quàm illud, quod deſeritur à duabus tabulis perfectè planis iunctis, dum ſeparantur ſimul ſecundùm omnes partes; atqui illud ſpatium non eſt repletum: ergo neque aliud.

Solutio: Atqui *illud ſpatium non eſt repletum & illæ tabulæ ſeparari poſſunt ſimul ſecundùm omnes partes*, Nego. *& non poſſunt ſimul ſeparari ſecundùm omnes partes*, Concedo.

Contrà. *Suppono Angelum Gabrielem v.g. applicare ſe ad mouendam vnam ex illis tabulis verſus orientem, & Raphaëlem ex oppoſito trahe-*

re aliam, quàm magno potest conatu versus occidentem, quo posito sic argumentor.

In illa suppositione tabulæ illæ separantur à se inuicem secundùm omnes partes, vel tantùm secundùm aliquas, & secundùm alias sibi adhærent; atqui secundùm nullas planè sibi adhærent: ergo tabulæ illæ separantur simul secundùm omnes partes.

Solutio: *Neganda est maior, si non supponatur simul dari aliud corpus, quod succedere possit in locum relictum ab illis tabulis, dum secundùm aliquas partes separantur; & ratio est facilis, quia, vel Angeli trahentes illas sunt æqualis virtutis, vel inæqualis; si æqualis, neuter vincet, & ita immotæ manebunt tabulæ: si inæqualis, fortior trahet ambas versus partem, versus quam volebat trahere suam; vis enim tractiua indita isti ad seruandam contiguitatem trahet aliam, & ita ambæ versus eandem partem mouebuntur.*

Si verò supponatur esse corpus, quod possit succedere in locum relictum ab aëre, dum separantur; Neganda est minor, & dicendum adhærere sibi secundùm omnes illas partes, in quarum locum non potest ipso initio succedere aliud corpus.

Contrà. Illæ tabulæ secundùm aliquas partes non sibi adhærent: ergo secundùm nullas sibi adhærent.

Antecedens pr Vis separatiua æquè applicata est omnibus: ergo secũdùm nullas sibi adhæret.

Solutio: *Vis separatiua æquè applicata est omnibus, & æquè in locum omnium remotarum, scilicet, & quæ sunt in medio, ac vicinarum, & quæ sunt in extremitate, potest succedere corpus occu-*

pans illud spatium, Nego. *& non potest*, Concedo. *Certè vt hoc posset deberet esse simul in pluribus locis, scilicet, in extremitate, & in medio, quæ sunt plura loca illius adæquatissima.*

Tertia Conclusio:

Causa motus, quo impeditur vacuum, est virtus tractiua indita singulis corporibus, ad retinendam contiguitatem cum alijs.

Causa motus, quo impeditur vacuum, est vis inexistens corpori, quod recedit, aut quod succedit in locum recedentis; atqui non est virtus inexistens corpori succedenti in locum recedentis: ergo est virtus inexistens recedenti ipsi indita, ad retinendam contiguitatem cum alijs.

Minor pr. Quando per fistulam admotam aquæ illa ascendit, aër est corpus recedens, & aqua succedens; atqui illa virtus non inexistit aquæ succedenti: ergo virtus illa non inexistit corpori quod succedit.

Minor pr. Illa virtus non inexistit ei, quod non potest dici causa ascensus aquæ; atqui aqua dici non potest causa sui ascensus: ergo illa virtus non inexistit aquæ succedenti.

Minor pr. Illud dici non debet causa ascensus aquæ, per quod difficiliùs, aut non satis explicatur maior illa difficultas, quæ est in trahẽdo aëre, cùm aqua debet succedere, quàm cùm aliud corpus leuius; atqui admisso, quòd aqua sit causa sui ascẽsus difficiliùs explicatur maior difficultas, quã experimur in trahendo aëre, cũ aqua debet succedere, quàm cùm aliud corpus leuius:

ergo aqua dici non debet causa sui ascensus.

Minor pr. Experiri non possumus maiorem difficultatem in trahendo aëre, cùm aqua succedere debet, quàm cùm aliud corpus leuius, quin efficiamus aliquid circa motum aquæ sursum; atqui admisso quòd aqua sit causa sui ascensus, nihil efficimus circa motum aquæ sursũ: ergo admisso quòd aqua sit causa sui ascensus, difficiliùs explicatur maior illa difficultas, quã experimur in trahendo aëre cùm aqua debet succedere, quàm cùm aliud corpus leuius.

Maior probatur primò.

Non experimur difficultatem nisi cùm patimur, aut agimus; atqui cùm aqua ascendit nihil patimur: ergo aliquid circa illius motum efficere debemus.

Minor prioris argumenti probatur secundò.

Illud tantùm efficit aliquid circa motũ aquæ, quod producit illius ascensum; atqui admisso quòd aqua sit causa sui ascensus, sola aqua illũ producit: ergo admisso quòd aqua sit causa sui ascensus, nihil efficimus circa motum aquæ.

QVARTA CONCLVSIO:
Vacuum dari potest diuinitus.

DARI vacuum nihil est aliud, quàm dari superficiem aliquam capacem ambire aliquod corpus, & de facto nullum ambientem; atqui non implicat dari huiusmodi superficiem: ergo non implicat etiam dari vacuum.

Minor pr. Illud non implicat dari, ex quo non sequitur esse, & non esse illius rei, vel alterius:

atqui ex eo, quòd detur huiusmodi superficies, nō sequitur esse, & nō esse illius rei, neque alterius: ergo nō implicat dari huiusmodi superficiē

Minor pr. Sequitur tantùm esse illam superficiem, & non esse aliam, quæ ab ista ambiatur: ergo non sequitur esse, & non esse illius rei, neque alterius.

SECTIO II.

An possit esse motus in Vacuo.

VNICA CONCLVSIO:

Motus localis successiuus fieri potest in vacuo.

IBi fieri potest motus localis successiuus, vbi sunt omnia requisita ad illius productionem: atqui in vacuo possunt esse omnia requisita ad illius productionem: ergo motus localis successiuus fieri potest in vacuo.

Minor pr. Requisita ad productionem motus localis successiui sunt vis motiua, res quæ possit moueri, & distantia in spatio, per quod moueri debet: atqui hæc tria reperiri possunt in vacuo: ergo in vacuo esse possunt omnia requisita ad illius productionem.

Minor pr. In vacuo potest poni homo, potest etiam poni lapis funi alligatus: atqui in homine illo est vis motiua, & in lapide vis receptiua motus, & distantia inter partes superficiei vacuæ: ergo in vacuo est vis motiua, res quæ possit moueri, & distantia in spatio.

Distinguunt aduersarij, *& in lapide est vis rece-*

ptiua motus localis successiui, Negant. *motus, qui non sit successiuus*, Concedunt.

Contrà. Motus, per quem transit lapis ab vna parte superficiei ad aliam, est verè successiuus: ergo in lapide est vis receptiua motus propriè successiui.

Antecedens pr. Ille motus localis est verè successiuus, per quem mobile non est simul, & semel in omnibus partibus spatij, quod decurrit; atqui lapis non est simul, & semel in omnibus partibus spatij interiacētis inter extremitates superficiei vacuæ: ergo motus, per quem transit lapis ab vna parte superficiei ad aliã, est verè successiuus.

Minor pr. Lapis existens simul, & semel in omnibus partibus spatij interiacētis inter extremitates superficiei vacuę, est simul in pluribꝰ locis; atqui non potest esse simul in pluribus locis: ergo lapis non est simul, & semel in omnibus partibus spatij interiacentis inter partes superficiei vacuæ.

Vt probetur minor:

Suppono *superficiem vacuam esse parietes istius scholæ, & spatium interiacens esse illud, quod est ab vno pariete ad alium. hoc posito sic argumentor:*

Septem 5 aut plures partes spatij designati sunt singulæ locus lapidis istius: ergo ille existens simul in omnibus partibus istius spatij est simul in pluribus locis.

Consequentia pr. Illud est simul in pluribus locis, quod est simul in pluribus partibus spatij quarum quælibet est illius locus; atqui lapis ille est in pluribus partibus spatij, quarum quælibet potest esse eius locus: ergo existens in omnibus partibus istius spatij, est simul in pluribus locis.

Distinguunt *secundum argumentum suprà factum. Requisita ad motum successiuum sunt vis motiua, res, quæ possit moueri, & distantia in spatio tantùm*, Negant. *& simul resistentia illius spatij*, Concedunt.

Contrà. Illud non potest dici necessarium ad motum illum, sine quo ille esse potest; atqui etiamsi non sit illa resistentia, motus ille esse potest: ergo resistentia illa non est quid requisitum ad illum motum.

Minor pr. Sine eo potest esse motus iste, sine quo mobile priùs esse debet in vna parte spatij decurrendi, quàm in alia; atqui sine hac resistentia mobile potest esse priùs in vna parte spatij decurrendi, quàm in alia: ergo etiamsi non sit illa resistentia motus ille esse potest.

Minor pr. Mobile non potest esse simul in omnibus partibus illius spatij decurrendi. ergo debet esse priùs in vna parte quàm in alia.

Antecedens pr. Partes mobilis quòd est simul in omnibus partibus illius spatij se penetrant; atqui non possunt se penetrare: ergo mobile non potest esse simul in omnibus partibus illius spatij.

Minor pr. Partes illius mobilis se penetrant, quę sunt simul in eadem parte spatij; atqui quæ sunt simul in omnibus partibus illius spatij sunt simul in eadem parte spatij: ergo partes mobilis quod est simul in omnibus partibus illius spatij se penetrant.

Obijcies. Omnis motus localis successiuus est motus grauium, & leuium, aut proiectorum, aut progressiuus, atqui nullus ex illis potest fieri

in vacuo : ergo motus localis successiuus non potest fieri in vacuo.

Minor de motu grauium & leuium probatur.

Ibi non potest esse motus grauium, & leuium, vbi non est sursum, neque deorsum; atqui in vacuo non est sursum, neque deorsum: ergo in vacuo non potest esse motus grauium, & leuium.

Solutio : Atqui *in vacuo strictè sumpto non est sursum, neque deorsum*. Nego. *in vacuo latè sumpto, seu inani, & spatio imaginario*, Concedo. ergo *motus grauium, & leuium non potest esse in vacuo latè sumpto, seu inani*, Concedo. *in vacuo strictè sumpto*, Nego.

Contrà Omnis motus successiuus fieri debet in tempore; atqui motus grauium, & leuium factus in vacuo etiam strictè sumpto non fit in tempore: ergo motus grauium, & leuium non potest esse in vacuo strictè sumpto.

Minor pr. Tempus illud esset determinatum, vel indeterminatum; sed neutrum dici potest: ergo non fit in tempore.

Respondeo *esse determinatum.*

Contrà. Tempus illud determinatum debet esse hora, dies, vel mensis &c. atqui non potest dici quòd sit hora, neque dies &c. ergo non est tempus determinatum.

Antecedens pr. Non potest dici, quòd sit dies potiùs, quàm hora, quin assignetur causa illius tarditatis; atqui nulla assignari potest: ergo non potest dici quòd sit hora, neque dies.

Minor pr. Illa causa non potest esse nisi resistentia spatij decurrendi; atqui illa non est cau-

sa, quòd sit dies potiùs, quàm hora: ergo nulla causa assignari potest illius tarditatis.

Maior pr. Alia illa causa non potest esse nisi limitatio agentis; atqui non est limitatio agentis: ergo illa causa non potest esse nisi resistentia spatij decurrendi.

Minor pr. Limitatio agentis nihil est aliud, quàm vis motiua illius finita: atqui illa non est causa, cur tempus illud sit potiùs dies, quàm hora: ergo illa alia causa non est limitatio agentis.

Minor pr. Illud non est causa, cur hoc tempus sit potiùs dies, quàm hora, quod non est causa successionis, & tarditatis illius motus; atqui vis motiua finita dici non potest causa successionis, & tarditatis illius motus: ergo vis motiua finita non est causa, cur tempus illud sit potiùs dies quàm hora.

Minor pr. Non magis vis illa motiua finita dici debet causa tarditatis maioris illius motus, quàm vis illuminatiua tarditatis illuminationis; atqui vis illuminatiua non est causa tarditatis illuminationis: ergo neque vis motiua finita tarditatis maioris illius motus.

Solutio: *Non magis vis illa motiua præcisè, sumpta dici debet causa tarditatis maioris illius motus, quàm vis illuminatiua illuminationis,* Concedo. *si sumatur coniuncta (vt in casu nostro) cum distantia extremitatum spatij decurrendi,* Nego. *& concessa minori: ergo vis motiua finita præcisè sumpta dici non debet causa tarditatis maioris illius motus,* Concedo. *coniuncta cum distantia extremitatum spatij decurrendi.* Nego.

Con.ra. Distantia illa sine resistentia medij non facit, vt motus sit tardior; atqui nulla est resistentia medij: ergo distantia non facit, vt motus sit tardior.

Maior pr. Illud non facit, vt motus sit tardior, quod non est sufficiens, vt sit motus; atqui distantia illa sine resistentia medij non est sufficiens, vt sit motus: ergo distantia illa sine resistentia medij non facit, vt motus sit tardior.

Minor pr. Illud non est sufficiens, vt sit motus, quod supponit non existentiam virtutis sufficientis ad ipsi dandum esse; atqui distantia illa sine resistentia medij supponit non existentiam virtutis sufficientis ad dandum esse motui: ergo distantia illa sine resistentia medij non est sufficiens, vt sit motus.

Minor pr. Virtus, quæ dici potest sufficiens ad dandum esse motui, cùm non est resistentia medij est vis motiua hominis, & animalium; atqui illa non est sufficiens ad dandum esse motui, cùm non est resistentia medij: ergo distantia illa sine resistentia medij supponit non existentiam virtutis sufficiẽtis ad dandum esse motui.

Minor pr. Vis motiua, quam nunquam experimur dare esse motui nisi cùm est resistentia medij, non est sufficiens ad illi dandum esse, cùm nulla est resistentia; atqui nunquam experimur vim motiuam animalium, & hominum dare esse motui; nisi cùm est resistentia medij: ergo vis motiua hominum, & animalium non est sufficiens ad dandum esse motui cùm nulla est resistentia medij.

Maior pr. Vis motiua, quam experimur tan-

tùm dare esse motui in casibus ordinariis, nō est sufficiens ad illi dandum esse in casibus extraordinarijs; atqui cùm est resistentia medij est casus ordinarius, & cùm non est resistentia casus extraordinarius: ergo vis motiua, quam nunquam experimur dare esse motui nisi cùm est resistentia medij, non est sufficiens ad illi dandum esse, cùm nulla est resistentia.

Solutio: *Vis motiua, quam experimur tantùm dare esse motui in casibus ordinariis non est sufficiens ad illi dandum esse in extraordinariis, & miraculosis, si maior in illis requiratur virtus*, transeat. *si non maior requiratur virtus*, Nego. atqui *cùm est resistentia medij est casus ordinarius, & cùm non est resistentia extraordinarius, & in hoc maior requiritur virtus*, Nego. *& non maior requiritur virtus*, Concedo.

Contrà. Non magis dicere debemus vim motiuam esse ad producendum motum vllo modo in casibus miraculosis, quàm sit in accidentibus vis ad existendum sine subiecto; atqui accidentia non habent vim existendi sine subiecto: ergo non est etiam vis motiua ad producendum motum in casibus miraculosis.

Solutio: *Neganda est maior, quia vt accidentia existant sine subiecto maior requiritur virtus, quàm vt sint in subiecto. vt autem producatur motus sine resistentia medij, minor desideratur virtus.*

Contrà. Impossibilis est virtus illa motiua sine resistentia medij: ergo non minor requiritur virtus ad producendum motum sine resistentia medij.

Antecedens pr. Tam impossibilis est virtus illa motiua sine resistentia medij, quàm vis attollendi pondus sine grauitatione; atqui hæc est impossibilis : ergo & illa.

Solutio: *Tam impossibilis est virtus illa motiua sine resistentia medij, quàm vis attollendi pondus sine grauitatione quoad denominationem deuincentis resistentiam medij,* Concedo. *in seipsa,* Nego. atqui *est impossibilis vis attollendi pondus sine grauitatione quoad illam denominationem attollendi pondus,* Concedo. *in seipsa,* Nego. *hoc est potest manere illa virtus, & producere suum actū, nimirum impulsum in corpore, cui illum imprimit, non tamen dici per illum attollens illud pondus, quia ponderare conuenit tantùm corpori graui.*

Contrà. Illa virtus est impossibilis in seipsa, cui impossibile est producere suum actum ; atqui impossibile est vt vis motiua producat motum sine resistentia medij : ergo illa virtus producendi motum sine resistentia medij est impossibilis in seipsa.

Minor pr. Impossibile est, vt motus sine resistentia medij ab eadem virtute æqualiter applicata non sit velocior eo, qui fit cum resistentia medij ; atqui motus factus sine resistentia medij ab æquali virtute, & æqualiter applicata, non est velocior necessariò motu facto cum resistentia medij : ergo impossibile est, vt vis motiua producat motum sine resistentia medij.

Minor pr. Ille motus nō est alio velocior, qui non fit minori tempore, & breuiori per idē spatiū; atqui motus factus sine resistentia medij ab æquali virtute, & æqualiter applicata nō fit ne-

cessariò minori tempore : ergo non est necessariò velocior alio.

Ad certiorem probationem minoris.

Supponunt *motum factum sine resistentia medij esse vnius quadrantis, factum verò cum resistentia medij esse vnius hora, & sic argumentantur:*

Potest ita minui resistentia medij, vt motus ille factus cùm illa resistentia sit tantùm mediæ horæ : ergo non fit necessariò minori tempore.

Antecedens pr. Motus ille diminutus iam per diminutionem resistentiæ media hora, potest etiam minui altero quadrante per diminutionē resistentiæ alterius quadrantis; atqui motus ille diminutus hoc modo non fit minori tempore: ergo potest ita minui resistentia medij, vt motus ille factus cum illa resistentia sit tantùm mediæ horæ.

Maior pr. Potest minui dimidio quadrante. ergo, & quadrante.

Consequentia pr. Vel potest residuum dimidij quadrantis minui, vel non; atqui neutrum dici potest : ergo minui, potest quadrante.

Respondeo *posse minui.*

Contrà. Vel medio dimidij quadrantis, vel toto dimidio quadrante.

Respondeo *posse minui medio dimidij.*

Contrà. Vel potest minui semper, & semper, vel non; sed neutrum dici potest : ergo non potest minui medio dimidij.


Solutio: *Vel potest minui semper, & semper secundùm partes aliquotas,* Nego. *secundùm partes proportionales,* Concedo. atqui *non potest minui semper, & semper secundùm partes aliquotas,* Cō-

cedo. *secundùm partes proportionales.* Nego. *Ratio est, quia resistentia illa supponitur manere, ac proinde tota tolli non potest, unde nec etiam totum tempus auferri, quod in illa deuincenda insumitur; vnde non sequitur, quòd licèt semper minui possit secundùm partes proportionales, possit habere durationem non maiorem ea, quæ conceditur vbi nulla est resistentia.*

Contrà Potest minui resistentia secundùm partes aliquotas semper, & semper: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Qui admittit non posse minui resistentiam secundùm partes aliquotas sẽper, & semper, fateri debet dari proportionem aliquam inter vacuum, & plenum; atqui nulla datur proportio inter vacuum & plenum: ergo minui potest resistentia secundùm partes aliquotas semper, & semper.

Solutio: *Qui admittit non posse minui resistentiam secundùm partes aliquotas semper, & semper, fateri debet dari proportionem aliquam inter vacuum, & plenum in ratione pleni, & vacui,* Nego. *in ratione temporis, aut durationis, quæ insumitur in decurrendo vtroque spatio,* Concedo. atqui *nulla datur proportio inter plenum, & vacuum in ratione temporis, aut durationis, quæ insumitur in vtroque spatio decurrendo*, Nego. *in ratione pleni, & vacui,* Concedo. *& ratio est, quia cùm vacuum nihil sit, sub ea ratione habere non potest proportionem cum pleno, quod est aliquid positiuum, potest tamen sub alia, quatenus nimirum tempus quod insumitur à mobili in vtroque decurrendo est maius, minus, aut æquale.*



DISPVTATIO IV.

De Tempore.



Empvs ſicut & locus ſonat extenſionem, ſed hic permanentem, & totam ſimul; illud verò ſucceſſiuam, & cuius partes ſunt aliæ poſt alias.

Sectio Prima.

Quid, & quotuplex ſit duratio.

Prima Conclvsio:

Duratio eſt accidens realiter ſuperadditum rei duranti.

Dvratio eſt id, per quod res eſt potiùs hoc tempore, quàm alio; atqui id, per quod res eſt hoc potiùs tempore, quàm alio, eſt accidens realiter ei ſuperadditum: ergo duratio eſt accidens realiter ſuperadditum rei duranti.

Minor pr. Illud, per quod res eſt hodie potiùs quàm heri, aut alio tempore, eſt quid diſtinctū ab illa; atqui illud diſtinctum non poteſt eſſe

aliud quàm accidens ei realiter ſuperadditum: ergo id, per quod res eſt hoc potiùs tempore, quàm alio, eſt accidens ei realiter ſuperadditũ.

Minor pr. Illud diſtinctum non poteſt eſſe niſi tempus extrinſecum, aut accidens ei realiter ſuperadditum; atqui non eſt tempus extrinſecum: ergo eſt accidens ei realiter ſuperadditũ.

Minor pr. Per illud res non eſt potiùs hodie, quàm heri, quo poſito, & coexiſtente res poteſt non eſſe hodie; atqui poſito tempore extrinſeco coexiſtente rei duranti, poteſt illa res non eſſe hodie: ergo non eſt tempus extrinſecum.

Minor pr. Tempus extrinſecum eſt motus primi mobilis; atqui poſita coexiſtentia motus primi mobilis cum re durante res illa poteſt non eſſe hodie: ergo poſito tẽpore extrinſeco coexiſtente rei duranti poteſt illa res non eſſe hodie.

Vt probetur minor,

Suppono *motum hodiernum primi mobilis productum fuiſſe, vt poterat cùm Cæſar regnabat, & ſic argumentor:*

Motus primi mobilis in hoc caſu coëxiſtebat Cæſari; atqui per illum non dicebatur Cæſar durare hodie: ergo id, per quod res eſt hodie potiùs, quàm alio tempore, non eſt coëxiſtentia motus primi mobilis cum re durante.

Obiicies Deus eſt res durans; atqui duratio non eſt accidens ei realiter ſuperadditum: ergo duratio non eſt accidens realiter ſuperadditum rei duranti.

Solutio: *Deus eſt res durans indifferens, vt ſit hoc tempore, vel alio,* Nego. *determinata eſſentialiter ad coëxiſtendum omni tempori,* Conce-

do. ergo *duratio non est accidens realiter superadditum rei duranti indifferenti vt sit hoc tempore vel alio*, Nego. *determinata essentialiter ad coëxistendum omni tempori* Concedo.

Contrà. Ignis conseruatus est res indifferens, vt sit hoc tempore, vel alio; atqui duratio non est accidens ei realiter superadditũ: ergo duratio non est accidens realiter superadditũ rei indifferenti, vt sit potiùs hoc tempore quàm alio.

Minor pr. Illud non est accidens superadditum igni conseruato, quod non est realiter ab ipso distinctum; atqui duratio non est distincta realiter ab igne conseruato: ergo non est accidens ei realiter superadditum.

Minor pr. Ignis conseruatus nihil aliud dicit, quàm entitatem ignis, & actionem dantem ei esse; atqui duratio non est entitas ignis, neque etiam actio ei dans esse: ergo duratio non distinguitur realiter ab igne conseruato.

Maior pr. Ignis conseruatus nihil aliud dicit, quàm id, ad quod terminatur voluntas Dei de illo conseruando; atqui terminus illius voluntatis non est aliud, quàm entitas ignis, & actio dans ei esse: ergo ignis conseruatus nihil est aliud quàm entitas ignis, & actio ei dans esse.

Minor pr. Terminus illius voluntatis non debet dici aliud, quàm id, quo posito intelligitur ignis conseruatus: atqui posita illa actione, & entitate ignis, intelligitur ignis conseruatus: ergo terminus illius voluntatis nihil est aliud quàm entitas ignis & actio ei dans esse.

Minor pr. Ignis conseruatus nihil aliud dicit, quàm quod importat idem continenter produ-

ctus; atqui posita illa actione, & entitate ignis, ignis est continenter productus: ergo & conseruatus.

Minor pr. Ignis continenter productus nihil est aliud, quàm ignis productus hoc tempore, illo, & alio; atqui posita actione, & entitate ignis, ignis est productus hoc tempore, illo, & alio: ergo posita illa actione & entitate ignis, ignis est continenter productus.

Minor pr. Ignis est productus hoc tempore, posita actione, & entitate ignis: ergo ignis est productus hoc tempore, illo, & alio, posita actione, & entitate ignis.

Solutio: *Ignis est productus hoc tempore posita actione & entitate ignis, secluso omni alio,* Nego. *inclusa duratione*, Concedo.

Contrà. Duratio illa est impossibilis: ergo non debet dici ibi inclusa.

Antecedens pr. Duratio illa non habet causam: ergo est impossibilis.

Antecedens pr. Causa illius non potest esse alia, quàm res producta, & existens; *atqui illa* non est eius causa: ergo nullam potest habere causam.

Minor pr. Rem productam esse eius causam est ipsam durationem sibi præsupponi; atqui duratio non potest sibi præsupponi: ergo res producta non potest esse illius causa.

Maior pr. Durationem sibi præsupponi est esse sui causam; atqui rem productam esse illius causam est ipsammet se causare: ergo rem productam esse illius causam est ipsammet sibi præsupponi.

Mi-

Minor pr. Illud causat durationem, quod præintelligitur, vt causa illi det esse; atqui duratio præintelligitur, vt res producta det illi esse: ergo rem productam esse causam durationis est ipsammet durationem se causare.

Minor pr. Vt res producta det esse durationi debet præsupponi habere esse in hoc tempore, atqui duratio præintelligitur in eo, quod est illam habere esse hoc tempore: ergo duratio præintelligitur vt res producta det illi esse.

Maior pr. Non sufficit illam præsupponi habere esse: ergo debet præsupponi habere esse in hoc tempore.

Antecedens pr. Quod requiritur; vt causa det esse effectui debet illi pręsupponi: atqui causam esse hoc tempore, est necessarium, vt illa det esse effectui: ergo causam esse hoc tempore debet præsupponi vt det esse effectui.

Solutio: *Neganda est maior, quia ex necessariis ad existentiam effectus quædam possunt esse tantùm concomitantia, vt contingit in approximatione, quæ autem tantùm sunt concomitantia non possunt dici præsupponi, verum quidem est, vt res producat debere existere hoc tempore, vel illo, sed non est necessarium, vt totum id, quod intelligitur in eo, quod est producere hoc tempore, teneat se ex parte causæ, & actus primi; sufficit enim ex parte actus primi entitas rei causantis, quam comitetur cùm causat duratio, per quam habet, vt sit hoc tempore. Neque enim id, per quod res est hoc tempore concurrit ad dandum esse effectui.*

SECVNDA CONCLVSIO:

Duratio distinguitur realiter à productione sui subiecti.

DVRATIONI, & productioni ipsius subiecti conueniunt prædicata contradictoria: ergo duratio distinguitur realiter à productione sui subiecti.

Minor pr. Esse priorem natura subiecto, & non esse priorem illo sunt prædicata contradictoria: atqui illa conueniunt durationi, & productioni subiecti ipsius: ergo durationi, & productioni ipsius subiecti conueniunt prædicata contradictoria.

Minor pr. Illud est prius natura subiecto, quod dat illi esse, & illud non est prius natura eodem quod ab eo accipit esse: atqui productio subiecti dat ei esse, & duratio accipit ab eo esse: ergo productioni subiecti conuenit esse priorem illo natura, & durationi non esse priorem.

Secunda pars minoris pr.

Tam duratio accipit esse à suo subiecto quàm vbi: atqui vbi accipit: ergo & duratio.

Minor pr. Ideo vbi accipit esse à suo subiecto, quia subiectum præintelligitur ei, quod est ipsum esse in hoc loco potiùs, quàm in alio: atqui subiectum etiam præintelligitur ei, quod est ipsum esse in hoc tempore potiùs, quàm in alio: ergo tam duratio accipit esse à suo subiecto, quàm vbi.

Minor pr. Ideo subiectum præintelligitur ei,

quod est ipsum esse in hoc loco potiùs, quàm in alio; quia est indifferens vt sit in hoc, vel in illo; atqui subiectum est etiam indifferens vt sit hoc vel illo tempore: ergo subiectum præintelligitur ei, quod est ipsum esse in hoc tempore potiùs quàm in alio.

Respondere *possent illi maximè qui admittunt rem posse esse sine vbi. Ideo subiectum præintelligitur ei quod est ipsum esse in hoc loco potiùs, quàm in alio, quia est indifferens vt sit in hoc vel in illo, & potest esse sine vllo,* Concedo. *& non potest esse sine aliquo*, Nego. atqui *subiectum est etiam indifferens vt sit in hoc, vel in illo tempore, & non debet esse necessariò in aliquo,* Nego. *& debet esse necessariò in aliquo*, Concedo.

Contrà Id, per quod subiectum est in hoc tempore potiùs quàm in alio, non est idem cum eius productione: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Productio subiecti perseuerat non perseuerante eius duratione, seu eo, per quod constituitur in hoc tempore potiùs quàm in alio: ergo id, per quod subiectum est in hoc tempore potiùs, quàm in alio, non est idem cum eius productione.

Probatur primò antecedens contra eos, qui non distinguunt actus vitales ab actione, per quam fiunt.

Productio subiecti, seu in ista sententia actus tẽperantiæ valde intensus, & effectiuus habitus o[illegible] ti valdè intensi in subiecto iam occupato ab habitu contrario intenso vt octo, perseuerat per aliquod tẽpus; atqui non perseuerat eius duratio, sicut nec vlli⁹ alteri⁹ rei: ergo pro-

ductio ſubiecti perſeuerat non perſeuerante eius duratione.

Maior pr. Actus ille perſeuerat donec produxerit habitum ſibi correſpondentem; atqui ad hoc requiritur aliquod tempus, ſeu non producit illum cùm primò eſt, ſed aliquanto pòſt ex dicendis in tractatu de anima, vbi de habitibus: ergo actus ille temperantiæ perſeuerat per aliquod tempus.

Probatur ſecundò ſuperius antecedens in omni ſententia.

Productio, ſeu actio perſeuerat perſeuerantibus eius cauſis, & effectu; atqui non perſeuerat duratio: ergo productio ſubiecti perſeuerat, non perſeuerante eius duratione.

Reſpondere *poſſent, perſeuerantibus cauſis & effectu productionis perſeuerat & ipſa eadem numero*, Nego. *eadem ſpecie*, Concedo. atqui *non perſeuerat duratio eadem numero*, Concedo. *eadem ſpecie*, Nego.

Contrà. Duratio ſecundi inſtantis eſt diuerſæ ſpeciei ab ea, quæ correſpondet primo inſtanti: ergo nulla ſolutio.

Antecedens pr. Durationes correſpondentes diuerſis temporibus ſunt diuerſæ ſpeciei; atqui primum, & ſecundum inſtans ſunt diuerſa tempora: ergo duratio primi, & ſecundi inſtantis ſunt diuerſæ ſpeciei.

Maior pr. Diuerſitas ſpeciei durationum deſumi debet ab eo, quod eſt illis maximè eſſentiale, & in illis præcipuè attenditur; atqui correſpondẽntia ad tẽpus eſt illis maximè eſſentialis, & in illis præcipuè attẽditur: ergo durationes corre-

ſpondẽtes diuerſis tẽporibus ſũt diuerſæ ſpeciei.

Minor pr. In omnium ſententia eſt illis eſſentialis, non verò tendentia ad ſubiectum in ſententia eorum qui dicunt durationem eſſe entitatem ſolidam: ergo correſpondentia ad tempus eſt maximè eſſentialis durationi.

Obijcies. Duratio non diſtinguitur realiter ab actione, per quam producitur res durans: ergo duratio, & productio ipſius ſubiecti non diſtinguuntur realiter.

Antecedens pr. Vt duratio diſtinguatur realiter ab actione rei durantis fieri debet per actionem diſtinctam: atqui duratio non fit per actionem diſtinctam: ergo duratio non diſtinguitur realiter ab actione, per quam producitur res durans.

Minor pr. Actio diſtincta productiua durationis debet eſſe motus, atqui actio productiua durationis non poteſt eſſe motus: ergo duratio non fit per actionem diſtinctam.

Minor pr. Nullus eſt alius motus, quàm productio qualitatis, productio vbi, & acquiſitio quantitatis: atqui actio productiua durationis non eſt productio qualitatis, nec vbi, nec acquiſitio quantitatis: ergo actio productiua durationis non eſt motus.

Solutio: ***Nullus eſt alius motus, quàm productio qualitatis, aut vbi, & acquiſitio quantitatis proprius rerum corporearum,*** Concedo. ***non proprius illarum, ſed communis etiam rebus ſpiritalibus,*** Nego. ergo ***productio durationis non eſt motus proprius rerum corporearum***, Concedo. ***non proprius illarum, ſed præterea communis rebus ſpiritalibus***, Nego.

Contrà. Non est alius motus, quàm illi, quos enumerauit Aristoteles; atqui Aristoteles numerauit tantùm inter motus productionem qualitatis, & vbi, & acquisitionem quantitatis: ergo non est alius motus præter illos.

Solutio: *Non est alius motus præter illos, quos numerauit Aristoteles proprius rerum corporearum*, Concedo. *non proprius*, Nego. *eodem modo distinguendum est consequens. Aristoteles egit tantùm in physica de iis, quæ erant propria rerum corporearum, qualia sunt tria illa genera motuum, de quibus locutus est.*

TERTIA CONCLVSIO:

Possibilis est duratio creata permanens.

DVRATIO permanens est illa, quæ inuariata sine successione facit coëxistere rem spatio temporario diuisibili; atqui illa est possibilis: ergo possibilis est duratio creata permanens.

Minor pr. Non est alia implicantia assignabilis in ista duratione, quàm quòd destrui non possit quolibet instanti; atqui nulla est implicantia, quòd destrui non possit quolibet instanti: ergo est possibilis.

Minor pr. Non maior est implicantia, quòd destrui non possit duratio quolibet instanti, quàm produci; atqui nulla est implicantia, quòd produci non possit quolibet instanti: ergo neque quòd non possit destrui.

Maior pr. Implicantia quare non possit destrui quolibet instanti, tota petitur ex eo, quòd Deus non possit disponere de illa vt voluerit; atqui eadē implicantia reperitur in re, quæ non est pro-

ducibilis quolibet instanti: ergo non maior est repugnantia, quòd non possit destrui quolibet instanti, quàm quòd non possit produci.

Minor prioris argumenti probatur.

Res quæ est affixa essentialiter certo, & determinato tempori, produci nō potest quolibet instanti; atqui quælibet duratio est affixa essentialiter certo, & determinato tempori: ergo non potest produci quolibet instanti.

Maior pr. Res, quæ produci non potest nisi in certo aliquo tempore, produci non potest quolibet instanti; atqui res quæ est affixa essentialiter certo tempori, produci non potest nisi illo tempore, ergo res, quæ est affixa essentialiter certo tempori, prōduci non potest quolibet instanti.

Obijcies. Duratio permanens est illa, quæ coëxistit quadranti, semihoræ, vel horæ; atqui non potest dari duratio coëxistens quadranti, semihoræ, vel horæ: ergo non est possibilis duratio creata permanens.

Minor pr. Tam non potest dari duratio coëxistens horæ, quàm coëxistens mensi, aut anno; atqui non potest dari duratio coëxistens anno: ergo neque coëxistens horæ.

Minor pr. Non potest dari duratio coëxistens anno, quin possibilis etiam sit duratio coëxistens omni tempori; atqui non potest dari duratio coëxistens omni tempori: ergo neque anno.

Minor pr. Duratio coëxistens omni tempori est æterna; atqui non potest dari duratio æterna: ergo neque coëxistens omni tempori.

Minor pr. Duratio æterna facit suum subiectū indestructibile per totam æternitatē; atqui dari

non potest subiectum indestructibile per totam æternitatem : ergo neque duratio æterna.

Maior pr. Duratio, quæ facit suum subiectum indestructibile per totam æternitatem, facit illud æternum: atqui duratio non facit suum subiectum æternum: ergo neque indestructibile per totam æternitatem.

Minor pr. Duratio non dat suo subiecto, quod est proprium solius Dei; atqui esse æternum est proprium solius Dei: ergo duratio non facit suum subiectum æternum.

Solutio: Atqui *esse æternum est proprium solius Dei æternitate essentiali & independente*, Concedo. *æternitate accidentali & dependente*, Nego. *& concessa minori: ergo duratio non facit suum subiectum æternum æternitate essentiali, & independente*, Concedo. *accidentali, & dependente* Nego. *Æternitas quæ est propria Dei debet esse independens; quia cùm sit idem cum Deo, qui est independens, ipsa non potest non esse independens: duratio autem illa creata æterna non est independens, quippe quæ eo ipso, quod est creata, esse debeat ab alio, & ab eo dependere.*

QVARTA CONCLVSIO:
Duratio, quæ datur de facto est successiua.

ILLA duratio est successiua, quæ non coëxistit secundùm se totam diuersis temporibus; atqui duratio, quæ datur de facto non coëxistit secundùm se totam, & secundùm idem sui diuersis temporibus: ergo duratio, quæ datur de facto est successiua.

Minor pr. Illa duratio non coëxistit secundùm se totam, & idem sui diuersis temporibus, quæ non coëxistit diei integro, horæ, semihoræ, aut quadranti, &c. atqui duratio, quæ datur de facto non coëxistit diei, horæ &c. ergo duratio quæ datur de facto non coëxistit secundùm se totam, & secundùm idem sui diuersis temporibus.

Minor pr. Duratio hominis, & animalium est duratio, quæ datur de facto; atqui duratio hominis, & aliorum animalium non coëxistit secundùm se totam, & idem sui diei, horæ, &c. ergo duratio, quæ datur de facto non coëxistit diei, horæ &c.

Maior pr. Illa duratio non coëxistit secundùm se totam, & idem sui diei integro, quæ qualibet parte diei desinere potest; atqui qualibet parte diei desinere potest duratio hominis, & aliorum animalium: ergo non coëxistit secundùm idem sui diei integro.

Minor pr. Duratio illa desinere potest qualibet parte diei, cuius subiectum desinere potest qualibet parte diei; atqui homo, & alia animalia desinere possunt qualibet parte diei: ergo & eorum duratio.

Minor pr. Illa desinere possunt qualibet parte diei, quæ in qualibet parte diei mori, & occidi possunt; atqui homo qualibet parte diei mori potest: ergo & desinere.

QVINTA CONCLVSIO.

Quodlibet ens creatum, quod non est duratio, aut eius productio habet durationem distinctam.

NVLLVM est ens, de quo dubitari possit an habeat durationem propriam, & distinctam, quàm accidentia, & entitates modales; atqui accidentia, & entitates modales habent durationem propriam, & distinctam: ergo omne ens creatum quod non est duratio, aut eius productio habet durationem distinctam.

Minor pr Illa habent durationem propriam, & distinctam, quæ non durant per durationem alterius; atqui accidentia, & entitates modales non durant per alienam durationem: ergo habent durationem distinctam.

Minor pr. Duratio aliena, per quam dici possunt durare, est duratio subiecti ipsorum, aut eius quod modificant, atqui accidentia, & entitates modales non durant per durationem sui subiecti, aut eius quod modificant: ergo non durant per alienam durationem.

Minor pr Quod durat per durationem alterius, debet necessariò poni vbicunque aliud ponitur; atqui accidentia, & entitates modales non ponuntur necessariò vbicunque poni potest eorum subiectum, aut modificatum, vt probauimus disputatione præcedenti: ergo non durant per durationem sui subiecti, aut eius quod modificant.

Maior pr. Quod durat per duratione᷉ alterius debet esse coniunctũ cum duratione illius; atqui vt sit coniunctum cũ illa, debet poni vbicunque illud ponitur: ergo quod durat per durationem alterius, debet poni vbicunque illud ponitur.

Maior pr. Quod durat per durationem alterius non potest esse separatum ab alterius duratione: ergo debet esse coniunctum.

Antecedens pr. Duratio non communicat suum effectum ei, quod est ab ipsa separatum; atqui durare est eius effectus: ergo quod durat per durationem alterius non potest esse separatum ab illius duratione.

Maior pr. Modi, & durationes non communicant suum effectum nisi per vnionem; atqui quod est separatum non est vnitum: ergo duratio non communicat suum effectum ei, quod est ab ipsa separatum.

Maior pr. Effectus formalis formæ est subiectum, ipsa & vtriusque vnio: atqui non potest esse subiectum, forma, & vtriusque vnio nisi per vnionem: ergo modi, & durationes non communicant suum effectum nisi per vnionem.

SEXTA CONCLVSIO:

Membra in quæ diuidi solet duratio, distinguuntur inter se, & illam exhauriunt.

MEMBRA in quæ diuidi solet duratio, sunt æternitas, æuum, instans tẽporis discreti, & tẽpus: atqui æternitas, æuum, instans tẽporis dis-

creti,& tempus distinguuntur inter se,& exhauriunt durationem : ergo membra, in quæ diuidi solet duratio distinguuntur inter se,& illam exhauriunt..

Prima pars minoris probatur.

Conceptus æternitatis, æui, instantis temporis discreti , & temporis sunt diuersi : ergo distinguuntur..

Antecedens pr. Conceptus æternitatis repræsentat id,per quod res coëxistit omni planè tempori possibili, conceptus æui repræsentat id, per quod res coëxistit omni tempori futuro ; conceptus instantis temporis discreti repræsentat id, per quod res coëxistit secũdùm omnes suas partes , & idem sui diuersis temporis partibus , & conceptus temporis repræsentat id,per quod res coëxistit secundùm diuersas partes diuersis partibus temporis:atqui isti conceptus sunt diuersi : ergo conceptus æternitatis, æui, instantis temporis discreti , & temporis sunt diuersi.

Secunda pars minoris argumenti superioris pr.

Illa exhauriunt durationem , quæ continent quidquid duratio:atqui æternitas, æuum,instãs temporis discreti,& tempus continent quidquid duratio : ergo illam exhauriunt..

Minor pr. Duratio est id , per quod res coëxistit spatio temporario,atqui æternitas,æuũ, instans temporis discreti, & tempus continent illud omne , per quod res coëxistit spatio temporario : ergo & quidquid duratio continet.

Minor pr. Id , per quod res coëxistit spatio temporario,debet necessariò facere,vt coëxistat omni planè spatio temporario antè , & retrò

futuro independenter ab omni alio, vel ſpatio tantùm omni futuro, aut ſi etiam antè, dependenter tamen, vel aliquibus tantùm partibus illius ſpatij ſecundùm idem ſui, vel diuerſis partibus eiuſdem ſecundùm diuerſas ſui partes: atqui æternitas continet primum, ſecundum æuum, tertium inſtans temporis diſcreti, & quartum tempus: ergo æternitas, æuum, inſtans temporis diſcreti, & tempus continent illud omne, per quod res coëxiſtit ſpatio temporario.

SECTIO II.

Quid ſit Tempus, & an ad præteritum detur potentia.

PRIMA CONCLVSIO:

Tempus intrinſecum rectè dicitur, & ſolùm duratio entis fluentis, & ſucceſſiui.

PRIMA *pars probatur.* Illud eſt duratio entis ſucceſſiui, quod eſt duratio entis habentis partes poſt partes: atqui omne tempus intrinſecum eſt duratio entis habentis partes poſt partes: ergo omne tempus intrinſecum eſt duratio entis fluentis, & ſucceſſiui.

Minor pr. Illud eſt duratio entis habentis partes poſt partes, quod non facit coëxiſtere id, cuius eſt duratio ſecundùm idē ſui diuerſis parti-

bus temporis, sed tantùm secundum diuersas; atqui tempus intrinsecum non facit coëxistere secundùm idem sui diuersis partibus temporis; sed tantùm secundùm diuersas partes id, cuius est duratio: ergo tempus intrinsecum est duratio entis habentis partes post partes.

Minor pr. Vt faciat coëxistere secundùm idem sui id, cuius est duratio, diuersis partibus temporis, debet illud esse permanens; atqui illud, cuius est duratio, non est permanens: ergo tempus intrinsecum non facit coëxistere id, cuius est duratio secundùm idem sui diuersis partibus temporis, sed tantùm secundùm diuersas partes.

Secunda pars probatur, hoc illi soli conuenire.

Non potest dici conuenire alij, quàm durationi entis permanentis; atqui non conuenit durationi entis permanentis: ergo hoc illi soli conuenit.

Minor pr. Non conuenit illi, quod facit coëxistere idem sui subiecti diuersis partibus temporis; atqui duratio entis permanentis *facit* coëxistere idem sui subiecti diuersis partibus temporis: ergo non conuenit durationi entis permanentis.

Minor pr. Eius subiectum est res permanens; atqui facit coëxistere rem permanentem diuersis partibus temporis: ergo & idem sui subiecti.

SECVNDA CONCLVSIO:

Tempus intrinsecum differt realiter à motu.

TEMPVS intrinsecum est duratio; atqui duratio distinguitur realiter à motu: ergo tempus intrinsecum differt realiter à motu.

Minor pr. Duratio distinguitur realiter à re, cuius est duratio; atqui motus est res, cuius est duratio: ergo distinguitur realiter à motu.

Maior probata est conclusione prima, & minor conclusione secunda.

TERTIA CONCLVSIO:

Tempus extrinsecum est numerus motus secundùm prius, & posterius, & quidem solum.

PRIMA *pars probatur:*

Illud est numerus motus secundùm prius, & posterius, cuius partes fluentes distributæ per intellectum assumuntur ad cognoscendam durationem aliarum rerum; atqui partes temporis extrinseci distributæ per intellectum assumuntur ad cognoscendam durationem aliarum rerum: ergo tempus extrinsecum est numerus motus secundùm prius, & posterius.

Minor pr Partes fluentes illius rei assumuntur ad mensurandam durationem aliarum rerum, quæ est maximè nota, & valdè constans; atqui

tempus extrinsecum est maximè notum, & valde constans : ergo partes temporis extrinseci distributæ per intellectum assumuntur ad cognoscendam durationem aliarum rerum.

Minor pr. Tempus extrinsecum est motus primi mobilis; atqui motus primi mobilis est maximè notus, & valde constans: ergo tempus extrinsecum est maximè notũ, & valde constans.

Secunda pars conclusionis probatur.

Nihil aliud præter tempus extrinsecum, dici potest numerus motus secundùm prius, & posterius, quàm res permanentes, vel aliæ fluentes; atqui hoc non conuenit illis : ergo solum tempus extrinsecum est numerus motus secundùm prius, & posterius.

Minor pr. Non conuenit illis, quæ non habent partes fluentes, aut si habeant, quæ non sunt maximè notæ; aut valdè constantes; atqui res permanentes non habent partes fluentes, & aliæ fluentes non sunt maximè notæ, & valdè constantes : ergo nec res permanentes, nec fluentes sunt numerus motus secundum prius, & posterius.

Minor de fluentibus probatur.

Illæ non sunt maximè notæ, quæ ab omnibus non cognoscuntur; atqui aliæ fluentes ab omnibus non cognoscuntur : ergo non sunt maximè notæ.

Obijcies. Partes temporis extrinseci non assumuntur ad cognoscendam durationem aliarum rerum : ergo tempus extrinsecum non est numerus motus secundùm prius, & posterius.

Minor pr. Illius partes non assumuntur ad co-

gnoſcendam durationem aliarum rerum, quod non habet partes : atqui tempus extrinſecum non habet partes : ergo eius partes non aſſumuntur ad cognoſcendam durationem aliarum rerum.

Minor pr. Illud dici non poteſt habere partes, cuius nullæ exiſtunt : atqui nullæ partes temporis extrinſeci exiſtunt : ergo tempus extrinſecum non habet partes.

Minor pr. Partes temporis extrinſeci non poſſunt eſſe niſi præteritæ, præſentes, aut futuræ : atqui neque præteritæ, neque præſentes, neque futuræ exiſtunt : ergo nullæ partes temporis extrinſeci exiſtunt.

Reſpondeo *præſentes exiſtere.*

Contrà. Illæ partes non ſunt, de quibus non eſt verum dicere eſſe : atqui de partibus præſentibus temporis extrinſeci non eſt verum dicere eſſe : ergo partes præſentes temporis non ſunt.

Minor pr De nulla parte temporis verum eſt dicere eſſe : ergo de partibus præſentibus temporis extrinſeci, non eſt verum dicere eſſe.

Solutio : *De nulla parte temporis verum eſt dicere eſſe permanenter,* Concedo. *fluenter,* Nego. *& eodem modo diſtinguendum eſt conſequens. Ratio eſt, quia de ratione temporis non eſt, vt eius partes ſint permanenter, ſed tantùm fluenter, quippe quod ſit ens ſucceſſiuum, quod habere non poteſt ſuas partes ſimul.*

QVARTA CONCLVSIO:

Tempus extrinsecum potest reproduci.

NOMINE temporis extrinseci intelligi potest motus primi mobilis: atqui motus primi mobilis reproduci potest: ergo tempus extrinsecum potest reproduci.

Minor pr. Motus primi mobilis nihil est aliud, quàm actio, per quam fuêre producta successiuè illa vbi, quæ habuit primum mobile dum absoluit suum motum: atqui actio illa reproduci potest: ergo motus primi mobilis potest reproduci.

Minor pr. Actio illa reproduci potest, cuius omnes causæ iterum concurrere possunt ad illius productionem: atqui omnes causæ illius actionis iterum concurrere possunt ad illius productionem: ergo actio illa reproduci potest.

Minor pr. Causæ illius sunt, efficiens quidem, Angelus, & Deus, subiectiua verò cœlum; atqui Angelus, Deus, & cœlum iterum concurrere possunt ad illius existentiam: ergo omnes causæ illius actionis iterum concurrere possunt ad illius productionem.

Minor pr. Vt ad illius productionem iterum concurrere possint, nihil aliud requiri videtur, quàm vt simul existant: atqui Angelus, Deus, & cœlum simul existunt: ergo Angelus, Deus, & cœlum iterum concurrere possunt ad illius productionem.

QVINTA CONCLVSIO:

Tempus extrinsecum reproduci non potest.

NOMINE temporis extrinseci intelligi potest actio productiua durationis motus primi mobilis: atqui actio productiua durationis motus primi mobilis reproduci non potest: ergo tempus extrinsecum reproduci non potest.

Minor pr. Illa actio reproduci non potest, quæ est essentialiter alligata certo tempori: atqui actio productiua durationis motus primi mobilis, est essentialiter alligata certo tempori: ergo actio productiua durationis motus primi mobilis reproduci non potest.

Minor pr. Actio productiua durationis tam est essentialiter alligata certo tempori quàm duratio: atqui duratio est essentialiter alligata certo tempori: ergo & actio productiua durationis motus primi mobilis.

Obijcies. Illud reproduci non potest quod semel est præteritum: atqui tempus extrinsecum, quomodocunque intelligatur est præteritum: ergo reproduci non potest.

Maior pr. Illud reproduci non potest, ad quod non datur potentia: atqui ad tempus præteritum non datur potentia: ergo illud reproduci non potest, quod semel est præteritum.

Solutio: Atqui *ad tempus præteritum non datur potentia, per quam fiat vt non fuerit præteritum,* Concedo. *vt non fiat iterum præsens,* Nego. ergo *quod semel est præteritum, reproduci non*

potest productione, per quam fiat, vt non fuerit præteritum, Concedo. *per quam fiat vt sit iterum præsens*, Nego.

Contrà. Præteritum quod fit præsens, est præteritum, & non est præteritum : atqui non datur potentia vt aliquid fiat præteritum, & non præteritum : ergo ad præteritum non datur potentia, per quam fiat iterum præsens.

Respondeo *esse præteritum*, *& falsum esse non esse præteritum.*

Contrà. Quod est præsens desinit esse præteritum; atqui ex concessis fit præsens : ergo desinit esse præteritum.

Solutio : *Quod est præsens desinit esse præteritum, hoc est non perseuerat manere sub negatione suæ existentiæ, quæ præcesserat*, Concedo. *desinit, hoc est, non est verum fuisse sub tali negatione*, Nego. *& concessa minori* : ergo *desinit esse præteritum, hoc est, non perseuerat sub negatione suæ existentiæ*, Concedo. *desinit esse præteritum, hoc est, non est verum fuisse sub tali negatione*, Nego. *semper enim verum est, non fuisse antea, licèt iam sit.*



SECTIO III.

Quomodo res incipiant, & desinant.

PRIMA CONCLVSIO:

Res permanentes incipiunt per primum sui esse.

ILLA incipiunt per primum sui esse, de quibus verum est dicere, iam primò sunt, immediatè antè non erant: atqui de rebus permanentibus verum est dicere, iam primò sunt, immediatè antè non erant: ergo res permanentes incipiunt per primum sui esse.

Minor pr. De illis verum est dicere, iam primò sunt, immediatè antè non erant, quæ possunt fieri simul tota: atqui res permanentes possunt fieri totæ simul: ergo de illis verum est dicere iam primò sunt, immediatè antè non erant.

Minor pr. Illa possunt fieri tota simul, quorum partes nullam habent repugnantiam in simultanea productione: atqui partes rerum permanentium, non habent repugnantiam in simultanea productione: ergo res permanentes possunt fieri totæ simul.

SECVNDA CONCLVSIO:

Res permanentes desinunt per vltimum esse, vel per primum non esse.

ILLA desinunt per vltimum esse, de quibus est verum dicere, iam vltimò sunt, immediatè pòst non erunt; atqui de rebus permanentibus verum est dicere, iam vltimò sunt, immediatè post non erunt: ergo res permanentes desinunt per vltimum esse.

Minor pr. De illis verum est dicere iam vltimò sunt, quorum totum esse simultaneè desinit; atqui rerum permanētium esse simultaneè desinit: ergo de rebus permanentibus verum est dicere, iam vltimò sunt, immediatè pòst non erūt.

Minor pr. Vt esse rerum permanentium desinat simultaneè, nihil aliud requiritur, quàm vt fiat simultaneè suspensio concursus, quo conseruantur; atqui potest fieri simultaneè suspensio concursus, quo conseruantur: ergo rerum permanentium esse simultaneè desinit.

TERTIA CONCLVSIO:

Res successiuæ incipiunt per vltimū non esse.

ILLA incipiunt per vltimum non esse, de quibus verum est dicere, iam vltimò non sunt, immediatè pòst erunt; atqui de rebus successiuis verum est dicere, iam vltimò non sunt, immediatè pòst erunt: ergo res successiuæ incipiunt per vltimum non esse.

Minor pr. De illis verum est dicere, iam vltimò non sunt, immediatè pòst erunt, quæ non fiunt tota simul; atqui res successiuæ non fiunt totæ simul: ergo de illis verum est dicere, iam vltimò non sunt, immediatè pòst erunt.

Minor pr. Illa non fiunt tota simul, quorum partes fiunt aliæ post alias; atqui partes rerum successiuarum fiunt aliæ post alias: ergo non fiunt simul.


QVARTA CONCLVSIO:

Res successiuæ desinunt per primum non esse.

ILLA desinunt per primum non esse, de quibus verum est dicere, iam primò non sunt, immediatè antè erant; atqui de rebus successiuis verum est dicere, iam primò non sunt, immediatè antè erant: ergo desinunt per primum non esse.

Minor pr. De illis verum est dicere, iam primò non sunt, immediatè antè erant, quorum esse non desinit simultaneè; atqui esse rerum successiuarum non desinit simultaneè: ergo de illis verum est dicere, iam primò non sunt, immediatè antè erant.

Minor pr. Illorum esse non desinit simultaneè, quorum vna pars perit ante aliam; atqui rerum successiuarum vna pars perit ante aliam: ergo esse rerum successiuarum non desinit simultaneè.



DISPVTATIO V.

De Continuo.



CONTINVVM in eo differt à contiguo, quòd istud nihil aliud importet, quàm immediationem vnius entis cum alio; illud verò significet præterea vnionem, & nexum esse inter suas partes, quarum explicatio inter eas recensenda est difficultates, quibus fateri necesse sit solutionem adhùc nullam datam esse quæ plenè satisfaciat, diuino planè consilio, vt nemini dubium esse possit si ea, quæ adeò infra nos sunt ignoramus, potiori longè ratione ea, quæ sunt supra nos latere nos posse, æquissimùmque esse vt in iis, quæ nobis Ecclesia proponit credenda superantia nostrum captum, captiuemus intellectum nostrum in obsequium fidei.

SECTIO PRIMA.

De quantitate, & eius proprietatibus.

PRIMA CONCLVSIO:

Effectus formalis quantitatis, est impenetrabilitas partium.

ILLVD est effectus formalis quantitatis, quod est primum in quantitate, radix, & principiũ caete-

cæterorum, quæ illi conueniunt; atqui impenetrabilitas partium est primum in quantitate, radix, & principium cæterorum, quæ illi conueniunt: ergo effectus formalis quantitatis est impenetrabilitas partium.

Minor pr. Primum in quantitate, & radix cęterorum debet esse necessariò impenetrabilitas partium, vel multitudo partium, vel distinctio partium materiæ in ordine ad se, vel earumdem discrimen in ordine ad locum, vel mensurabilitas, vel diuisibilitas; atqui nullum est ex postremis: ergo est primum.

Prima pars minoris, quòd non sit multitudo partium, probatur.

Illud dici non potest primum in quantitate, & radix cæterorum, quod illi soli non conuenit; atqui multitudo partium non conuenit soli quantitati: ergo non est primum in quantitate, & radix cæterorum.

Minor pr Materia, & qualitates non sunt quantitas; atqui materiæ, & qualitatibus conuenit multitudo partium: ergo multitudo partium non conuenit soli quantitati.

Minor pr. Illis conuenit multitudo partium, quæ habent varias partes; atqui materia, & qualitates habent varias partes: ergo illis conuenit multitudo partium.

Secunda pars probatur, non esse distinctionem partium materiæ in ordine ad se.

Illud non est primum in quantitate, & radix cæterorum, quod non conuenit quantitati; atqui distinctio partium materiæ in ordine ad se, non conuenit quantitati: ergo distinctio partiū ma-

teriæ in ordine ad se, non est primum in quantitate.

Minor pr. Illi non conuenit distinctio partium materię in ordine ad se, quod non distinguit vnā ab alia; atqui quantitas non distinguit vnā partem materiæ ab alia: ergo distinctio partiū materiæ in ordine ad se, non conuenit quantitati.

Minor pr. Illud non distinguit vnam partem materiæ ab alia, quod non est earum differentia; atqui quantitas non est differentia partium materię: ergo non distinguit vnam partem materię ab alia.

Minor pr. Differentia partium materiæ non distinguitur ab illis; atqui quantitas distinguitur ab illis: ergo quantitas non est differentia partium materię.

Maior pr. Differentia vniuscuiusque rei est ipsamet, quæ verè, & propriè per se ipsam non est alia: ergo differentia partium materię non distinguitur ab illis.

Tertia pars probatur, non esse discrimen in ordine ad locum.

Illud non est primum in quantitate, quod non conuenit quantitati; atqui distinctio partiū materiæ in ordine ad locum non conuenit quantitati: ergo distinctio partium materiæ in ordine ad locum non est primum in quantitate.

Minor pr. Distinctio partium materiæ in ordine ad locum est id, per quod vna correspondet vni parti spatij, & alia alteri; atqui quātitati nō conuenit esse id, per quod vna pars materiæ correspondet vni parti spatij, & altera alteri: ergo distinctio partium materiæ in ordine ad locum

non conuenit quantitati.

Minor pr. Illud non conuenit quantitati tanquam effectus formalis, quod habetur sine ipsa, & quod ipsa necessariò non dat; atqui quòd vna pars materiæ correspondeat vni parti loci, & altera alteri habetur sine ipsa, & ipsa cùm existit, hoc necessariò non dat: ergo non conuenit quantitati esse id, per quod vna pars materiæ correspondet vni parti spatij, & altera alteri.

Prima pars minoris probatur.

Destructa diuinitus quantitate ligni tripalmaris, pars eius materię vna correspondet vni parti loci, & altera alteri: ergo quòd vna pars materiæ correspondeat vni parti loci, & altera alteri habetur sine quatitate.

Antecedens pr. Partes omnes illius materiæ non correspondent eidem loco: ergo pars vna correspondet vni parti loci, & altera alteri.

Antecedens pr. Vt correspondeant omnes eidem loco debet ea, quæ erat in extremitate poni in eodem loco cum alia alterius extremitatis; atqui non potest poni cum alia in eodem loco, quin correspondeat diuersæ parti loci: ergo partes omnes illius materiæ non correspondent eidem loci.

Minor pr. Debet poni in eodem loco cum alia per motum; atqui non potest poni per motum, quin correspondeat diuerso loco: ergo non potest poni cum alia in eodem loco, quin correspondeat diuersæ parti loci.

Minor pr. Quod correspondet priùs loco primi palmi, quàm secundi, & secundi, quàm tertij, correspondet diuerso loco, ab eo, quod est in lo-

co tertij; atqui *non potest* poni per motum cum alia in *eodem loco*, quin correspondeat prius loco *primi* palmi, quàm secundi, & secundi, quàm tertij: ergo non potest poni per motum quin correspondeat diuerso loco.

Minor pr. Eo modo correspõdet loco primi palmi, secundi, & tertij, quo in illis ponitur; atqui quod in illis ponitur per motum ponitur prius in loco primi, quàm secundi, & secundi, quàm tertij: ergo non potest poni per motũ cũ alio in eodẽ loco, quin correspondeat prius loco primi palmi, quàm secundi, & secundi, quàm tertij.

Minor pr Quod ponitur successiuè in loco primi palmi, secundi, & tertij, ponitur priùs in loco vnius quàm alterius; atqui quod ponitur per motum ponitur successiuè: ergo quod ponitur per motum ponitur priùs in loco primi, quàm secundi, & secundi, quàm tertij.

Secunda pars minoris superioris argumenti, quantitatem non dare necessariò materiæ correspondentiam diuersis locis, probatur.

Illud quantitas non dat necessariò, quod aliquando non dat; atqui quantitas aliquando non dat, vt pars vna materiæ correspondeat vni parti spatij, & altera alteri diuersę: ergo quantitas necessariò non dat, vt vna pars correspondeat vni parti spatij, & altera alteri.

Minor pr Quantitas Christi in Eucharistia est vera quantitas, atqui illa non dat, vt pars materię Christi correspondeat vni parti spatij, & altera alteri: ergo quantitas aliquando non dat, vt vna pars materiæ correspondeat vni parti spatij, & altera alteri.

Minor pr. Omnes partes materiæ Christi correspondent eidem parti spatij: ergo quantitas ipsis non dat, vt pars vna materiæ correspondeat vni parti spatij, & altera alteri.

Antecedens. pr. Christus est totus in illo spatio, & totus in qualibet parte: ergo omnes partes materiæ Christi correspõdent eidẽ parti spatij.

Quarta pars minoris superioris argumenti, mensurabilitatem, & diuisibilitatem, non esse primum in quantitate, probatur.

Illud non est primum in quantitate, quod supponit aliud prius: atqui mensurabilitas, & diuisibilitas supponunt aliud prius in quantitate: ergo non sunt primum in illa.

Minor pr. Illud supponunt prius in quantitate, à quo oriuntur: atqui oriuntur ab extensione necessaria partium extra partes: ergo supponunt aliud prius.

SECVNDA CONCLVSIO:

Quantitas distinguitur realiter à materia.

CVM aliquid non implicat, communis est ferè sensus omniũ rem ita esse, & non deest argumentum probabile illud confirmans, dicendum est ita esse: atqui non implicat quantitatem esse realiter distinctam à materia, cõmunis est sensus ferè omnium ita esse, & non deest argumentum probabile confirmans, hanc distinctionem: ergo quantitas distinguitur realiter à materia.

Probatur non deesse argumentum probabile.

Quantitatẽ distingui realiter à materia, nihil

aliud est, quàm existere non existente eius materia; atqui non deest argumentum probabile existere quantitatem, non existente eius materia: ergo non deest argumentum probabile confirmans quantitatem distingui à materia.

Minor pr. Materia panis in Sacramento Eucharistiæ non existit: atqui non deest argumentum probabile quantitatem eius existere: ergo existit quantitas non existente eius materia.

Minor pr. Quantitas est impenetrabilitas partium: atqui in accidentibus panis non destructis, est impenetrabilitas partium: ergo est in illis quantitas.

Respondent: *Quantitas est impenetrabilitas partium naturalis*, Concedo. *supernaturalis*, Nego. atqui *in accidentibus panis conseruatis ipso destructo, est impenetrabilitas partium naturalis*, Concedo. *supernaturalis*, Nego.

Contrà. Impenetrabilitas illa partium supernaturalis, infert necessariò multiplicationem multorum aliorum miraculorum: atqui probabilius est non admittendam esse multiplicitatem illam miraculorum: ergo impenetrabilitas illa partium non est supernaturalis.

Minor pr Probabilius est id, quod facit mysterium illud faciliùs credibile; atqui negatio multiplicitatis miraculorum reddit faciliùs credibile hoc mysterium: ergo probabilius est non admittendam illam multiplicationem miraculorum.

Maior pr Probabilius est id, per quod Deus & Christus meliùs se accõmodât nostræ infirmitati: atqui per id, per quod fit faciliùs credibile

hoc mysterium, Deus, & Christus meliùs se accommodant nostræ infirmitati: ergo probabilius est id, quod facit hoc mysterium faciliùs credibile.

Minor pr. Per id Deus, & Christus meliùs se accommodant nostræ infirmitati, per quod minuunt nobis difficultates credendi; atqui per id, per quod faciliùs redditur credibile hoc mysterium, minuuntur nobis difficultates credendi: ergo per illud, per quod faciliùs fit credibile hoc mysterium, meliùs se accommodant nostræ infirmitati.

Minor pr. Per id nobis minuuntur difficultates credendi, per quod non tam difficilè credimus; atqui per illud, per quod hoc mysterium fit faciliùs nobis credibile, non tam difficilè credimus: ergo per id, per quod fit faciliùs credibile minuuntur nobis difficultates credendi.

Obijcies in penultimam conclusionem.

Illud non est effectus formalis quantitatis, quod habetur sine ipsa; atqui impenetrabilitas partium habetur sine quantitate: ergo impenetrabilitas partium non est effectus formalis quantitatis

Minor pr. Illud habetur sine quantitate, quod reperitur in materia, destructa diuinitus quantitate; atqui destructa diuinitus quantitate reperitur in materia impenetrabilitas partium: ergo habetur sine quantitate.

Minor pr. Extensio, siue positio partium extra partes in ordine ad locum est impenetrabilitas partium; atqui destructa quantitate reperitur in materia positio partiũ extra partes in ordine ad

locum, ergo & impenetrabilitas partium.

Solutio: *Positio partium extra partes necessaria, est impenetrabilitas partium*, Concedo. *non necessaria, seu indifferens, vt partes sint alia extra alias, aut intra*, Nego. atqui *destructa quantitate reperitur in materia positio partium extra partes necessaria*, Nego. *non necessaria* Concedo.

Contrà. Datur extensio partium necessaria in ordine ad locum sine quantitate: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Vbi materiæ destructa quantitate non est quantitas: atqui in illo est extensio necessaria partium extra partes: ergo datur extensio partium necessaria in ordine ad locum sine quantitate.

Minor pr. In illo est extensio partium necessaria extra partes, cuius vna pars non potest esse intra aliam: atqui pars vna vbi materię non potest esse intra aliam: ergo in vbi materiæ est extensio necessaria partium extra partes.

Solutio: *In illo est extensio necessaria partium extra partes: cuius vna pars non potest esse intra aliam, nec similem sibi, seu eiusdem speciei compati*, Concedo. *si possit compati secum aliam eiusdem speciei*, Nego. Atqui *pars vna vbi non potest esse intra aliam, nec similem sibi compati*, Nego. *& potest compati*, Concedo. *Potest siquidem aliud vbi eiusdem materiæ poni simul cum isto, destructa quantitate: quòd autem pars vna primi vbi non possit poni intra aliam, non prouenit ex impenetrabilitate, sed ex eo, quòd vnaquaque sit affixa essentialiter huic parti spatij, ita vt transferri non possit in aliam.*

TERTIA CONCLVSIO:

Proprietas quantitatis est esse aequalem, aut inaequalem.

ILLVD est proprietas quantitatis quod conuenit omni quantitati, soli, & semper: atqui esse æqualem, aut inæqualem conuenit omni quantitati, soli, & semper: ergo esse æqualem, aut inæqualem est proprietas quantitatis.

Minor pr. Esse æqualem, aut inæqualem est esse fundamentum aptitudinale, necessarium, & constans æqualitatis, & inæqualitatis: atqui conuenit omni quantitati, soli, & semper esse fundamentum aptitudinale, necessarium, & constans æqualitatis, & inæqualitatis: ergo esse æqualem, aut inæqualem conuenit omni quantitati, soli, & semper.

Minor pr. Quod consequitur ad differentiam essentialem quantitatis cõuenit illi soli, & semper: atqui esse fundamentum aptitudinale, necessarium, & constans æqualitatis, & inæqualitatis consequitur ad differentiam essentialem quãtitatis: ergo esse fundamentũ aptitudinale, necessarium, & cõstans æqualitatis, & inæqualitatis conuenit omni quãtitati, soli, & semper.

Minor pr. Exigere habere partes extra partes ex præcedenti conclusione, est differentia essentialis quantitatis: atqui ad huiusmodi exigentiam consequitur esse fundamentum æqualitatis, aut inęqualitatis: ergo esse huiusmodi fundamentum consequitur ad differentiam essentialem quantitatis.

R y

Minor probatur. Ex eo quòd partes sint aliæ extra alias sequitur necessariò eas, quas volumus mensurare, posse illis applicari, & applicatas deprehendi æquales, aut inæquales: ergo esse fundamentum æqualitatis, & inæqualitatis consequitur ad exigentiam quantitatis habendi partes extra partes.

SECTIO II.

An sint partes in continuo, & quales.

PRIMA CONCLVSIO.

In continuo sunt actu partes ante omnem diuisionem, & assignationem.

IN eo sunt actu partes ante omnem diuisionem, & assignationem; in quo actu ante omnem diuisionem, & assignationem est aliud, & aliud; atqui in continuo ante omnem diuisionem, & assignationem est aliud, & aliud: ergo in continuo sunt actu partes ante omnem diuisionem, & assignationem.

Minor pr. In eo ante omnem diuisionem, & assignationem est aliud, & aliud, quod ante omnem diuisionem, & assignationem includit vnionem; atqui continuum ante omnem diuisionem, & assignationem includit vnionem: ergo etiam aliud, & aliud.

Maior pr. Vnio non potest esse nisi inter aliud, & aliud: ergo illud quod ante omnem diuisionem, & assignationem includit vnionem, includit etiam aliud, & aliud.

Minor præcedentis argumenti probatur.

Continuum ante omnem diuisionem, & assignationem includit id, per quod distinguitur à contiguo; atqui id, per quod distinguitur à contiguo, est, quod includat vnionem: ergo ante omnem diuisionem, & assignationem includit vnionem.

Respondent: Atqui *continuum distinguitur à contiguo quòd includat vnionem, hoc est entitatē distinctam*, Nego. *hoc est immediationem partium similium, & affectarum talibus, & talibus dispositionibus per quas fit vt vna adhæreat alteri*, Concedo. *quòd certè non conuenit contiguo, quod nihil aliud dicit, quàm immediationem duorum quorumcunque, & ad consequens*: ergo. *continuū includit vnionem quæ sit entitas distincta*, Nego. *quæ sit immediatio partium similium, & affectarum talibus, & talibus dispositionibus*, Concedo.

Contrà: Immediatio partium omnino similium, & affectarum similibus dispositionibus nō potest dici vnio: ergo vnio quam includit continuum, non est huiusmodi immediatio.

Antecedens pr. In Sacramento Eucharistiæ pars carnis, quæ est in vultu Christi Domini, est similis carni quæ est in pede, & illi immediata; atqui inter illas non est vnio: ergo immediatio partium omnino similium, & affectarum similibus dispositionibus non est vnio.

Obijcies. In illo non sunt actu partes, in quo sunt tantùm partes potentia; atqui in continuo ex Aristotele, octauo physicorum, sunt tantùm partes potentia: ergo in continuo non sunt partes actu.

Solutio: *In eo non sunt partes actu quoad existentiam, in quo sunt tantùm partes potentia, quoad actualem diuisionem*, Nego. *in quo sunt tantùm partes potentia quoad actualem diuisionem, & existentiam*, Concedo. atqui *in continuo sunt tantùm partes potentia quoad actualem diuisionem*, Concedo. *quoad existentiam*, Nego.

Contrà. Aqua est continuum; atqui in aqua sunt tantùm partes potentia quoad actualem existentiam: ergo in continuo sunt tantùm partes potentia quoad actualem existentiam.

Minor pr. In eo non possunt dici aliter esse partes, quàm potentia quoad actualem existentiã, in quo non sunt actu partes quoad eandem existentiã; atqui in aqua non sunt actu partes quoad actualem existentiam: ergo in aqua sunt tantùm partes potentia, quoad actualẽ existentiã.

Minor pr. In eo non sunt actu partes quoad actualem existentiam, quod actu, & de facto est verè vnum: atqui aqua actu, & de facto est verè vna: ergo in aqua non sunt actu partes quoad actualem existentiam.

Solutio: *In eo non sunt actu partes, quod est actu & de facto vnum quid simplex*, Concedo. *vnum quid compositum, & conflatum ex multis*, Nego. atqui *aqua est de facto vna vnitate simplicitatis*, Nego. *vnitate compositionis*, Concedo.

SECVNDA CONCLVSIO:

Partes continui non sunt indiuisibiles.

PARTES continui indiuisibiles non possunt esse nisi finitæ, vel infinitæ: atqui non possunt dici

aeque finitæ, neque infinitæ: ergo non sunt indiuisibiles.

Prima pars minoris probatur.

Partes continui indiuisibiles infinitæ facere debent infinitam extensionem; atqui partes continui non faciunt infinitam extensionem: ergo non sunt infinitę indiuisibiles.

Maior pr. Illæ partes, quæ sunt infinitæ, & quarum quælibet facit extensionem ęqualem alteri, faciunt infinitam extensionem; atqui partes infinitæ indiuisibiles sunt infinitæ, & quęlibet facit extensionem æqualem alteri: ergo facere debent infinitam extensionem.

Maior pr. Infinita extensio est illa, quę constat infinitis partibus aliquotis, seu vni certæ æqualibus; atqui extensio, quam faciunt infinitæ partes, quarum quælibet facit extensionem æqualem alteri, constat infinitis partibus aliquotis: ergo partes infinitæ, quarum quælibet facit extensionem æqualem alteri, faciunt infinitam extensionem.

Secunda pars minoris primi argumenti superioris quòd non sint indiuisibiles finita, probatur.

Partes finitæ indiuisibiles vel sunt indiuisibiles realiter, & virtualiter, vel realiter tantùm; atqui non possunt dici indiuisibiles realiter, & virtualiter, neque realiter tantùm: ergò partes continui non sunt indiuisibles in numero finito.

Prima pars minoris probatur.

Partes indiuisibiles realiter, & virtualiter sũt illæ, quæ neque secundùm entitatem, neque secundùm præsentiam possũt esse modò maiores, modò minores; atqui partes continui indiuisibi-

les finitæ non *possunt* dici non posse esse modò maiores, modò minores, neque secundùm entitatē, neque secundùm præsentiā: ergo partes cōtinui nō sūt realiter, & virtualiter indiuisibiles.

Minor pr. Partes continui non esse modò minores, & modò maiores, neque secundùm entitatem, neque secundùm præsentiam, est mobile tardum æquè celeriter decurrere posse spatium aliquod, ac mobile velox; atqui mobile tardum decurrere non potest spatium aliquod æquè celeriter, ac mobile velox: ergo partes continui non possunt dici non esse modò maiores, modò minores, neque secundùm entitatem, neque secundùm præsentiam.

Suppono *spatium decurrendum esse lineam decem punctorum; illáque duo mobilia simul incipere illum decurrere; & sic argumentor ad probandam maiorem.*

Vt mobile tardum nō tam celeriter illam decurrat, ac mobile velox necessarium est, vt cùm mobile velox decurrit primum punctum aut secundum, aut tertium; &c. mobile tardum quiescat, aut dimidium tantùm decurrat; atqui ex suppositione non quiescit, & decurrere non potest dimidiam partem puncti: ergo partes continui non esse modò maiores, modò minores, neque secundùm entitatem, neque secundùm præsentiam, est mobile tardum æquè celeriter decurrere aliquod spatium, ac mobile velox.

Prima pars minoris probatur:

Illud non quiescit, quod non interrumpit suum motum; atqui mobile tardum non interrumpit suum motum: ergo non quiescit.

Minor pr. Mobile illud tardum est vel liberum, vel necessarium; atqui quodcunque ex illis sit non interrumpit suum motum: ergo mobile tardum non interrumpit suum motum.

Probatur primò de libero.

Mobile tardùm liberum non interrumpit motum cùm eum non vult interrumpere; atqui istud ex suppositione eum non vult interrumpere: ergo mobile tardum liberum non interrumpit suum motum.

Probatur secundò de necessario.

Mobile tardùm necessarium nõ interrumpit motum, cùm ab eo non cessat; atqui mobile tardum necessarium ab eo non cessat: ergò non interrumpit suum motum.

Minor pr. Mobile tardum necessarium non cessat à motu, cùm habet omnia requisita ad illum producendum; atqui mobile tardum necessarium cùm mobile velox decurrit secundam partem, tertiam &c. habet omnia requisita ad illum producendum: ergo mobile tardum necessarium non cessat.

Minor pr. Non minùs mobile tardum habet omnia requisita ad producendum motum, cùm mobile velox decurrit secundam partem spatij, aut tertiam &c. quàm cùm istud decurrit primam; atqui cùm istud decurrit primam, mobile tardũ necessariũ habet omnia requisita ad producendũ motum: ergo habet illa etiã cùm mobile velox decurrit secundã partẽ, tertiam, &c.

Maior pr. Requisitum, quod dici potest deesse mobili tardo necessario ad producendum motum cùm mobile velox decurrit secundam, aut

tertiam partẽ spatij, non potest esse aliud, quàm vis producendi continenter, & sine interruptione motum: atqui non deest illi illa vis: ergo mobile tardũ necessariũ habet omnia requisita ad producendum motum, cùm mobile velox decurrit secundam, aut tertiam partem spatij.

Minor pr. Vis producendi continenter, & sine interruptione motum est vis producendi nouum, & nouum vbi sine interruptione: atqui mobili tardo necessario non deest vis ad producendum continenter, & sine interruptione nouum, & nouum vbi: ergo mobili tardo necessario non deest vis producendi continenter motũ.

Minor pr. Non magis deest illi vis ad producendum nouum, & nouum vbi, quàm ad conseruandum iam productum: atqui non deest illi vis etiam ex aduersariis ad conseruandum iam productum: ergo neque ad producendum nouum, & nouum sine interruptione.

Suppono: *illud mobile tardum necessarium esse lapidem demissum ex aliquo loco valdè alto per aërem. & sic probo maiorem:*

Maior requiritur virtus, vt lapis ille conseruet, & sistat in vbi iam producto, quàm vt producat nouum: ergo non magis deest illi vis ad producendum nouum, & nouum vbi, quàm ad conseruandum iam productum.

Antecedens pr. Virtus, qua lapis continuare debet esse vbi iam producto, & præterea supereminere aëri, est maior ea, qua tãtùm debet dare esse vbi nouo: atqui vt lapis sistat, & hæreat in vbi iam producto debet illi continuare esse, & præterea supereminere aëri: ergo maior requi-

nitur virtus, vt lapis sistat in vbi iam producto, quàm vt det esse nouo.

Maior pr. Virtus, qua lapis supereminere debet aëri superaddit aliquid virtuti, qua lapis continuare debet esse vbi iam producto, seu est vna maior virtus, quàm sit ista sola; atqui virtus, qua lapis continuare debet esse vbi iam producto, est tanta, seu æqualis illi, qua dare debet esse vbi nouo: ergo virtus, qua lapis continuare debet esse vbi iam producto, & præterea supereminere aëri, est maior ea, qua tantùm dare debet esse vbi nouo.

Minor pr. Ex duobus effectibus eiusdem speciei, non maior requiritur virtus, vt detur esse vni, quàm alteri: atqui vbi iam productum, & vbi nouum sunt eiusdem speciei: ergo virtus qua lapis cõtinuare debet esse vbi iam producto, est tanta, quanta illa, quæ dare debet esse vbi nouo.

Secunda pars minoris argumenti suprà positi, quòd mobile tardum non decurrat tantùm dimidiam partem puncti, probatur.

Vt mobile tardum decurrat tantùm dimidiam partem puncti, debet punctũ habere partes; atqui punctum non habet partes: ergo falsum est mobile tardum decurrere tantùm dimidiam partem puncti, cùm velox decurrit totũ.

Secunda pars minoris superioris argumenti, partes continui finitas, non esse indiuisibiles realiter, & virtualiter diuisibiles, probatur.

Partes finitæ diuisibiles realiter, sed non virtualiter habent præsentiam diuisibilem; atqui partes continui indiuisibiles, nõ habẽt præsentiam diuisibilem: ergo partes cõtinui finitæ in-

diuisibiles realiter, non sunt diuisibiles virtualiter.

Vt probetur minor.

Suppono *partes illas finitas indiuisibiles realiter esse a. b. d. c. & præsentiam diuisibilem virtualiter partis a, esse, e, & sic argumentor:*

Vel illa præsentia diuisibili virtualiter dari possunt aliæ diuisibiles minores finitæ vel infinitæ: atqui neutrum dici potest: ergo, e, præsentia partis, a, non est diuisibilis virtualiter.

Prima pars minoris probatur.

Dari illa præsentia minores tantùm finitas, est dari omnium minimam: atqui dari non potest omnium minima: ergo non dantur minores illa finitæ tantùm.

Minor pr. Præsentia omnium minima est indiuisibilis virtualiter & realiter: atqui per aduersarios prẹsentiẹ istarum partium non sunt indiuisibiles virtualiter: ergo non datur omnium minima.

Minor pr. Per ipsos istæ partes sunt tantùm indiuisibiles realiter: ergo istæ partes non sunt indiuisibiles virtualiter.

Secunda pars minoris argumenti superioris, non dari præsentias infinitas minores, quàm sit præsentia partis, e, probatur.

Dari præsentias infinitas minores quàm sit præsentia partis, e, est illam ẹquiualere infinitis minoribus: atqui non ẹquiualet infinitis minoribus: ergo non dantur infinitẹ minores prẹsentiẹ partis, e.

Minor pr. Quod ẹquiualet infinitis minoribus extensis est infinitũ in extensione: atqui ista

præſentia non eſt infinitè extenſa : ergo non ęquiualet infinitis minoribus.

TERTIA CONCLVSIO:
Partes continui non ſunt partim diuiſibiles, partim indiuiſibiles.

ILLVD non eſt admittendum, quod nullum affert commodum, & multa affert incommoda; atqui quod partes continui ſint partim indiuiſibiles, & partim diuiſibiles, nullum affert cõmodum, & multa affert incommoda : ergo partes continui non ſunt partim diuiſibiles, partim indiuiſibiles.

Prima pars minoris probatur.

Commodum, quod afferre poſſunt partes indiuiſibiles, iunctæ diuiſibilibus, eſt tantùm ad conferendam magnitudinem, vel illam terminandam, aut connectendas eius partes; atqui partes indiuiſibiles non conferunt magnitudinem, non ſunt neceſſariæ ad illam terminandam, aut connectendas eius partes: ergo quòd partes continui ſint partim indiuiſibiles, nullum affert commodum.

Prima pars minoris probatur.

Illud non confert magnitudinem quod non facit extenſionem; atqui in ſententia auctorum iſtius ſententiæ partes indiuiſibiles non faciunt extenſionem : ergo non conferunt magnitudinem.

Secunda pars minoris ſecundi argumenti, quòd non terminent magnitudinem, probatur.

Illud non eſt neceſſarium ad terminandam ma-

gnitudinem, quo sublato illa manet finita: atqui sublatis illis partibus indiuisibilibus magnitudo manet finita : ergo partes indiuisibiles non sunt necessariæ ad terminandam magnitudinē.

Minor pr Illud manet finitum, quod non protenditur in infinitum : atqui magnitudo sublatis illis partibus indiuisibilibus non protenditur in infinitum: ergo sublatis illis partibus indiuisibilibus manet finita.

Minor pr Illud non protenditur in infinitum, quod occupat tantùm spatium vnius palmi, aut quid simile: atqui magnitudo sublatis illis partibus indiuisibilibus occupat tantùm spatium vnius palmi, aut quid simile : ergo magnitudo sublatis illis partibus indiuisibilibus, non protenditur in infinitum.

Minor pr Magnitudo sublatis illis partibus indiuisibilibus occupat minùs spatij, aut saltem non plus, quàm cum illis : atqui cum illis occupabat tantùm spatium vnius palmi, aut quid simile : ergo magnitudo sublatis illis partibus indiuisibilibus, occupat tantùm spatium vnius palmi, aut quid simile.

Tertia pars minoris superioris argumenti, quòd non sint necessaria ad connectendas partes, probatur.

Illud non est necessarium ad connectendas partes magnitudinis, quod non est illarum vnio, aut vnionis subiectum, aut terminus; atqui partes illæ indiuisibiles non sunt vnio, nec vnionis subiectum, aut terminus : ergo partes indiuisibiles, non sunt necessariæ ad connectendas partes magnitudinis.

Prima pars minoris probatur.

Vnio partium magnitudinis non debet esse indiuisibilis; atqui partes istæ sunt indiuisibiles: ergo partes illę indiuisibiles non sunt vnio.

Maior pr. Vnio extremorum diuisibilium non debet esse indiuisibilis; atqui partes magnitudinis sunt diuisibiles: ergo vnio partium magnitudinis non debet esse indiuisibilis.

Maior pr. Vnio debet esse simul cum suis extremis, & illis commensurari; atqui vnio indiuisibilis non potest esse simul cum extremis diuisibilibus, & illis commensurari: ergo vnio extremorũ indiuisibilium, nõ debet esse indiuisibilis.

Minor pr Vnio indiuisibilis non potest esse simul cum extremis diuisibilibus, quin sit in duobus locis; atqui non potest esse simul in duobus locis: ergo vnio indiuisibilis, non potest esse simul cum extremis diuisibilibus.

Maior pr. Quod est simul cum re diuisibili, est simul in vtraque eius parte: atqui vnio non potest esse simul in vtraque parte extremorum diuisibilium, quin sit in duobus locis: ergo vnio indiuisibilis esse non potest simul cum extremis diuisibilibus, quin sit in duobus locis.

Minor pr Vnaquæque pars est locus totalis vnionis indiuisibilis: ergo vnio indiuisibilis, quæ est in vtraque eius parte est simul in duobus locis.

Antecedens pr. Illud est locus totalis alterius, quod continet illud totum, & integrum: atqui vnaquæque pars illorum extremorum continet vnionem totam, & integram: ergo vnaquæque pars est eius locus totalis.

Minor pr. Quod continet aliquid indiuisibile continet illud totum,& integrum;atqui vnio est indiuisibilis,& vnaquęque pars continet illam: ergo continet illam totam, & integram.

Minor pr. Illud continet vnionem, in quo est vnio; atqui vnio est in vnaquaque ex istis partibus:ergo vnaquæque ex illis continet vnionem.

Secunda pars minoris primi argumenti, quòd partes partim diuisibiles, & partim indiuisibiles afferant multa incommoda pr.

Incommodũ est non leue,partes illas indiuisibiles singulis ferè momẽtis creari,& annihilari: magnum illas esse simul cũ extremis diuisibilibus,& maius adhuc admitti infinitam multitudinem entitatum sine necessitate:atqui hęc omnia incommoda affert,quód partes continui sint partim diuisibiles,& partim indiuisibiles: ergo quòd partes continui partim sint diuisibiles, & partim indiuisibiles multa affert incommoda.

Duæ vltimæ partes antea sunt probatæ, & prima iam probatur.

Cùm diuiditur continuum,aut augetur, partes illæ indiuisibiles creantur,&annihilantur;atqui ferè continuo diuiditur continuum: ergo partes illæ indiuisibiles singulis ferè momentis creantur, & annihilantur.

Maior pr. Illud annihilatur, quod destruitur non remanente subiecto, & creatur, quod non producitur ex subiecto:atqui partes istæ indiuisibiles non producuntur ex subiecto,& destruuntur non remanente subiecto:ergo cùm diuiditur continuum,aut augetur partes illæ indiuisibiles creantur, & annihilantur.

Minor pr. Illud non producitur ex ſubiecto, neque deſtruitur remanente ſubiecto, quod non habet ſubiectum; atqui partes illæ indiuiſibiles non habent ſubiectum: ergo partes iſtæ indiuiſibiles non producuntur ex ſubiecto, neque deſtruuntur remanente ſubiecto.

Minor pr. Non magis partes iſtæ indiuiſibiles materiæ habent ſubiectum, quàm diuiſibiles; atqui diuiſibiles non habent ſubiectum: ergo neque indiuiſibiles.

Maior pr Ideò diuiſibiles non habent ſubiectum, quia nihil habent, quod illis præſupponatur; atqui indiuiſibiles etiam nihil habent, quod illis præſupponatur: ergo non magis partes indiuiſibiles materiæ habent ſubiectum, quàm diuiſibiles.

Minor pr Nihil præſupponi dici poteſt partibus indiuiſibilibus materiæ, quàm eiuſdem partes diuiſibiles; atqui partes diuiſibiles materiæ non præſupponuntur ipſius partibus indiuiſibilibus: ergo partes indiuiſibiles materiæ nihil habent, quod illis præſupponatur.

Minor probatur. Illud non præſupponitur partibus indiuiſibilibus materiæ, cuius partes indiuiſibiles non ſunt actus; atqui partes indiuiſibiles non ſunt actus partium diuiſibilium: ergo partes diuiſibiles materiæ non præſupponuntur eius partibus indiuiſibilibus.

Minor pr. Omnis actus eſt vel ſubſtantialis, vel accidentalis; atqui partes indiuiſibiles non ſunt actus, neque ſubſtantialis, neque accidentalis partium diuiſibilium: ergo partes indiuiſibiles nō ſunt actus partium indiuiſibiliū.

Minor pr. Actus substantialis est forma substantialis, & actus accidentalis accidens: atqui partes indiuisibiles materiæ non sunt neque forma substantialis, neque accidentalis: ergo partes indiuisibiles materiæ non sunt neque actus substantialis, neque accidentalis.

Minor pr. Nihil materiæ est forma substantialis, aut accidens: atqui partes illæ indiuisibiles sunt aliquid materiæ: ergo partes illæ indiuisibiles non sunt, neque forma substantialis, neque accidens.

Qvinta Conclvsio:

Partes continui sunt diuisibiles.

Partes continui debent esse diuisibiles, aut indiuisibiles: atqui non sunt indiuisibiles ex superiori conclusione: ergo sunt diuisibiles.

Obiicies. Partes continui non possunt dici diuisibiles nisi vel in finito numero, vel infinito: atqui dici non possunt diuisibiles, neque in finito numero, neque in infinito: ergo non possunt dici diuisibiles.

Respondeo *esse diuisibiles aliquotas in finito numero, & proportionales in numero infinito.*

Contrà. Diuisibiles partes proportionales in numero infinito, faciunt infinitam extensionem: atqui partes continui non faciunt infinitã extensionem: ergo partes continui proportionales diuisibiles, non sunt in numero infinito.

Maior pr. Illæ partes infinitæ faciunt infinitam extensionem, quarum quælibet facit extensionem

sionem distinctam ab alia; atqui partes continui proportionales sunt infinitæ, & quælibet facit extensionem distinctam ab alia: ergo faciunt infinitam extensionem.

Solutio: *Partes infinitæ, quarum quælibet facit extensionem distinctam ab alia aliquotam, faciunt infinitam extensionem,* Concedo. *proportionalem tantùm*, Nego. atqui *partes continui proportionales sunt infinitæ*, Concedo. *illam partem, & quælibet facit distinctam ab alia extensionem proportionalem*, Concedo. *etiam illam: extensionem aliquotam*, Nego.

Contrà. Partes infinitæ facientes quælibet distinctam extensionem proportionalem, pertransiri non possunt finito tempore; atqui partes cõtinui pertransiri possunt tempore finito: ergo partes continui infinitæ non faciunt quælibet distinctam extensionem proportionalem.

Solutio: *Partes infinitæ facientes quælibet distinctam extensionem proportionalem, pertransiri non possunt finito tempore proportionali*, Concedo. *finito tempore aliquoto, sed infinito proportionali*, Nego. atqui *partes continui pertransiri possunt finito tempore aliquoto*, Concedo. *finito tempore proportionali*, Nego.

Contrà Partes infinitas proportionales pertrãsiri posse finito tempore aliquoto est designari posse finito tempore aliquoto infinitas partes continui; atqui finito tempore aliquoto designari non possunt infinitæ partes continui; ergo finito tempore aliquoto pertransiri non possunt infinitæ partes proportionales continui.

Maior pr. Non magis repugnat designari fini-

to tempore aliquoto infinitas partes continui, quàm pertransiri; atqui ex concessis pertransiri possunt: ergo & designari.

Maior pr. Non potest afferri alia ratio cur finito tempore aliquoto designari non possint infinitæ partes continui, licèt possint pertransiri, quàm quia quælibet designatio correspondere debet certo, & aliquoto tempori, aut parti; atqui non magis designatio correspondere debet certo tempori, aut certæ, & aliquotæ parti, quàm pertransitio: ergo non magis repugnat designari finito tempore aliquoto infinitas partes continui, quàm pertransiri.

Solutio: *Non potest afferri alia ratio cur finito tempore aliquoto designari non possint infinitæ partes continui, licèt possint pertransiri, quàm quia qualibet designatio entis creati correspondere debet certo tempori & aliquota parti*, Concedo. *designatio diuina*, Nego. atqui *non magis designatio diuina correspondere debet certo tempori, & aliquota parti quàm pertransitio*, Concedo. *designatio creata*, Negò.

Contrà. Designationes illæ increatæ non possunt esse infinitæ finito tempore aliquoto: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Designationum illarum infinitarum finito tempore aliquoto deberet esse aliqua vltima; atqui nulla potest esse vltima: ergo designationes illæ increatæ non sunt infinitæ finito tempore aliquoto.

Maior pr. Illarum designationum illa est vltima, quæ est minima; atqui illarum designationum aliqua debet esse minima: ergo & vltima.

Minor pr. Illarum designationum illa est minima, quæ est minor omni alia; atqui illarum designationum aliqua est minor omni alia: ergo & minima.

Solutio: *Illarum designationum illa est minima quæ est minor omni alia certa, & determinatè sumpta,* Nego. *indeterminatè sumpta,* Concedo. atqui *illarum designationum aliqua est minor omni alia certa, & determinatè sumpta,* Concedo. *indeterminatè sumpta,* Nego.

Contrà. Illarum designationum aliqua est minor omni alia indeterminatè sumpta: ergo nulla solutio.

Antecedens probatur. Designationes istæ sunt successiuæ: ergo datur aliqua minor omni alia indeterminatè sumpta.

Consequentia pr. Designationes successiuæ decrescunt, seu posteriores sunt minores prioribus: ergo datur aliqua minor omni alia indeterminatè sumpta.

Solutio: *Designationes posteriores sunt minores prioribus quibuscumque determinatè sumptis.* Concedo. *indeterminatè sumptis,* Nego.

Contrà. Partes, in quas cadunt illæ designationes posteriores sunt minores aliis etiam indeterminatè sumptis: ergo & designationes.

Antecedens pr. Partes, in quas cadunt designationes istæ posteriores sunt tantùm superficies lineæ, aut puncta; atqui superficies, lineæ, & puncta sunt quid minus partibus aliis etiam indeterminatè sumptis: ergo partes, in quas cadũt designationes illæ posteriores sũt minores aliis

etiam indeterminatè sumptis.

Maior pr. Partes, in quas cadunt designationes istę posteriores, sunt illę, in quibus fit contactus, quę sunt subiectum luminis recepti in corporibus opacis, aut vnionis connectentis partes continui: atqui partes in quibus fit contactus, quę sunt subiectum luminis recepti in corporibus opacis, & subiectum vnionis connectentis partes continui sunt superficies, lineę, & puncta: ergo & partes in quas cadunt designationes posteriores.

Prima pars minoris probatur.

Illę partes sunt superficies, lineę, & puncta, quę sunt indiuisibiles, vel secundùm omnem dimensionem, vel secundùm duas, vel secundùm vnam: atqui partes in quibus fit contactus sunt indiuisibiles secundùm omnem dimensionem, vel secundùm vnam, vel secundùm duas: ergo partes in quibus fit contactus sunt superficies, lineę, aut puncta.

Minor pr. Partes in quibus fit contactus plani cum plano sunt indiuisibiles secundùm vnam dimensionem, & illę, in quibus fit contactus cylindri cum cylindro sunt indiuisibiles secundùm duas, & illę, in quibus fit contactus globi cum globo sunt indiuisibiles secundùm omnem dimensionem: atqui in illis partibus fit contactus: ergo partes in quibus fit contactus sunt indiuisibiles secundùm vnam dimensionem, vel secundum duas, vel secundum omnem.

Maior pr. Partes in quibus fit contactus plani cum plano, cylindri cum cylindro, & globi cum globo debent esse indiuisibiles, vel diuisibiles:

atqui non possunt esse diuisibiles : ergo dici debent indiuisibiles.

Minor pr. Partes cylindri, globi, plani, quæ debent esse simul debent esse indiuisibiles; atqui partes cylindri, globi, plani inter quas fit contactus, debent esse simul : ergo debent esse indiuisibiles.

Minor pr. Partes, inter quas fit contactus debent esse contiguæ; atqui partes contiguæ debent esse simul : ergo partes, inter quas fit contactus debent esse simul.

Minor pr. Partes contiguæ sunt extrema contiguorum; atqui contiguorum extrema ex Aristotele, & philosophis debent esse simul : ergo partes contiguę debent esse simul.

Solutio : *Contiguorum extrema debent esse simul; hoc est in eodem spatij*, Nego. *hoc est immediata, itaut nihil inter ipsa mediet*, Concedo. ergo *partes contigua debent esse simul, hoc est immediata, ita vt inter ipsas nihil mediet*, Concedo. *hoc est in eodem spatij*, Nego.

Contrà. Debet esse discrimen aliquod inter continua, & contigua; atqui continuorum extrema sunt immediata : ergo contiguorum extrema non debent tantùm esse immediata.

Solutio : Atqui *continuorum extrema sunt immediata tantùm & non vnita*, Nego. *immediata & vnita*, Concedo.

Secunda pars minoris superioris argumenti partes, in quibus recipitur lumen esse superficies, probatur.

Illæ partes sunt superficies, quæ sunt indiuisibiles in profundum; atqui partes, in quibus reci-

pitur lumen in corporibus opacis sunt indiuisibiles in profundum: ergo partes in quibus recipitur lumen in corporibus opacis sunt superficies.

Minor pr. Partes, in quibus recipitur lumen in corporibus opacis distinguuntur ab iis, in quibus recipitur in corporibus diaphanis; atqui non distinguuntur in alio, quàm quod partes corporis opaci recipientes lumen sint indiuisibiles in profundum, illæ verò corporis diaphani sint diuisibiles in profundum: ergo partes, in quibus recipitur lumen in corporibus opacis sunt indiuisibiles in profundum.

Minor pr. Partes corporis opaci recipientes lumen non distinguuntur in alio à partibus diaphani idem recipientibus, quàm in eo, in quo distinguitur opacum à diaphano; atqui opacum non in alio distinguitur à diaphano, quàm quod nō recipiat lumen in profunditate sicut diaphanum: ergo partes corporis opaci non in alio distinguuntur, quàm quòd sint indiuisibiles in profundum.

Solutio: Atqui *opacum non in alio distinguitur à diaphano, quàm quod non recipiat lumen in profunditate, hoc est in tota profunditate, aut notabili eius parte, sicut diaphanum*, Concedo. *quòd nullo modo recipiat lumen in profunditate, parte, scilicet, aliqua eius exigua*, Nego.

Tertia pars minoris superioris argumenti, partes, quæ sunt vnio partium, aut istius subiectum esse superficies, pr.

Illæ partes sunt superficies, lineæ, aut puncta, quæ sunt indiuisibiles secundū omnē dimensio-

nem, ſecundùm duas, aut vnam tantùm; atqui partes, quæ ſunt ſubiectum vnionis continui debent eſſe indiuiſibiles ſecundùm omnem dimenſionem, ſecundùm duas, aut ſecundùm vnam: ergò partes quæ ſunt ſubiectum vnionis debent eſſe ſuperficies, lineæ, aut puncta.

Minor pr. Subiectum vnionis continui eſt illud, in quo recipitur vnio; atqui id, in quo recipitur vnio debet eſſe indiuiſibile, vel ſecundùm omnem dimenſionem, vel ſecundùm duas, vel ſecundùm vnam: ergo partes quæ ſunt ſubiectum vnionis continui debent eſſe indiuiſibiles ſecundùm omnem dimenſionem, ſecundùm duas, aut ſecundùm vnam.

Minor pr. Illud, in quo recipitur vnio, debet eſſe immediatum ei, ad quod terminatur; atqui quod eſt immediatum ei, ad quod terminatur vnio, debet eſſe indiuiſibile ſecundùm omnem dimenſionem, vel ſecundùm duas, vel ſecundùm vnam: ergo & id in quo recipitur vnio, debet eſſe indiuiſibile vel ſecundùm omnem dimenſionem, vel ſecundùm duas, vel ſecundùm vnam.

Solutio: *Illud in quo vnio recipitur, debet eſſe immediatum ei, ad quod terminatur adæquatè ſumptum*, Nego. *inadæquatè ſumptum, & ſecundùm minus & minus in infinitum*, Concedo. atqui *quod adæquatè ſumptum eſt immediatum ei, ad quod vnio terminatur debet eſſe indiuiſibile ſecundùm omnem, duas, aut vnam dimenſionem*, Concedo. *quod eſt tantùm immediatum inadæquatè ſumptum, & ſecundùm minus, & minus in infinitum*, Nego.

Contrà. Illud omne, in quo recipitur vnio, debet esse immediatum ei, ad quod terminatur: atqui illud omne, in quo recipitur vnio, est aliquid determinatè sumptum: ergo illud adæquatè sumptum, in quo recipitur vnio debet esse immediatum ei, ad quod terminatur.

Solutio : *Illud omne in quo recipitur vnio adæquatè sumpta debet esse immediatum ei ad quod terminatur*, Nego. *vnio inadæquatè sumpta*, Concedo. Atqui *illud in quo recipitur vnio adæquatè sumpta est aliquid determinatè sumptum*, Concedo. *vnio inadæquatè sumpta*, Nego. *vnio correspondet suo subiecto: vnde quemadmodum subiectum sumitur adæquatè, & inadæquatè, ita etiam vnio, & sicut subiectum adæquatè sumptum non potest esse immediatum alteri secundùm se totum, potest verò inadæquatè sumptum & secundùm minùs & minus in infinitum, ita etiam de ratione vnionis adæquatè sumpta non est facere suum subiectum immediatum alteri suo extremo, benè verò de ratione vnionis inadæquatè sumpta, & secundùm minus, & minus in infinitum.*

Contrà. Vniones illæ continui adæquatè sumptæ vel inadæquatè debent posse omnes tolli, vel tantùm aliquæ; atqui neutrum dici potest: ergo illæ vniones adæquatè sumptæ, vel inadæquatè non debent admitti.

Respondeo *omnes tolli posse.*

Contrà. Sublatis illis omnibus vnionibus nulla est planè vnio inter partes continui; atqui fieri non potest vt nulla sit vnio inter partes continui: ergo omnes vniones tolli non possunt.

Minor pr. Partes inter quas nulla est vnio, sunt

indiuisibiles, atqui partes continui non sunt indiuisibiles: ergo fieri non potest vt inter illas nulla sit vnio.

Solutio: *Partes inter quas nulla est vnio sunt indiuisibiles per destructionem vnionis*, Concedo. *sūt indiuisibiles per extractionem aliarum ab aliis*, Nego. atqui *non sunt indiuisibiles per destructionem vnionis*, Nego. *per extractionem aliarum ab aliis*, Concedo.

Contrà. Partes continui indiuisibiles per destructionem vnionis sunt etiam indiuisibiles per extractionem aliarum ab aliis: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Illæ partes sunt indiuisibiles per extractionem localem aliarum ab aliis, quarum vna cùm extrahitur sequi non debent aliæ, atqui destructis omnibus vnionibus continui, cùm vna extrahitur sequi non debent aliæ: ergo partes continui indiuisibiles per destructionem vnionis, sunt etiam indiuisibiles per extractionem aliarum ab aliis.

Minor pr. Illarum partium, cùm vna extrahitur sequi non debet alia, quæ non habent inter se coniunctionem: atqui partes continui detractis vnionibus nullam habent inter se connexionem: ergo cùm vna extrahitur sequi non debent aliæ.

Solutio. *Illarum partium, cùm vna extrahitur alia sequi non debent, quæ non habent connexionem, & vnaquæque non continet in se plures alias*, Concedo. *& vnaquæque continet in se plures alias*, Nego. atqui *detractis vnionibus nullam habent connexionem, & vnaquæque non continet*

plures alias. Nego. *& continet*, Concedo.

Contrà. Partium, quarum vnaquæque est distincta ab aliis, vnaquæque non continet plures alias; atqui partium continui vnaquæque est distincta ab aliis: ergo vnaquæque non continet plures alias.

Solutio : *Partium quarum vnaquaque est distincta ab aliis determinatè sumptis vnaquaque non continet plures alias*, Nego. *ab aliis etiam indeterminatè sumptis*, Concedo. atqui *partium continui vnaquaque est distincta ab aliis determinatè sumptis*, Concedo. *indeterminatè sumptis*, Nego. *sensus est vnamquamque quidem partem continui distinctam esse à quacunque alia determinatè sumpta, non tamen ab aliis indeterminatè sumptis. Nulla enim est, qua non contineat infinitas alias, & sit aceruus infinitarum partium.*

Contrà. Illæ aliæ partes, quas vnaquæque partium dicitur continere destructis vnionibus debent esse finitæ, vel infinitæ; atqui neque sunt finitæ, neque infinitæ: ergo vnaquæque partium continui destructis vnionibus non continet plures alias.

Respondeo *esse finitas aliquotas, & infinitas proportionales*.

Contrà. Partes, quæ sunt vni certæ æquales sunt aliquotæ; atqui vnaquæque continens infinitas proportionales continet etiam infinitas aliquotas : ergo non continet tantùm finitas aliquotas.

Vt probetur minor.

Supponunt *lignum longum sex palmos, &*

crassitiei semipalmaris diuidi secundùm crassitiem in infinitas partes proportionales, singulis diuisionibus productis à summitate illius ligni ad alteram extremitatem, & sic argumentantur:

Longitudo sex palmorum est longitudo aliquota; atqui vnaquæque ex illis partibus continens infinitas partes proportionales secundùm crassitiem continet infinitas longitudines, quarum quælibet est sex palmorum: ergo vnaquæque continens infinitas proportionales continet etiam infinitas aliquotas.

Solutio: *Longitudo sex palmorum est longitudo, & pars aliquota secundùm vnam dimensionem*, Concedo. *secundùm omnem dimensionem*, Nego. ergo *vnaquaque continens infinitas proportionales continet etiam infinitas aliquotas secundùm vnam, aut duas dimensiones*, Concedo. *secundùm omnem dimensionem*, Nego. *Propriè autem loquendo nomine partis aliquota intelligitur illa, qua habet certam magnitudinem in omnem dimensionem.*

Contrà. In illo ligno sunt infinitæ partes habentes certam magnitudinem in omnem dimensionem: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Partes proportionales habent certam magnitudinem in omnem dimensionem; atqui ex concessis sunt infinitæ partes proportionales in illo ligno: ergo & infinitæ habentes certam magnitudinem.

Maior pr. Magnitudo partis proportionalis est maior aliâ certâ & determinata: ergo partes proportionales habent certam, & determinatam magnitudinem.

Antecedens pr. Magnitudo puncti in sententia componente continuum ex indiuisibilibus est certa, & determinata : atqui magnitudo partis proportionalis est maior illa : ergo & magnitudine certa, & determinata.

Solutio : M*agnitudo puncti in sententia componente continuum ex indiuisibilibus est certa & determinata, & hac sententia vera est, & non supponit impossibile id, scilicet quod est incapax extensionis, & magnitudinis illam nihilominus habere*, Nego. *& illa sententia falsa est, & supponit impossibile*, Concedo. *& concessa minori eadem distinctio applicanda est consequenti.*

Contrà. Illa sententia non est magis falsæ quàm illa, quę admittit in continuo infinitas partes vni certę ęquales : atqui ista non est falsa : ergo neque illa.

Minor pr. In quolibet continuo sunt infinitę partes vni certę ęquales: ergo ista sententia non est falsa.

Antecedens probatur. Eo modo, & eo numero sunt partes in continuo, quo in eo possunt esse diuisiones in illas : atqui in quolibet continuo possunt esse infinitę diuisiones in partes vni certę ęquales : ergo in quolibet continuo sunt infinitę partes vni certę ęquales.

Maior pr In quolibet continuo non sunt tantùm finitę diuisiones in partes vni certę ęquales : ergo sunt infinitę.

Antecedens pr. Ideo in cõtinuo nõ sunt tãtùm finitę diuisiones in partes inęquales, & proportionales, quia quãtumuis magno numero finito illarum assignato est adhuc maior : atqui quan-


tumuis magno numero finito diuisionum in partes vni certæ æquales assignato potest dari maior: ergo in quolibet continuo non sunt tantùm finitæ diuisiones in partes vni certæ æquales.

Solutio: *Ideo in continuo non sunt tantùm finita diuisiones in partes inæquales, & proportionales, quia quantumuis magno numero finito illarum assignato potest dari maior præcisè*, Nego. *potest dari maior, & diuisiones illa actu, & de facto possunt esse perfecta*, Concedo. atqui *quantumuis magno numero finito diuisionum in partes vni certæ æquales assignato potest dari maior, & illa actu, & de facto possunt esse facta omnes, aut infinita*. Nego. *non omnes, & finita tantùm semper*, Concedo.

Contrà. Supponunt factas esse successiuè diuisiones, ab æterno alicuius continui in partes proportionales, & singulis diebus priores posterioribus redditas esse æquales, detracto prioribus, quod habebant supra posteriores, *& sic argumentantur*.

Diuisiones factæ per æternitatem, in illa suppositione sunt infinitæ; atqui sunt omnes in partes æquales: ergo possunt fieri infinitæ diuisiones in partes æquales.

Respondeo *suppositionem implicare, vt probabimus tractatu sequenti, quia scilicet destructio vnionis, quæ fit per diuisionem, non potest esse ab æterno*.



DISPVTATIO VI. ET VLTIMA.

De Infinito.



ER infinitum ponemus finem disputationibus huius tertij tractatus, & eorum, quæ susceperamus dicenda de rebus naturalibus in genere.

SECTIO VNICA.

An detur, aut dari possit infinitum.

PRIMA CONCLVSIO:

Datur infinitum in perfectione.

DATVR Deus; atqui Deus est infinitus in perfectione: ergo datur infinitum in perfectione.

Minor pr. Illud est infinitum in perfectione, quo nihil melius, neque perfectius excogitari potest; atqui Deo nihil melius, neque perfectius excogitari potest: ergo Deus est infinitus in perfectione.

Maior pr. Illud est infinitum in perfectione, quod non habet terminum in perfectione; atqui

illud, quo nihil melius, aut perfectius excogitari potest, non habet terminum in perfectione: ergo illud est infinitum in perfectione, quo nihil melius, aut perfectius excogitari potest.

SECVNDA CONCLVSIO:

Datur de facto infinitum potentia.

ILLVD est infinitum potentia, quod habet quidem actu partes finitas, potest tamen habere plures, & plures in infinitum; atqui dantur de facto multa, quæ habent partes actu finitas, & de facto habere possunt plures, & plures in infinitum: ergo datur de facto infinitum potentia.

Minor pr. Lignum palmare habet partes actu finitas; atqui habere potest plures, & plures in infinitum: ergo quod habet partes actu finitas, potest habere plures, & plures in infinitum.

Minor pr. Tot habere potest partes lignum palmare, quot ei addi possunt; atqui ei addi possunt partes plures, & plures in infinitum: ergo illas habere potest.

Minor pr. Illi addi possũt partes plures, & plures in infinitum, quarum numerus est omni certo, & determinato finito maior; atqui numerus partiũ, quæ addi possunt ligno palmari est maior omni certo, & determinato finito: ergo ei addi possunt partes plures, & plures in infinitũ.

Minor pr. Numerus certus, & determinatus finitus est v. g centenarius, millenarius, &c. atqui numerus partiũ, quæ addi possunt ligno palmari, est maior centenario, millenario, &c. er-

go & omni determinato finito.

Ad probationem minoris suppono esse millenarium, & sic argumentor:

Non implicat addi aliquam partem mille illis additis: ergo numerus partium, quæ addi possunt ligno palmari est maior millenario.

Antecedens pr. Pars illa addita aliis mille est eiusdem rationis cum aliis: ergo non esset maior implicantia in ipsa, quàm in aliis.

TERTIA CONCLVSIO:

Infinitum actu est possibile.

INFINITVM actu est vel positiuũ, vel negatiuũ: atqui infinitũ, actu positiuum, & negatiuum est possibile: ergo infinitum actu est possibile.

Minor probatur de negatiuo.

Illud est possibile, quod de facto datur; atqui infinitum negatiuum actu de facto datur: ergo est maximè possibile.

Minor pr. Negationes infinitæ actu hominum, aut Angelorum de facto dantur; atqui illæ sunt infinitum negatiuum: ergo datur de facto infinitum negatiuum.

Maior pr. Illud est infinitum actu, quod constat actu infinitis vnitatibus negatiuis simul existentibus; atqui negationes hominum, aut Angelorum constant infinitis vnitatibus simul existentibus: ergo negationes hominum, aut Angelorum infinitæ actu dantur de facto.

Minor pr. Negationes hominum tot constant vnitatibus simul existentibus, quot sunt homi-

nes possibiles, qui nunquam erunt: atqui homines possibiles, qui nunquam erunt sunt infiniti: ergo negationes hominum constant vnitatibus infinitis.

Minor pr. Vel homines, qui nunquam erunt sunt finiti, vel infiniti: atqui non sunt finiti: ergo sunt infiniti.

Minor pr. Homines finiti sunt centum, mille, bis mille, &c. atqui homines qui esse possunt, & nunquam erunt sunt ter mille, & ampliùs: ergo non sunt finiti.

Maior antepenultimi argumenti pr.

Negationes hominum tot sunt, quot sunt homines possibiles: ergo tot constant vnitatibus, quot sunt homines possibiles.

Antecedens pr. Vnicuique homini possibili, aut impossibili correspondet sua negatio: ergo negationes hominum tot sunt, quot sunt homines possibiles.

Antecedens pr. Non minùs vnicuique homini possibili correspondet sua negatio, quàm cuilibet enti rationis sua etiam negatio: atqui cuilibet enti rationis correspondet sua negatio distincta: ergo & cuilibet homini possibili.

Minor pr. Chimæra, & multiplicitas deorum sunt entia rationis: sed cuilibet ex illis correspondet sua distincta negatio: ergo & cuilibet enti rationis.

Minor pr. Eorum vnicuique correspondet sua negatio quæ ita se habent, vt negatio vnius non sit negatio alterius: sed negatio chimæræ, non est negatio multiplicitatis deorum: ergo cuilibet ex illis correspondet sua negatio.

Minor superioris argumenti, infinitum positiuum esse possibile, probatur.

Infinitum partium proportionalium continui est positiuum; atqui illud est possibile: ergo & *infinitum positiuum.*

Minor pr. Infinitum partium proportionalium datur de facto, vt superiori disputatione probatum est: ergo est possibile.

Obijcies. Infinitum actu est, vel infinitum in magnitudine, vel in multitudine, vel in intensione; atqui infinitum actu tum in magnitudine, tum in multitudine, tum in intensione non est possibile: ergo infinitum actu est impossibile.

Prima pars minoris probatur.

Infinitum in magnitudine, est infinitum in longitudine, vel latitudine, vel profunditate; atqui infinitum in longitudine, latitudine, & profunditate implicat: ergo & infinitum in magnitudine.

Minor de infinito in longitudine, probatur.

Infinitum in longitudine, est linea v. g. infinita versus occidentem incipiens ab spatio, in quo sumus; sed illa linea infinita versus occidentem implicat: ergo infinitum in longitudine implicat.

Vt probetur minor.

Supponunt *ab illa linea Deum auferre vlnam, & trahere reliquam ad idem punctum vnde incipiebat, & hoc posito sic argumentantur:*

Illa linea occupans spatium, quod antea occupabatur ab vlna ablata, reliquisse debet tantùm spatij versus occidentem, vel non reliquisse; atqui implicat illã lineam reliquisse tantùm spa-

tij versus occidentem, & non reliquisse : ergo illa linea implicat.

Respondeo *non reliquisse.*

Contrà. Linea occupans nouum spatium debet reliquisse aliquid prioris spatij, aut aliquæ eius partes poni in duobus locis; atqui ista linea occupat nouum spatium: ergo reliquisse debet aliquid prioris, aut eius aliquæ partes poni in duobus locis.

Solutio : *Neganda est maior. Quia sufficit, vt occupet nouum spatium, & maius quàm esset præcedens, vt partes eius diuersimodè disponantur, partes enim infinitæ diuersimodè dispositæ occupant modò maius modò minus spatium, quod eò minus mirum videri debet, quò idem contingere videamus in totius finiti partibus, quæ certo modo dispositæ maius, aut minus spatium occupant.*

Ad impugnandam responsionem, supponunt ab eodem punctoà quo incipit linea, de qua est quæstio duci aliam in infinitum, quæ quo magis recedat ab illo puncto, eo etiam magis recedat ab altera linea, *& sic argumentantur :*

Tam linea prima occupans nouũ spatium debet reliquisse aliquid prioris, quàm spatium inter vtramque interceptum in suppositione facta esse finitum; atqui spatium, & area inter vtramque intercepta est finita : ergo linea occupans nouum spatium debet reliquisse aliquid prioris.

Minor pr. Area inter vtramque illam lineam intercepta non est infinita : ergo est finita.

Antecedens pr Illa area non est infinita, nisi vel secundùm aliquam partem determinatè sũptam, vel secundùm omnes; atqui non est infini-

ta secundùm aliquam partem determinatè sumptam, neque secundùm omnes: ergo non est infinita.

Respondeo *esse infinitam secundùm omnes*.

Contrà. Area illa secundùm omnes partes sumpta est ipsa collectiuè sumpta: atqui illa collectiuè sumpta non est infinita: ergo non est infinita secundùm omnes partes.

Minor pr. Illa linea collectiuè sumpta non est infinita, quę habet terminum, & finem: atqui illa habet terminum, & finem: ergo collectiuè sumpta non est infinita.

Minor pr. Illa area collectiuè sumpta habet terminum, & finem, quę clauditur duobus terminis: atqui illa area clauditur duobus terminis, etiam collectiuè sumpta: ergo habet quoque terminum, & finem.

Solutio: *Illa area habet terminum, & finem, qua clauditur duobus terminis finitis*, Concedo. *infinitis*, Nego. *quia claudi terminis infinitis est non habere finem, quod enim habet pro termino aliquid infinitum, non habet finem magis, quàm ipsius terminus, qui cùm sit infinitus nullum planè habere dicendus est*; atqui *area collectiuè sumpta clauditur duobus terminis finitis*, Nego. *infinitis*, Concedo.

Contrà Tam area illa clausa duobus terminis infinitis habet terminum, & finem, quàm corpus aliquod protensum in omnem dimensionem quantum potest: atqui corpus protensum in omnem dimensionem quantum potest habet terminum, & finem: ergo & illa area clausa duobus terminis illis infinitis.

Minor pr. Corpus protensum in omnem dimensionem quantum potest non est infinitum: ergo habet terminum, & finem.

Antecedens pr. Corpus protensum in omnem dimensionem quantum potest, quod est infinitum est mobile, & non est mobile: atqui non potest esse mobile, & non esse mobile: ergo corpus protensum in omnem dimensionem quantum potest, non est infinitum.

Respondeo *esse mobile.*

Contrà. Illud corpus non est mobile, quod relinquere non potest spatium, & acquirere nouum: atqui corpus infinitum in omnem dimensionem relinquere non potest spatium, & acquirere nouum: ergo corpus infinitum in omnem dimensionem non est mobile.

Solutio: *illud corpus non est mobile motu locali, aut etiam augmentatiuo, quod relinquere non potest spatium, & acquirere nouum,* Concedo. *motu alteratiuo,* Nego. *& concessa minori:* ergo *corpus infinitum in omnem dimensionem, non est mobile motu locali, aut augmẽtatiuo,* esto: *motu alteratiuo,* Nego *Verum quidem est corpus quod occupat omne spatium non posse acquirere nouum, nullum enim superest occupandum ab eo, quod est infinitum in omnem dimensionem ac proinde nec moueri localiter, aut etiam augeri per additionem alicuius partis, quæ ponatur in nouo spatio, potest tamen alterari, hoc est calefieri, & eo: sequenter moueri motu alteratiuo.*

Contrà. Corpus mobile motu alteratiuo est quantum; sed illud corpus infinitum in omnem dimensionem non est quantum: ergo infinitum

illud in omnem dimensionem, non est mobile motu alteratiuo.

Minor pr. Illud corpus non est quantum, quod non habet figuram; atqui illud non haberet figuram: ergo non est quantum.

Maior pr. Illud corpus non est quantum, quod non habet, quæ sunt propria corporis quanti; atqui habere figuram est proprium corporis quanti: ergo corpus, quod non habet figuram non est quantum.

Solutio: *Habere figuram est proprium corporis quāti finiti*, Cōcedo. *infiniti*, Nego. *Ratio est, quia figura est vltimus terminus quantitatis, quantitas autem infinita, cùm non habeat terminum non debet etiam habere figuram, quæ est huiusmodi terminus, & iam ad consequens: ergo corpus, quod non habet figuram, non est quantum finitum*, Concedo. *quantum infinitum*, Nego.

Contrà. Tam repugnat quantum illud infinitum, quàm infiniti homines v. g. atqui multitudo infinita hominum repugnat: ergo & corpus illud quantum infinitum.

Vt probetur minor,

Supponunt *infinitam illam multitudinem hominum disponi in longum, illorúmque vnicuique dari nummum notatum proprio ipsorum nomine, & ab illis conijci nummos illos in cumulum, & sic argumentantur:*

Vel ex illo cumulo dari possunt vnicuique terni, vel non; sed neutrum dici potest: ergo infinita multitudo hominum repugnat.

Respondeo *dari posse ternos.*

Contrà. Non possunt dari plures nummi ex il-

lo cumulo, quàm in illo sint; atqui terni dati singulis illis hominibus sunt plures, quàm sint in illo cumulo: ergo non possunt dari terni vnicuique.

Minor pr. Nummi, qui sunt in illo cumulo sunt illi tantùm, quos habebant singuli illi homines; atqui terni dati vnicuique illorum sunt plures illis, quos habebant singuli illi homines: ergo terni dati sunt plures quàm sint in illo cumulo.

Minor pr. Quos habebant illi homines erant tantùm semel infiniti; atqui terni dati vnicuique illorum non sunt semel, sed ter infiniti: ergo terni dati vnicuique illorum sunt plures illis, quos habebant singuli illi homines.

Solutio: *Nummi, quos habebant illi homines erant tantùm semel infiniti, & illud infinitum non continet infinities infinita,* Nego. *& continet infinities infinita*, Concedo. atqui *terni dati vnicuique illorum non sunt semel infiniti, sed ter propterea quod illud infinitum continet infinities infinita*, Concedo. *& illud infinitum non continet infinities infinita*, Nego.

Contrà Nummi illi semel infiniti continere non possũt infinities infinita, quin ex illis dispositis in longum, & deinde proiectis in cumulum fieri possit magnitudo in omnem dimensionem infinita; sed ex illis dispositis in longum fieri non potest magnitudo in omnem dimensionem infinita: ergo infiniti semel nummi, non continent infinities infinitos.

Minor pr Fieri non potest ex illis nummis proiectis in cumulum infinita magnitudo in omnẽ dimensionem, quin pars sit maior toto; sed pars

non eſt maior toto : ergo ex illis diſpoſitis in longum fieri non poteſt magnitudo in omnem dimenſionem infinita.

Maior pr. Quod occupat ſpatium in alias dimenſiones, quàm in longum, eſt tantùm pars nummorum iſtorum ; atqui illud eſt maius illis omnibus nummis diſpoſitis in longũ : ergo fieri non poteſt ex illis nummis proiectis in cumulum infinita magnitudo in omnem dimenſionem, quin pars ſit maior toto.

Minor pr. Illud eſt maius alio, quod occupat plus ſpatij quàm illud, ſed quod occupat ſpatium in alias dimenſiones, quàm in longum occupat plus ſpatij, quàm illud, quod occupat tantùm in longum : ergo verè eſt maius illo, ſeu illis nummis diſpoſitis in longum.

Solutio : *Quod occupat plus ſpatij, quàm aliud, eſt illo maius maioritate propria, & quæ attenditur penes ea, quæ habent extrema*, Nego. *maioritate hac, vel impropria, quæ tribuitur illis, quæ non habent extrema*; Concedo. ergo *quod occupat ſpatium in omnem dimenſionem eſt maius eo, quod occupat tantùm in longum maioritate propria*, Nego. *impropria*, Concedo.

Contrà Maioritas propria ex conceſſis eſt inter ea, quæ habent extrema; atqui ea de quibus diſputamus, & quibus applicata eſt diſtinctio habent extrema: ergo vnum eſt maius alio maioritate propria.

Minor pr. Ea, de quibus diſputamus ſunt vtraque illa multitudo infinita, vna in longum, & alia in omnem dimenſionem ; atqui vtraque illa multitudo habet extrema: ergo ea de quibus diſputamus habent extrema.

Minor

Minor pr. Illa multitudo habet extrema, quæ est in aliqua specie numeri; sed vtraque illa multitudo est in aliqua specie numeri: ergo vtraque illa multitudo habet extrema.

Solutio: *Illa multitudo habet extrema, quæ est in aliqua specie numeri generalissimè sumpti,* Nego. *strictè sumpti, & prout est collectio vnitatum, in qua est vltima,* Concedo. *sed vtraque illa multitudo est in aliqua specie numeri generalissimè sumpti*, Concedo. *strictè sumpti*, Nego.

Contrà. Omnis multitudo est in aliqua specie numeri strictè sumpti: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Illa multitudo est in aliqua specie numeri strictè sumpti, quę habet vltimam vnitatem; atqui omnis multitudo habet vltimam vnitatem: ergo omnis multitudo est in aliqua specie numeri strictè sumpti.

Minor pr. Multitudo, quæ non superat aliam nisi certis vnitatibus, habet vltimam vnitatem; atqui nulla est multitudo, quę superet aliam aliter, quàm certis vnitatibus: ergo omnis multitudo habet vltimam vnitatem.

Solutio: Atqui *nulla est multitudo finita, quæ superet aliam aliter, quàm certis vnitatibus,* Concedo. *infinita,* Nego. ergo *omnis multitudo finita habet vltimam vnitatem,* Concedo. *multitudo infinita*, Nego.

Contra. Vel in illa multitudine infinita sunt tantùm numeri finiti, vel aliquis aut multi infiniti; atqui neutrum dici potest: ergo nulla est huiusmodi multitudo infinita.

Solutio: *Vel in illa multitudine infinita est aliquis numerus infinitus, aut multi infiniti, aut*

tantùm finiti. finities tantùm repetiti, Nego. *infinities repetiti*, Concedo. atqui *in illa multitudine non est aliquis numerus infinitus, aut multi infiniti; vel finiti finities tantùm repetiti*, Concedo. *infinities repetiti*, Nego.

Contrà. Numeri illi infinities repetiti debent continere numerum finitum omnium maximum: ergo & aliquem infinitum.

Antecedens pr. Collectio numerorum, non continẽs numerum finitum omnium maximũ, nõ est infinita; atqui numeri illi finiti infinities repetiti supponuntur esse collectio numerorum infinita: ergo numeri illi finiti infinities repetiti cõtinent numerum finitum omniũ maximũ.

Maior probatur. Quod non superat finitum omnium maximum non est infinitum; atqui collectio illa numerorum infinita, non superat numerum finitum omnium maximum: ergo non est infinita.

Maior pr. Quod non excedit omne finitum non est infinitum; atqui quod non superat finitum omnium maximum non excedit omne finitum: ergo non est infinitum.

Solutio: *Quod non excedit omne finitum quod dari potest, non est infinitum*, Concedo. *quod non excedit aliquod finitum, quod dari non potest, & est impossibile, non est infinitum*, Nego. atqui *illud non excedit omne finitum, quod non superat finitum omnium maximum, & istud dari non potest*, Concedo. *& istud dari potest*, Nego. *Ratio, quare non possit dari, est quia pars aliqua certa addita illi maximo finito, vel faceret illud infinitum, & sic duo certa finita facerent infinitum,*

quod implicat, vel relinqueret finitum tantùm, quod etiam non debet admitti: sequeretur enim illud, quod supponebatur esse finitum omnium maximum non esse tale, quippe quod per coniunctionem cum illa parte addita fiat maius, & cesset esse per illam finitum omnium maximum.

Contrà. Numerus finitus omnium maximus verè datur: ergo finitum omnium maximum dari potest.

Antecedens pr. Datur aliquis numerus certus, & determinatus infinitus: ergo & numerus finitus omnium maximus.

Antecedens pr. Numerus infinitè maior binario est infinitus; atqui in collectione numerorum infinita, datur aliquis numerus infinitè maior binario: ergo datur aliquis numerus infinitus certus, & determinatus.

Minor pr. Numerus infinitè distans à binario, est infinitè maior binario; atqui datur in illa collectione numerorum infinita, aliquis numerus infinitè distans à binario: ergo & infinitè maior illo.

Minor pr. Numeri, qui sunt in illa collectione, non distant tantùm finitè à binario: ergo in illa collectione numerorum infinita, datur aliquis numerus infinitè distans à binario.

Solutio: *Numeri qui sunt in illa collectione distributiuè, & seorsim sumpti non distant tantùm finitè à binario*, Nego. *collectiuè sumpti*, Concedo.

Contrà. In linea protensa in infinitum versus orientem, est aliqua magnitudo distributiuè sumpta distans infinitè à primo palmo huius lineæ: ergo & in illa collectione numerorum infi-

ta est aliquis numerus distributiuè sumptus infinitè distans à binario.

Antecedens probatur. Partes omnes illius lineæ distributiuè sumptæ, non distant tantùm finitè à primo palmo ipsius: ergo aliqua magnitudo ipsius distributiuè sumpta distat infinitè à primo palmo illius.

Antecedens pr. Partes illius lineæ collectiuè sumptæ non distant tantùm finitè à primo palmo ipsius: ergo neque distributiuè sumptæ.

Consequentia pr. Prædicata quæ conueniunt toti conueniunt etiam iis ex quibus cõflatur; atqui partes lineæ collectiuè sumptæ sunt totum, & eædem distributiuè sumptæ sunt illius partes: ergo prædicatum non distans tantùm finitè à primo palmo illius lineæ, quod cõceditur partibus lineæ collectiuè sumptis, non potest negari partibus eiusdem lineæ distributiuè sumptis.

Solutio: *Prædicata, quæ conueniunt toti, non desumpta ex ratione totius, & ad illud distinguendum ab iis quibus non conuenit illa ratio totius, conueniunt etiam iis, ex quibus conflatur*, Concedò. *si desumantur ex ratione totius, & ad illud distinguendum ab iis quæ sunt tantùm pars*, Nego. *& concessa minori*; ergo *prædicatum non distans tantùm finitè à primo palmo illius lineæ, quod conuenit partibus illius lineæ collectiuè sumptis, debet etiam tribui iisdem distributiuè sumptis, & illud prædicatum non est ex illis, quæ conueniũt illis prout sunt totum, & ad distinguendas ipsas à seipsis prout sunt partes*, Nego. *& est ex huiusmodi prædicatis*, Concedo. *Quando Philosophi pronuntiant prædicata, quæ tribuuntur toti*

tribui etiam posse partibus, & è conuerso, intelligendi sunt non de prædicatis quibuscunque, sed tantùm de illis, quæ non tribuuntur toti, & partibus prout partes sunt, aut totum. Sub illa enim ratione conuenire illis debent diuersa.

Contrà Prædicatum non distans tantùm finitè à primo palmo illius lineæ videtur à Deo conuenire alicui parti illius lineæ sumptæ distributiuè; ergo prædicatum non distans tantùm finitè à primo palmo illius lineæ, non est ex illis, quæ conueniunt partibus collectiuè sumptis prout sunt totum.

Antecedens pr. Deus non videt partes omnes illius lineæ distributiuè sumptas finitè tantùm distare à primo palmo illius lineæ: ergo prædicatum non distans tantùm finitè à primo palmo illius lineæ videtur à Deo conuenire alicui parti illius lineæ distributiuè sumptæ.

Antecedens pr. Partes illius lineæ finitè tantùm distantes à primo palmo illius possunt omnes auferri salua eiusdem infinitate; atqui Deus non videt salua, & remanente infinitate lineæ partes omnes distributiuè sumptas posse auferri: ergo Deus non videt partes omnes illius lineæ distributiuè sumptas finitè tantùm distare à primo palmo illius lineæ.

Maior probatur. Vel possunt omnes auferri, vel tantùm aliquæ; atqui falsum est aliquas tantùm salua infinitate lineæ posse auferri: ergo salua infinitate lineæ omnes finitè tantùm distantes à primo palmo illius possunt auferri.

Solutio: Atqui *falsum est aliquas tantùm determinatè sumptas salua infinitate posse aufer-*

ri, Concedo. *indeterminatè sumptas*, Nego. ergo *salua infinitate lineæ omnes, hoc est, singulæ determinatè sumptæ finitè tantùm distantes possunt auferri*, Concedo. *omnes, hoc est singulæ indeterminatè sumptæ*, Nego.

Contrà Numerus earum, quæ possunt auferri salua infinitate debet esse certus, & determinatus: ergo salua infinitate aliquæ determinatè sumptæ finitè distantes possunt auferri.

Antecedens pr. Est aliqua certa, & determinata pars illius lineæ, quę à primo palmo illius lineæ producta est ad infinitam distantiam: ergo numerus earum, quæ possunt auferri salua infinitate debet esse certus, & determinatus.

Antecedens pr. Eò pars illa certa, & determinata debet dici fuisse producta, quò ipsa linea; atqui ipsa linea producta est ad infinitam distantiam: ergo & illa pars certa, & determinata.

Maior pr. Linea nihil aliud est quàm illa pars certa, & aliæ item certę, & determinatæ: ergo eò pars illa certa, & determinata debet dici fuisse producta, quò ipsa linea.

Solutio: *Linea nihil est aliud, quàm illa pars certa, & determinata, & aliæ item certæ, & determinatæ distributiuè sumptæ*, Nego. *collectiuè sumptæ*, Concedo.

Contrà. Partes qualitatis impulsus v.g. aut grauitatis collectiuè sumptæ non sunt impulsus, aut grauitas infinitè intensa: ergo partes etiam lineæ certę, & determinatæ collectiuè sumptæ non sunt ipsa linea producta infinitè.

Antecedens pr. Partes illius impulsus collectiuè sumptæ, vel habent vim productiuam motus

finitam tantùm, vel etiam infinitam; atqui non habent vim productiuam motus finitam tātùm, neque infinitam: ergo partes impulsus collectiuè sumptæ, non sunt impulsus infinitè intensus.

Respondeo *habere vim productiuam motus infinitam.*

Contrà. Vis productiua motus infinita, est productiua motus in instanti; atqui impossibilis est vis productiua motus in instanti: ergo partes illius impulsus collectiuè sumptæ, non habent vim productiuam motus infinitam.

Maior pr. Vis productiua motus omnium velocissimi est productiua motus in instanti; atqui vis productiua motus infinita, est productiua motus omnium velocissimi: ergo productiua est etiam motus in instanti.

Minor pr. Vis productiua eius motus, quo nullus esse potest velocior, productiua est omnium velocissimi; atqui vis productiua motus infinita, productiua est eius, quo nullus potest esse velocior: ergo vis productiua motus infinita, est productiua motus omnium velocissimi.

Minor pr. Nullus est motus tam velox, cuius vis productiua motus infinita non sit productiua: ergo vis productiua motus infinita productiua est eius, quo nullus esse potest velocior.

Solutio: *Nullus est motus tam velox determinatè sumptus, cuius vis productiua motus infinita non sit productiua*, Concedo. *nullus est motus tam velox, indeterminatè sumptus, cuius vis productiua motus infinita non sit productiua*, Nego. *Ratio est, quia nullus esse potest motus tam velox, quo dari non possit velocior, ac proinde vis produ-*

ctiua motus quantumcunque sit infinita, non potest dici producere posse motum velocissimum omnium, nullus siquidem huiusmodi esse potest.

Contrà. Ex concessis non potest dari motus velocissimus omnium: ergo neque vis productiua motus infinita.

Consequentia probatur. Ratio, quare non possit dari motus velocissimus omnium, est quia esset omnium velocissimus, & non esset velocissimus; atqui vis productiua motus infinita, est etiam infinita, & non est infinita: ergo tam vis productiua motus infinita non potest dari, quàm motus omnium velocissimus.

Respondeo *falsum esse, non esse infinitam.*

Contrà. Quod habet terminum, & finem non est infinitum; atqui vis illa productiua motus infinita habet terminum, & finem: ergo non est infinita.

Minor pr. Illud habet terminum, & finem, extra quod nihil est; atqui extra vim illam productiuam motus, & ea, quæ illam constituunt nihil est: ergo vis illa productiua motus habet terminum, & finem.

Solutio: *Illud habet terminum, & finem extra quod nihil est, hoc est extra cuius vnam partem non est sumenda alia,* Concedo. *extra quod nihil est, hoc est extra cuius partes omnes non sunt alia,* Nego. atqui *extra vim infinitam productiuam motus, & ea, quæ illam constituunt, hoc est extra vnam eius partem non est alia sumenda,* Nego. *hoc est extra collectionem eorum, quæ includit nihil aliud superest sumendum,* Concedo. *Verum hoc non est habere terminum, & fi-*

nem, hic enim non reperitur nisi in iis, in quibus partes ita se habent, vt post eam certam, quæ sumitur non sit alia sumenda, quæ est vera ratio, ob quam dicitur terminus, & finis aliarum. Quod vt patet, non potest habere locum in iis, in quibus cùm nihil sit vltimum, nihil est determinatum vltimò sumendum, extra quod non supersit semper aliud sumendum.

Contrà. Non minùs in vi productiua motus infinita potest sumi vna pars post quam alia non sit sumenda, quàm in diebus infinitis futuris per æternitatem collectiuè sumptis, seu in illorum collectione; atqui in collectione dierum futurorum per æternitatem potest sumi vna pars pòst quam alia non sit sumenda: ergo in vi productiua motus infinita, potest sumi vna pars post quam alia non sit sumenda.

Minor pr. In collectione eorum, quæ seruato ordine prioris, & posterioris sibi succedunt, potest sumi vnum post quod aliud non sit sumendum; atqui dies collectionis futuri per æternitatem sibi succedunt seruato ordine prioris, & posterioris: ergo in collectione dierum futurorum per æternitatem, potest sumi vna pars post quam alia non sit sumenda.

Maior pr. In illa collectione potest sumi vnum, post quod aliud non sit sumendum, in qua datur vltimum; atqui in collectione eorum, quę sibi succedunt seruato ordine prioris, & posterioris datur vltimum: ergo & vnum post quod aliud non sit sumendum.

Solutio: Atqui *in collectione finita eorum, quæ sibi succedunt seruato ordine prioris, & posterio-*

ri, datur vltimum, Concedo. *in collectione infinita*, Nego. ergo *& vnum post quod aliud non sit sumendum in collectione finita*, Concedo. *infinita*, Nego. *Contra naturam enim istius est, vt in ea aliquid sit postremum, cùm de eius ratione sit vt careat fine, & vltimo.*

Contrà Tã potest esse in illa collectione quantumuis infinita vltimum, & postremum, quàm in collectione infinita globorum sese includentium, & quorum primus sit maior secundo, secundus tertio, & sic in infinitum, maximus omnium; atqui in collectione illa globorum potest dari omnium maximus: ergo & in illa alia collectione succedentium sibi seruato ordine prioris, & posterioris postremum, & vltimum.

Minor pr. Ille globus est maximus omnium, qui infinitè distat à primo, & minimo, & excessu infinitò illum superat; atqui in collectione illa globorum, est aliquis qui infinitè distat à primo, & minimo, & infinito excessu illum superat: ergo in collectione globorum maiorum, & maiorũ in infinitũ potest dari maximus omniũ.

Minor pr. Ille globus infinitè distat à primo, & minimo, & excessu infinito illum superat qui adæquat diuinam immensitatem; atqui in collectione illa globorum maiorum, & maiorum est aliquis, qui adæquat diuinam immensitatẽ: ergo est etiam aliquis, qui infinitè distat à primo, & minimo, & infinito excessu illũ superat.

Minor pr. Aliquis illam debet adęquare, vel omnes illi; atqui omnes non adæquant illam: ergo aliquis illam adęquat.

Solutio: *Neganda est maior; quia sicut dixi-*

mus suprà non esse propriè maioritatem, & minoritatem inter duo infinita; ita dicendum est etiam non esse propriè æqualitatem inter illa, hæc enim in rigore, & strictè sumpta non est nisi inter ea, quæ habent extrema, per quæ, & ratione quorum sunt mensurabilia, & deprehendi potest excessus vnius supra aliud. Infinita autem cùm non habeant extrema commensurari non possunt, neque per applicationem vnius alteri dignosci an sit excessus vnius supra aliud, ac proinde de illis in rigore non potest dici æquale, nec inæquale, maius, aut minus totum, aut pars, & similia prædicata, quæ requiruntur in iis, quibus tribuuntur extrema.

Cæterùm cùm in duabus lineis infinitis versus orientem ductis ab spatio, in quo sumus, seruata semper distantia aliqua finita vnius ab alia; aut quo magis recedunt à puncto, à quo incipiunt, eo etiam magis à se inuicem recedentibus, negari non possit esse pars terminationis illius, & rotunditatis quæ dicitur esse in globis maioribus, & maioribus in infinitum. Quemadmodum propterea quòd termini illarum linearum non sint finiti, sed infiniti infinitate sumpta ex incremento distributo in singulas lineas transuersales infinitas, & non collecto in vnam certam, & determinatam, quæ sit omnium vltima; ita etiam quia in illis infinitis globis nullus est vltimus & infinitas illorum nō sumitur ab incremento infinito collecto, & coadunato in vnam certam, & determinatam circulationem, & lineam circumferentiæ, sed distributo per singulos circulos, in quibus tãtùm abest, vt vllus sit vltimus, vt ideo tantùm censeantur infiniti, quia

nullus est assignabilis adeo magnus, quo non detur maior, & incipiendo à primo, & quouis alio sequente, & percurrendo posteriores alios maiores nunquam possit deueniri ad vltimum, & maximum omnium non magis quàm in numeris infinitis, in quibus quantumuis alij aliis sint maiores, nullus tamen est maximus, & vltimus.

Contrà: Numeri circulationum extra æternitatem, quas potuit habere sol ante hodiernam, sunt infiniti; atqui in illis circulationibus datur prima & vltima: ergo etiam in globis, & numeris infinitis datur maximus, & vltimus.

Maior pr. Numeri circulationum quas potuit habere sol extra æternitatem ante hodiernam non sunt finiti: ergo sunt infiniti.

Solutio: *Numeri circulationum, quas potuit habere sol extra æternitatem ante hodiernam non sunt finiti potentia*, Concedo. *actu*, Nego.

Contrà. Illi numeri non sunt finiti actu, in quibus nullus est assignabilis tantus, quo non possit dari maior; atqui nullus est numerus circulationum, quas potuit habere sol extra æternitatem ante hordiernam, quo non possit dari maior: ergo numeri circulationum, quas potuit habere sol extra æternitatem ante hodiernam non sunt finiti actu.

Solutio: *Illi numeri non sunt finiti actu si sint omnes de facto positi, aut poni possint; in quibus nullus est assignabilis tantus, quo non possit dari maior*, Concedo. *si non sint omnes de facto positi & poni non possint simul*, Nego. atqui *in numeris circulationum extra æternitatem elapsam, quas potuit habere sol ante hodiernum, nullus est assi-*

gnabiliū tantus, quo non possit dari maior, & numeri illi non sunt omnes de facto positi, nec poni possunt, Concedo. *& sunt omnes de facto positi, aut poni possunt*, Nego. *cùm enim illud quedita se habet vt secundùm ea qua actu in illo sunt est semper finitum, & cum termino, istóque non caret nisi habita ratione eorum, qua potest habere, non sit infinitum actu, sed tantùm potentia. Circulationes, quas habere potuit sol extra æternitatem ante hodiernam cùm non possint poni nisi in finito numero, & nunquam maximo eorum, qui possunt esse: Illi siquidem, qui supponetur esse, quicumque tandem sit & quantumuis magnus, addi poterunt plures entitates, quibus fiat maior, non possunt ipsa dici infinita actu, sed tantùm potentia.*

Contrà. Circulationes illæ sunt infinitę obiectiuè, & in mente diuina: ergo etiam sunt infinitę actu.

Antecedens pr. Circulationes illæ obiectiuè & in mente diuina sunt omnes de facto, & in illis nullus est numerus assignabilis, quo non possit dari maior: ergo sunt infinitæ obiectiuè, & in mente diuina.

Solutio: *Circulationes illa sunt obiectiuè, & in mente diuina omnes de facto hoc est repræsentantur esse posita omnes extra causas aut poni posse*. Nego. *repræsentantur non posita omnes extra causas, nec poni posse*, Concedo. *Cognitio enim diuina cùm non repræsentet res aliter quàm sint, & ista poni non posint extra causas nisi in numero finito, repræsentare non potest positas, aut qua possunt poni nisi in numero finito, licèt ille non sit.*

certus, in quo nulla est imperfectio, sicut nec quod non possit dicere determinatè quinam oculus sit necessarius ad videndum, aut auris ad audiendum, siquidem cùm nullus determinatè sit necessarius, tantùm abest vt sit imperfectio tribuere duntaxat sub disiunctione necessitatem ad videndum oculo vt ascribere illam determinatè dextro, aut sinistro ignorantia, & erroris excusari non posset.


Quare dicendũ est primò in repræsentatione illa diuina quæ tendit in res prout sunt in se circulationes illas esse tantùm finitas actu, & infinitas potentia cauendámque esse æquiuocationem, quæ fieri posset ex eo, quòd vnica cognitione & simul repræsentetur, illas etiam in se & extra cognitionem esse simul, & omnes poni posse.

Obseruandum est etiam secundò, medium ad probandum multitudinem aliquam esse infinitam, quòd in ea nullus numerus sit assignabilis tantus, quo non possit dari maior, concludere infinitatem illius eo modo, & ea ratione, qua partes illius multitudinis se habent, si sunt omnes actu, & de facto concludere infinitatem actualem, si non sint omnes actu, sed tantùm his certis, & determinatis, quæ sunt, alia & alia addi possint; non concludere nisi infinitatem potentia, cum qua bene stat terminatio actualis,

Contrà. Ex responsione medium, *ille numerus est infinitus, in quo nullus est assignabilis tantus, quo non possit dari maior,* concludit infinitatem actualem in iis, quorum vnitates sunt omnes simul; atqui omnes circulationes, quas potuit habere sol extra æternitatem ante hodiernam, sunt omnes simul in mente diuina, & earũ nullus est:

numerus aſſignabilis tantus, quo non poſſit dari maior: ergo circulationes illæ ſaltem in mente diuina ſunt infinitæ actu.

Solutio ex reſponſione medium; ille numerus eſt infinitus, in quo nullus eſt aſſignabilis tantus, quo non poſſit dari maior, *concludit infinitatem actualem in iis, quorum vnitates ſunt omnes ſimul verè, & realiter extra ſuas cauſas*, Concedo. *non ſunt verè, & realiter extra ſuas cauſas, nec cognitione diuina, cuius ſunt obiectum, repræſentantur eſſe omnes poſita extra ſuas cauſas, ſed ponenda tantùm alia poſt alias*, Nego. atqui *circulationes, quas potuit habere ſol extra æternitatem ante hodiernam ſunt omnes ſimul in mente diuina, hoc eſt, repræſentantur poſita omnes extra cauſas*, Nego. *non repræſentantur poſita omnes extra cauſas, ſed tantùm ponenda alia poſt alias*, Concedo. *ſed hoc non modò non arguit illas eſſe infinitas, vt potiùs probet eſſe verè ſemper actu finitas, & infinitas tantùm potentia.*






TRACTATVS IV.

PHYSICVS.

DE MVNDO, ET COELO.



XPLICATIONI rerum naturalium in communi ſubiungenda eſt explanatio earundem in particulari. Ei dabit initium declaratio mundi, & cœli.



DISPVTATIO I.

de Mundo.



VM mundus ſit totum reſpectu cœli, & hoc reſpectu illius tantùm pars, iure primi tractatio videtur anteponenda ei, quam de ſecundo inſtituemus.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Mundus, quàm perfectus, & quotuplex.

PRIMA CONCLVSIO:

Mundus benè definitur compages ex cœlo, & terra, & reliquis naturis, quæ intra hæc continentur.

MVNDVS benè definitur esse id, quod illi soli conuenit; atqui esse compagem ex cœlo, & terra, & reliquis naturis, quæ intra hæc continentur, seu esse cœlum, terram, & reliquas naturas intra hæc contentas simul sumptas illi soli conuenit: ergo mundus benè definitur compages ex cœlo, & terra, & reliquis naturis, quæ intra hæc continentur.

Minor pr. Alia quibus dici posset conuenire esse compagem ex cœlo, & terra, & reliquis naturis quæ intra hæc continentur, sunt Deus, aut pars aliqua mundi; atqui neque Deus, neque pars aliqua mundi est compages ex cœlo, & terra, & reliquis naturis, quæ intra hæc continentur: ergo esse compagem ex cœlo, & terra, & reliquis naturis, quæ intra hæc continentur, conuenit soli mundo.

Minor pr. Illud non est compages ex cœlo, &c.

terra, & reliquis naturis quæ intra hæc continentur, quod nihil est illius, aut tantùm est illius aliquid; atqui Deus nihil est illius aggregati ex cœlo, & terra, & reliquis naturis, quæ intra hæc continentur, & pars aliqua mundi est tantùm aliquid illius: ergo neque Deus, neque pars aliqua mũdi est cõpages ex cœlo, & terra, & reliquis naturis, quæ intra hæc continentur.

Prima pars minoris clara est; & secunda probatur.

Quod non est totum aggregatum est tantùm aliquid aggregati; atqui pars non est totum aggregatum: ergo pars aliqua mundi est tantùm aliquid illius aggregati.

SECVNDA CONCLVSIO:

Mundus est perfectus secundùm quid.

ILLVD est perfectum secundùm quid, quod est perfectum in suo genere; atqui mundus est perfectus in suo genere: ergo & secundùm quid.

Minor pr. Illud est perfectum in suo genere, cui ad eam rationem, quam habet, nihil deest; atqui mundo ad eam rationem, quam habet, nihil deest: ergo est perfectus in suo genere.

Minor pr. Illi ad eam rationem, quam habet, nihil deest, cui vt sit hoc, quod est, nihil deest; atqui mundo vt sit hoc, quod est, nihil deest: ergo ipsi ad eam rationem, quã habet, nihil deest.

Minor pr. Mundus habet omnia requisita vt sit mundus: ergo ei, vt sit hoc, quod est, nihil deest.

Antecedens pr. Requisita vt aliquid sit mundus sunt cœlum, terra, & naturæ reliquæ intra hæc contentæ, ita dispositæ, vt grauiores sint inferiores, & leuiores superiores; atqui mundus habet hæc omnia: ergo & requisita vt sit mundus.

Obijcies. Illud non est perfectum in suo genere, quod nullo modo est perfectum; atqui mundus nullo modo est perfectus: ergo non est perfectus in suo genere.

Minor pr. Illud nullo modo est perfectum, quod est valdè imperfectum; atqui mundus est valde imperfectus: ergo nullo modo est perfectus.

Minor pr. Illud est valde imperfectum, in quo sunt multa inutilia, multa noxia, & deformia; atqui in mundo sunt multa inutilia, multa noxia, & deformia: ergo est valdè imperfectus.

Minor pr. Illud est inutile, quod non conducit ad finem obtinendum, & illud noxium, quod alteri infert damnum, & illud deforme quod caret perfectione debita; atqui mundus est huiusmodi: ergo in mundo sunt multa inutilia, noxia & deformia.

Solutio: *Illud est inutile, quod non conducit ad finem aliquem particularem obtinendum*, Nego. *ad vllum planè finem*, Concedo. *deinde illud est noxium quod alteri infert damnum, & nulli prodest*, Concedo. *& aliis prodest*, Nego. *sicuti illud est deforme, quod caret perfectione debita, & per illam carentiam non confert ad pulchritudinem aliorum*, Concedo. *si confert, vt aliorum pulchritudo magis appareat*, Nego. *& vice versâ in minori. Sensus est: Illud tantùm debet dici inutile, quod non conducit ad vllum finem, & illud*

noxium, quod omnibus nocet & nulli prodest, ac tandem deforme, quod neque in se pulchrum est, nec confert ad alicuius pulchritudinem clarius manifestandam, quibus similia nulla dantur in mundo.

TERTIA CONCLVSIO:

Mundus vnicus est.

NON possũt dici esse plura aggregata ex cælo & terra, & reliquis naturis intra hæc contentis, quin in illis aggregatis sint naturæ similes his, quæ sunt in isto; atqui in aliis non sunt naturæ, quæ sunt in isto aggregato: ergo vnica tantùm est, & non multiplex compages ex cœlo, & terra, & reliquis naturis, quæ intra hæc continentur.

Minor pr. Vna ex naturis, quæ sunt in isto aggregato est humana; atqui nec homines, nec eorum natura est in illis aliis aggregatis: ergo in illis non sunt naturæ, quæ sunt in isto.

Minor pr. Homines, qui dici possunt esse in illis fuere propagati ab Adamo; atqui homines propagati ab Adamo non sunt in illis aggregatis: ergo nec homines, nec eorum natura est in illis aliis aggregatis.

Minor pr. Adamus fuit productus intra istud aggregatum: ergo homines ab ipso propagati non sunt in aliis aggregatis.

Consequentia pr. Vt homines propagati ab Adamo producto intra istud aggregatum transirent ad alia aggregata, deberent ascendere ad

cœlos, & per illos sibi facere viam; atqui hoc non posse clarum est: ergo homines propagati ab Adamo non sunt in aliis aggregatis.

QVARTA CONCLVSIO:

Plures mundi sunt possibiles.

MVNDVS est compages ex cœlo, & terra, & reliquis naturis; atqui multiplex huiusmodi compages est possibilis: ergo & multiplex mundus.

Minor pr. Multiplex compages ex cœlo, & terra, & reliquis naturis non inuoluit esse, & non esse, neque sui, neque vllius alterius: ergo est possibilis.

Minor pr. Quod dicit tantùm esse multiplex cœlum, multiplicem terrã, & multiplicatas naturas intra hæc duo contentas, non inuoluit esse, & non esse neque sui, neque vllius alterius; atqui multiplex compages ex cœlo, & terrã, & reliquis naturis nihil est aliud, quàm multiplex cœlum, multiplex terra, & reliquæ naturæ intra hæc contentæ multiplicatæ: ergo non inuoluit esse, & non esse, neque sui neque alterius.

Ex dictis inferes primò, mundum dici vnum vnitate non simplicitatis quæ excludit à re cui tribuitur; omnem compositionem, sed aggregationis plurium illorum, quæ simul sumpta dicuntur mundus.

Secundò, perfectionem mundi dici secundùm quid, non tantùm quia non est ens omniũ perfectissimũ, & cõtinẽs omnes omnino perfectiones

possibiles, sed etiam propterea quòd sicut possent esse alij mundi, qui essent hoc nostro imperfectiores, ita possent quoque produci longè perfectiores, perfectione illa maiori sumpta ex creaturis perfectioribus, ex quibus Deus illum constitueret. Creaturæ enim intra nostrum contentæ, quemadmodum non sunt imperfectissimæ omnium, quibus diuina omnipotentia possit dare esse, ita etiam non sunt omnium perfectissimæ, quas Deus possit creare.

SECTIO II.

An mundus productus sit ab æterno, aut potuerit produci, & an sit æternum duraturus.

PRIMA CONCLVSIO:

Mundus incœpit in tempore.

MVNDVS non est productus ab æterno: ergo incœpit in tempore.

Antecedens pr. Illud non est productum ab æterno, quod habet initium suæ durationis; atqui mundus habet initium suæ durationis: ergo mundus non est productus ab æterno.

Minor pr. Illud habet initium suæ durationis, quod est tantùm à quinque millibus annorum aut paulò ampliùs; atqui mundus est tantum à quinque millibus annorum, aut paulò ampliùs:

ergo habet initium suæ durationis.

Maior pr. Mundus est tantùm ab eo tempore, quo productus fuit Adamus; atqui Adamus fuit productus tantùm à quinque millibus annorum aut circiter: ergo mundus est tantùm à quinque mille annis, aut circiter.

Minor pr. Adamus fuit tantùm productus ab iis annorum millibus, qui colliguntur ex Scriptura effluxisse ab eius creatione; atqui ex Scriptura colligitur effluxisse tantùm quinque annorum millia à creatione ipsius, aut circiter: ergo Adamus fuit tantùm productus à quinque annorum millibus, aut circiter.

Minor pr. Ea tantùm annorum millia effluxisse dici debent à productione Adami, quæ colligi possunt ex Genesi, aut ex aliis Scripturæ libris intercessisse inter ipsam, & diluuium, hoc & Christi natiuitatem, istam, & præsentem annum; atqui quinque annorum millia, aut circiter tantùm colligi possunt: ergo non plura effluxere à productione Adami.

Obijcies. Mundus productus est ab æterno: ergo non incœpit in tempore.

Minor pr. Tunc mundus productus est, cùm producta fuere tempus, & motus; atqui tempus, & motus producta fuere ab æterno: ergo & mundus.

Minor pr. Illud est productum ab æterno, quod ab ęterno existit: atqui tempus, & motus ab æterno existunt: ergo fuere producta ab æterno.

Minor pr. Illud existit ab æterno, de quo aliquando non fuit verum dicere non est; atqui de

tempore, & motu nunquam verum fuit dicere non est: ergo existunt ab æterno.

Minor pr. De illo non est verum dicere, aliquando non est, de quo in aliquo tempore non est verum dicere non est; atqui de tempore, & motu non fuit verum dicere, non sunt in aliquo tempore: ergo neque aliquando.

Minor pr. De tempore verum esse dicere in aliquo tempore non est, est, esse tempus, & non esse tempus; atqui non potest dici esse tempus, & non esse tempus: ergo non fuit verum dicere de tempore, non est in aliquo tempore.

Solutio: *De tempore verum esse dicere in aliquo tempore vere non est, est, esse tempus, & non esse tempus*, Concedo. *in aliquo tempore imaginario.* Nego. atqui *non potest esse tempus imaginarium & non esse tempus reale*, Nego. *esse tempus reale, & non esse tempus reale*, Concedo. *Certè si iam Deus destrueret mundum, verum esset dicere, iam non est tempus, neque per hoc sequeretur esse tempus, & non esse, sed tantùm non existere tempus reale in aliquo tempore imaginario.*

Contrà. Non minùs verum tempus fuit ab æterno, quàm alia entia; atqui illa fuêre ab æterno: ergo & verum tempus.

Minor probatur. Ea fuêre ab æterno, quæ Deus ab æterno produxit; atqui Deus produxit alia entia ab æterno: ergo alia entia fuêre ab æterno.

Minor pr. Qui dicit Deum non produxisse illa entia ab æterno, fateri debet Deũ æternùm fuisse otiatum, & æternùm non habuisse domiciliũ; atqui Deus non est æternùm otiatus, & æternùm non

non mansit sine domicilio : ergo produxit illa ab æterno.

Solutio : *Qui dicit Deum non produxisse ab æterno illa entia, fateri debet Deum ab æterno fuisse otiatum, hoc est, nihil produxisse ad extra,* Concedo. *nihil produxisse ad intra,* Nego. *& æternùm mansisse sine domicilio aliquo creato,* Concedo. *sine domicilio, hoc est, sine eo, quod requiritur, vt benè habeat,* Nego. atqui *Deus non est æternùm otiatus, hoc est aliquid produxit ad extra,* Nego. *hoc est aliquid produxit ad intra,* Concedo. *& non mansit æternùm sine domicilio aliquo creato,* Nego. *sine domicilio, hoc est sine eo, quod requiritur vt ei benè sit,* Concedo. *vt autem benè sit Deo nihil extrinsecum ei necessarium est iuxta illud regij vatis* : Deus meus es tu, quia bonorum meorum non eges.

Contrà. Deus ab æterno multa produxit extra se : ergo non mansit æternùm nihil producendo ad extra.

Antecedens pr. Quod exercet suam libertatem aliquid producit ad extra ; atqui Deus ab æterno exercet suam libertatem : ergo Deus produxit aliquid ad extra ab æterno.

Solutio : *Quod exercet suam libertatem aliquid producit ad extra, si sit quid creatum,* Concedo. *si non sit quid creatum,* Nego. atqui *Deus ab æterno exercet suam libertatem, & est quid creatum,* Nego. *& non est quid creatum, sed increatum, & ens à se,* Concedo. *actus liber Dei æternus de non existentia mundi ab æterno, est esse Dei, & negatio mundi ei coexistens.*

Contrà. Actus Dei liber non est Deus, & ne-

gatio mundi : ergo nulla solutio.

Secunda pars antecedentis probatur.

Illud non debet dici vllo modo actus Dei liber, quod nullo modo illum constituit; atqui negatio mundi nullo modo constituit actum Dei liberum: ergo negatio mundi nihil est actus Dei liberi.

Minor pr. Negatio, quę non potest esse obiectum volitionis diuinę non constituit actum Dei liberum; atqui negatio mundi non potest esse obiectum volitionis diuinæ : ergo negatio mundi non constituit actum Dei liberum.

Minor pr. Deus non potest velle negationem mundi : ergo negatio mundi non potest esse obiectum volitionis diuinæ.

Antecedens pr. Deus non potest velle, quod non est melius, quàm quod ei opponitur; atqui negatio mundi non est quid melius, quàm quod ei opponitur: ergo Deus non potest velle negationem mundi.

Maior pr. Qui vult semper melius, non potest velle quod non est melius quàm quod ei opponitur; atqui Deus vult semper melius: ergo Deus non potest velle quod non est melius, quàm quod ei opponitur.

Solutio : *Qui vult semper melius melioritate beneplaciti & obiectiua, seu tenente se, & qua attenditur non tantùm ex volitione, sed etiam ex eius obiecto, non potest velle quod non est melius quàm quod ei opponitur*, Concedo. *melioritate tantùm beneplaciti, & tenente se ex parte volitionis*, Nego. atqui *Deus vult semper melius melioritate beneplaciti*, Concedo. *melioritate be-*

neplaciti, & obiectiua. Nego.

Contrà. Deus vult semper melius melioritate non tantùm beneplaciti, sed etiam obiectiua: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Qui non vult semper, quod est melius melioritate obiectiua, habet aliquam volitionem imperfectam, aut minùs perfectam; atqui Deus nullam habet volitionem minùs perfectam: ergo Deus vult semper, quod est melius melioritate non tantùm beneplaciti, sed etiam obiectiua.

Maior pr. Illa volitio est minùs perfecta, quàm alia, quæ non habet tantùm perfectionis & bonitatis, ac alia; atqui qui non vult semper, quod est melius melioritate obiectiua, habet aliquam volitionē, quæ habet minus perfectionis, & bonitatis, quàm alia: ergo qui nō vult semper quod est melius melioritate obiectiua habet aliquam volitionem minùs perfectam.

Minor pr. Illa volitio habet minus bonitatis quàm alia, quæ habet minus melioritatis; atqui qui non vult semper quod est melius melioritate obiectiua, habet volitionem, quæ habet minus melioritatis, quàm alia: ergo qui non vult sēper quod est melius melioritate obiectiua, habet aliquam volitionem minùs perfectā.

Maior pr. Illa volitio habet minùs melioritatis quàm alia, quæ habet tantùm partem melioritatis istius; atqui qui non vult semper melius melioritate beneplaciti, & obiectiua, habet volitionē, quæ habet tantùm partem melioritatis, quam habet alia: ergo qui non vult semper melius melioritate beneplaciti, & obiectiua, ha-

bet volitionem, quæ habet minus melioritatis, quàm alia.

Solutio: *Illa volitio habet minus melioritatis, quàm alia, quæ habet tantùm partem melioritatis intensiua istius,* Concedo. *extensiua,* Nego. atqui *qui non vult semper melius melioritate beneplaciti & obiectiua, habet volitionem, quæ habet tantùm partem melioritatis intensiua, quam habet alia.* Nego. *extensiua,* Concedo. *Melioritas intensiua est illa, quæ se tenet tota ex parte volitionis, & est adæquatè idem cum ipsa. Extensiua verò est illa, quæ desumitur non ex sola volitione, sed ex ipsa, & eius obiecto, quæ simul sumpta faciunt haud dubiè bonitatem magis extensam, quàm primum ex illis solum sumptum. secundum enim cùm habeat suam propriam bonitatem, superadditum alteri facit quid melius, scilicet extensiuè. Responsio* ergo *vult illud non habere minus melioritatis absolutè, quod non habet minus eius, quæ dicitur intensiua, licèt non habeat tantùm eius, quæ dicitur extensiua.*

Contrà. Melioritas intensiua tenet se tota ex parte volitionis, & est adæquatè idem cum ipsa ex concessis; atqui qui non vult semper melius melioritate beneplaciti, & obiectiua, non habet tantum eius melioritatis quæ tenet se tota ex parte volitionis, & est adęquatè idem cum ipsa: ergo qui non vult semper melius melioritate obiectiua, habet volitionem quæ habet tantùm partem, seu non habet tantum melioritatis intensiuæ, ac alia.

Minor pr. Volitio eius vt condistincta ab obiecto non est tam bona: ergo non habet tantùm

bonitatis eius, quæ se tenet tota ex parte volitionis.

Antecedens pr. Volitio obiecti non ita boni, vt condistincta ab ipso non est ita bona, ac volitio alterius melioris; atqui volitio eius, qui non vult melius melioritate beneplaciti, & obiectiua, est volitio obiecti non ita boni: ergo volitio eius vt condistincta ab obiecto non est tam bona.

Solutio: *Volitio obiecti non ita boni vt condistincta ab ipso non est tam bona, ac volitio alterius melioris, si sermo sit de creata*, Concedo. *si sermo sit de increata*, Nego. *& concessa minori*: ergo *volitio eius vt condistincta ab obiecto non est tam bona si sit sermo de creata*, Concedo. *si sit sermo de increata*, Nego. *Ratio est, quia cùm volitio creata sit perfectionis finitæ accipere potest augmẽtum, & incrementum, & consequenter cùm obiectum habeat vim illud conferendi, dicendum est eam, quæ habet obiectum perfectius cæteris paribus esse perfectiorem, & meliorem. At verò diuina quæcunque, quippe Deus cùm sit infinitè perfecta, hoc est habens omnem omnino perfectionem impossibile est vt accipiat vllum augmentum, sic enim haberet omnem perfectionem, & non haberet aliquam illam, scilicet, quæ faceret illud augmentum. Quare dicendum est omnes esse æquè bonas, & vnam non esse meliorem alia.*

Contrà. Volitio diuina est Deus, & obiectum, atqui Deus, & vnum obiectum, existentia v. g. mundi ab æterno, est quid melius, quàm Deus, & aliud obiectum, scilicet mundi non existentia: ergo vna volitio diuina est melior alia.

Solutio: *Volitio diuina secundùm rectum, & obliquum est Deus & obiectum* Concedo. *secundùm rectum*, Nego. *hoc enim est solus Deus, & concessa minori : ergo vna volitio diuina est melior alia secundùm rectum* Nego. *sumpta secundùm rectum, & obliquum*, Concedo. *Quando enim dicimus vnam volitionem diuinam non esse meliorem alia, hoc intelligimus de ipsa sumpta secundùm id, quod importat in recto essentiam, videlicet diuinam. Non negamus enim obliquum vnius esse perfectius obliquo alterius, existentiam v. g. mundi non existentia eiusdem,*

Cæterum argumentum iam formatum contra infinitatem in perfectione diuinarum volitionũ militat etiam cõtra infinitatem perfectionis essentiæ diuinæ, hæc enim si sumatur sola, & sine creaturis in quibus sunt aliquę perfectiones, non habet illud bonitatis, & melioritatis, quod istæ important, & quod habet cùm sumitur simul cum ipsis, quod tamen non impedit ex mente etiam eorum, qui argumentantur contra nos, quin essẽtia diuina sit infinitè perfecta, & id, quo nihil melius excogitari potest melioritate intensiua, quæ continet eminenter extensiuam, & à qua ista cùm accipiat quidquid est, supponit in ea esse omnem illam perfectionem, quæ ei communicatur, & longè maiorem & secretam ab omni planè admixtione imperfectionis.

SECVNDA CONCLVSIO:

Mundus potuit esse ab æterno secundùm res permanentes.

Res mundi permanentes sunt illæ, quæ habent partes suas omnes simul; atqui res, quæ habent omnes partes suas simul potuere esse ab æterno: ergo & mundus secundùm illas.

Minor pr Existentia ab æterno rerum, quarum partes sunt simul non inuoluit esse, & non esse neque sui, neque vllius alterius: ergo potuit esse ab æterno.

Prima pars antecedentis probatur.

Quod dicit tantùm suam existentiam ab æterno non inuoluit suum esse & non esse ab æterno; atqui existentia ab æterno rerum, quarum omnes partes sunt simul dicit tantùm eas esse ab æterno: ergo existentia rerum, quarum partes sunt simul non inuoluit suum esse ab æterno, & simul non esse.

Secunda pars antecedentis probatur.

Existentia ab æterno rerum, quarum omnes partes sunt simul, inuoluere non potest esse, & non esse vllius alterius rei, quàm causæ illarum productiuæ, & actionis per quam produci debent, aut durationis per quam coëxistere debent æternitati; atqui non inuoluit esse, & non esse neque causæ productiuæ ipsarum, neque actionis, neque durationis: ergo non inuoluit esse, & non esse vllius alterius.

Prima pars minoris probatur.

Causa productiua illarum est Deus: atqui non inuoluit esse, & non esse Dei: ergo non inuoluit esse, & non esse causæ productiuæ ipsarum.

Minor pr. Nō aliter dici potest inuoluere esse, & non esse Dei, quàm quòd supponat eum illas producere liberè, cùm tamen liberè non producat; atqui falsum est, quòd eas liberè non producat: ergo non inuoluit esse, & non esse Dei.

Minor pr. Vt Deus eas liberè producat non aliud requiritur, quàm vt cùm eas producit ita eas producat, vt potuerit non producere; atqui quæ Deus supponitur producere ab æterno, ita producit, vt potuerit non producere: ergo falsum est eas non producere liberè.

Minor pr. Illud Deus ita producit, vt potuerit non producere, à cuius productione potest abstinere pro eo tempore; atqui à productione terræ, quam Deus supponitur producere ab æterno potest abstinere: ergo ita producit, vt potuerit non producere.

Secunda pars minoris superioris argumenti, non inuoluere esse, & non esse actionis, probatur.

Quod non inuoluit esse, & non esse termini alicuius actionis non inuoluit esse, & non esse illius actionis; atqui existentia rerum ab æterno non inuoluit esse, & non esse termini actionis productiuæ ipsarum: ergo non inuoluit esse, & non esse actionis per quam producuntur.

Minor pr. Termini illius actionis sunt ipsæmet res; atqui non inuoluit esse & non esse istarum rerum: ergo non inuoluit esse, & non esse termini illius actionis.

Tertia pars argumenti superioris, scilicet non inuoluere, esse & non esse durationis, probatur.

Ratio, quæ afferri posset cur inuoluat esse & non esse durationis est, quòd duratio æterna permanens sit impossibilis: atqui huiusmodi duratio æterna non est impossibilis: ergo non inuoluit esse, non esse durationis.

Minor pr. Non magis duratio æterna permanẽs à parte antè est impossibilis, quàm à parte pòst: atqui à parte pòst non est impossibilis ex probatis tractatu præcedenti: ergo nec à parte antè.

Obiicies. Quod est quid creatum non potest esse ab æterno: atqui mundus secundùm res permanentes est aliquid creatum: ergo mundus secundùm res permanentes non est ab æterno.

Maior pr. Quod potest esse ab æterno est Deus: atqui nihil creatum potest esse Deus: ergo quod est quid creatum nõ potest esse ab æterno.

Maior pr. Quod potest esse ab æterno habet æternitatem: atqui quod habet æternitatem ex SS. PP. argumentantibus contra Arrianos, est Deus: ergo quod potest esse ab æterno est Deus.

Solutio: *Quod potest esse ab æterno habet æternitatem necessariam, vel non necessariam*, Concedo. *necessariam tantùm*, Nego. atqui *quòd habet æternitatem necessariam est Deus*, Concedo. *non necessariam*, Nego. *huiusmodi autem eam haberet tantùm res producta ab æterno.*

Ad impugnandam distinctionem: Supponunt, *actum fidei diuina produci ab æterno: qui dicat ergo, & mecum producta durabunt per æternitatem, & sic argumentantur.*

Ille actus est productus ab æterno; atqui ipse

& cætera cum ipso pro ducta habent æternitatem necessariam: ergo quod est ab æterno habet æternitatem necessariam.

Solutio: Atqui *ille actus, & alia cum ipso producta habent æternitatem necessariam necessitate omnimoda*, Nego. *necessitate hypothetica*, Concedo. ergo *quod est ab æterno habet æternitatem necessariam necessitate omnimoda, vel hypothetica*, Concedo. *omnimoda tantùm*, Nego.

Contrà. Non magis ille actus, & alia cum ipso producta habent æternitatem necessariam hypotheticam, quàm eorum actio productiua; atqui ista non habet æternitatem necessariam hypoteticam: ergo neque actus ille, & alia cum ipso producta.

Minor pr. Actio productiua illius actus, & aliorum simul cum ipso productorum est eadem cũ ipsorum conseruatione; atqui conseruatio ipsorum non habet æternitatem necessariam hypotheticam: ergo neque actio eorundẽ productiua.

Minor pr. Illud non habet æternitatem; & non est æternum, quod præsupponit aliquid se prius; atqui conseruatio illius actus, & aliorum simul cum ipso productorum præsupponit aliquid se prius: ergo non habet æternitatem.

Solutio: *Illud non est æternum, quod præsupponit aliquid se prius realiter*, Concedo. *formaliter tantùm*, Nego. atqui *conseruatio illius actus, & aliorum simul cum ipso productorum præsupponit aliquid se prius realiter*, Nego. *formaliter*, Concedo.

Contrà. Conseruatio illius actus præsupponit primam productionem; atqui prima productio est aliquid prius realiter conseruatione ab æter-

no: ergo præsupponit aliquid prius realiter.

Maior pr. Conseruatio ab æterno præsupponit productionem; atqui non præsupponit aliam, quàm primam: ergo præsupponit primam.

Solutio: *Conseruatio ab æterno præsupponit realiter productionem*, Nego. *formaliter*, Concedo. atqui *non potest præsupponere realiter aliam, quàm primam*, Concedo. *formaliter*, Nego.

Contrà. Conseruatio ab æterno non distinguitur formaliter à productione: ergo non præsupponit illam formaliter.

Antecedens pr. Idem est conceptus vtriusque: ergo non distinguuntur formaliter.

Solutio: *Negandum est antecedens, & dicendum conceptum productionis vt sic importare tantùm dare esse; conseruationis verò superaddere dare illud habenti, etiam possidenti.*

Vt agant contra distinctionem.

Supponunt *effectũ aliquem secundò produci duplici actione totali: & hoc posito sic argumentãtur:*

Duplex illa actio non est conseruatio; atqui vna quæque ex illis dat esse effectui illud habenti: ergo conceptus conseruationis non est dare esse effectui illud habenti.

Solutio: Atqui *vnaquaque ex illis actionibus dat esse effectui illud primò habẽti*, Concedo. *illud secundò, tertiò &c. habenti*, Nego. ergo *conceptus conseruationis non est dare esse effectui illud primò habenti*, Concedo. *secundò, tertiò, & quartò habenti*, Nego. *conseruatio autẽ æterna quomodocunque sumatur est datio esse rei habẽti illud non tantùm diebus aliquot, sed annis, sæculis, & æternitate.*

Contrà. Cõseruatio illa æterna dãs esse effectui

illud secūdò, tertio, & quartò habēti, debet esse à Deo necessariò, vel à libere operāte; atqui neutrū dici potest: ergo conseruatio æterna non est datio esse habenti illud secundò, tertiò, & quartò.

Respondeo, *esse à Deo liberè*.

Contrà. Illud nō est liberè à Deo, ad cui⁹ productionem non habet indifferentiam; atqui Deus non habet indifferentiam ad productionem illius conseruationis: ergo non est à Deo libere.

Minor pr. Deus non habet indifferentiam ad illud, ad quod habet determinationem; atqui fuit semper determinatus ad dandum esse, & ad productionem illius conseruationis: ergo non habet indifferentiam ad illam.

Solutio: *Deus non habet indifferentiam in actu primo ad illud, ad quod habet determinationem in actu primo*, Cōcedò. *ad quod habet tantùm determinationem in actu secundo*, Nego. atqui *Deus fuit semper determinatus ad dandum esse conseruationi illi ab æterno in actu primo*, Nego. *determinatus in actu secundo*, Concedo. *Ratio responsionis est, quia cū causa, quæ ita dat esse effectui vt possit non dare, dicatur indifferens ad illum, & ad eundem indeterminata in actu primo, quamuis per suus productionem determinetur in actu secundo Deus ita dat esse illi conseruationi, vt potuerit non dare. Nihil enim fuit quod ipsum necessitaret ad dandum ei illud esse,*

TERTIA CONCLVSIO:

Res ab æterno producta æternùm immutata permaneret.

ILLVD æternùm immutatum permaneret

quod æternum retineret statum, in quo est productum; atqui res ab æterno producta retineret æternùm statum, in quo est producta: ergo res ab æterno producta æternùm immutata permaneret.

Minor pr. Illud retinet æternùm statum, in quo est productum, quod retinet illum infinitis annis; atqui res ab æterno producta retinet statum, in quo est producta infinitis annis: ergo & æternùm.

Minor pr. Debet illum retinere infinitis annis, vel tantùm finitis; atqui dici non potest, quòd tantùm retineat illum finitis annis: ergo retinet illum infinitis.

Minor pr. Quod retinet tantùm aliquem statum finitis annis, à sua productione non est ab æterno; atqui ista res est ab æterno: ergo non retinet tantùm suum statum finitis annis.

Maior pr. Quod retinet tantùm aliquem statum annis finitis, non est prius quàm sint illi anni; atqui anni finiti non sunt ab æterno: ergo quod retinet tantùm statum in quo est productum finitis annis, à sua productione non est ab æterno.

Obÿcies. Stupa produci potest ab æterno; atqui stupa producta ab æterno manere non debet æternùm immutata: ergo res ab æterno producta non manet immutata æternùm.

Minor pr. Illud manere non debet æternùm immutatum, quod æternùm manere non debet in statu, in quo est productum; atqui stupa manere non debet æternùm in statu, in quo est producta: ergo neque æternùm immutata.

Vt probetur minor.

Supponunt *stupam produci simul cum igne ipsi applicato, & hoc posito sic argumentantur:*

Producta est stupa illa sine combustione; atqui manere non debet æternùm sine combustione: ergo stupa illa manere non debet æternùm in statu, in quo est producta.

Minor pr. Vt maneat sine combustione debet ignis illam non comburere; atqui ignis manere non potest æternùm illam non comburendo: ergo manere non debet æternùm sine cōbustione.

Minor pr. Ignis abstinere non potest æternùm ab illius combustione: ergo manere non potest æternùm illam non comburendo.

Antecedens pr. Illud abstinere non potest ab illa comburēda, quod necessitatur ad illam comburendam; atqui ignis necessitatur ad illius cōbustionem: ergo ab ea abstinere non potest.

Minor pr. Agens necessarium necessitatur ad agendum; atqui ignis est agens necessarium; & eius actio est combustio stupæ: ergo ignis necessitatur ad comburendam stupam.

Solutio: *Agens necessarium necessitatur ad agendum positis omnibus ad agendum requisitis,* Concedo. *deficiente aliquo,* Nego. *& concessa minori: ergo ignis necessitatur ad comburendam stupam positis omnibus ad agendum requisitis,* Concedo. *deficiente ex illis aliquo,* Nego. *Quod autem deest igni ad comburendam stupam est concursus Dei, qui negatur igni, propterea quòd, cùm Deus illam produxerit ab æterno, debet etiam æternùm illam conseruare, ne verum sit illam esse ab æterno, & non esse.*

QVARTA CONCLVSIO.

Mundus secundùm res fluentes, & successiuas non potest esse ab æterno.

MOTVS, & mutatio non possunt esse ab æterno: ergo neque mundus secundùm res fluentes, & successiuas.

Antecedens pr. Desitio, & derelictio non possunt esse ab æterno; atqui motus, & mutatio sunt essentialiter desitio, aut derelictio: ergo non possunt esse ab æterno.

Respondent: *Desitio, aut derelictio vna tantùm, aut plures finitæ non possunt esse ab æterno*, Concedunt. *vna continens infinitas*, Negant. *& concessa minori*: ergo *motus & mutatio continens tantùm finitas derelictiones nō potest esse ab æterno*. Concedunt. *continens infinitas desitiones*, Negāt.

Contrà Infinitæ desitiones non magis possunt dici esse ab æterno, quàm vna sola; atqui vna sola ex concessis non potest esse ab æterno: ergo neque vna continens infinitas.

Maior pr. Infinitas non aufert desitionibus id, per quod sunt incompossibiles cum æternitate: ergo non magis infinitæ possunt esse ab æterno, quàm vna sola.

Antecedens pr. Id per quod desitio est incompossibilis cū æternitate, est quod destruat perseuerantiam status, in quo res est producta; atqui infinitas hoc non adimit desitionibus: ergo infinitas non aufert desitionibus id, per quod sunt incompossibiles cum æternitate.

Minor probatur. Infinitas nihil aliud addit, aut confert desitionibus, quàm vt sint infinitæ non perseuerantiæ status, in quo res est producta; atqui huiusmodi non perseuerantiæ non sunt perseuerantia: ergo infinitas non aufert desitionibus hoc, quod est destruere perseuerantiam status, in quo res est producta.

Maior pr Infinitas nihil aliud addit derelictionibus, quàm hoc, quod est esse infinitas; atqui ipsę sunt non perseuerantia status, in quo res est producta: ergo infinitas nihil aliud addit desitionibus, quàm vt sint infinitę non perseuerantiæ status, in quo res est producta.

Minor pr. Id, quod dicit duplicem statum rei successiuum est non perseuerantia status, in quo res est producta; atqui desitio dicit duplicem statum rei successiuum: ergo desitio est non perseuerantia status in quo res est producta.

Minor pr. Dicit existentiam rei, & eiusdem non existentiam: ergo & duplicem eius statum successiuum.

Obijcies Motus, & mutatio possunt esse ab æterno: ergo & mundus secundùm res fluentes, & successiuas.

Antecedens pr. Tam motus potest esse ab ęterno, quàm in æternum; atqui motus potest esse in æternum: ergo & ab æterno.

Maior pr. Ideo motus potest esse in ęternum, quia anni, quibus est futurus sunt infiniti; atqui etiam anni, à quibus potuit esse sunt infiniti: ergo tam motus potest esse æterno, quàm in ęternum.

Solutio: *Ideo motus potest esse in æternum; quia*

anni, quibus futurus est sunt infiniti infinitate syncategorematica, & proportionata æternitati, cui correspondent, Concedo. *infinitate categorematica, qualis est ea, quæ respondet æternitati à parte antè*, Nego. atqui *etiam anni, à quibus mundus potuit esse sunt infiniti infinitate categorematica, & simpliciter dicta, qualis esse deberet, vt posset dici correspondere æternitati à parte antè*, Nego. *infinitate syncategorematica, & secundùm quid*, Concedo.

Contrà Tam benè infinitas annorum in æternitate à parte pòst est categorematica, ac illa, quæ corresponderet æternitati à parte antè; atqui illa potest esse ex concessis: ergo & ista.

Maior pr Ideo secunda esset categorematica, quia verum esset dicere de illa, fuisse; atqui de prima verum est etiam dicere, erit: ergo tam benè infinitas annorum in æternitate à parte pòst est categorematica, ac illa, quæ correspondet æternitati à parte antè.

Solutio: *Ideo secunda esset categorematica, quia verum esset dicere de illa, fuisse, & illud fuisse includit infinitas vnitates actu positas*, Concedo. *& non includit infinitas vnitates actu positas, sed tantùm ponendas*, Nego. Atqui *de prima verum est etiam dicere erit, & futura est, & illud erit includit infinitas vnitates actu positas*, Nego. *finitas positas, & alias ponendas*, Concedo. *Certè apud omnes illud, quod habet tantùm finitas vnitates actu positas, quantumuis habeat alias sine numero ponendas, dicitur tantùm infinitum potentia, & secundùm quid. Ad infinitum enim simpliciter, & categorematicum requiruntur vnitates infinitæ*

actu posita. Atqui hinc sumi potest noua ratio in confirmationem conclusionis. Sicut enim fieri non potest, vt infinitas successiua à parte post tota sit vnquam præterita, & nihil eius supersit prætereundum. Sic enim in ea nihil esset posterius addendum. vt supponimus, & esset aliquid posterius addendum. In eo enim, quod supersit aliquid semper huiusmodi addendum consistit eius infinitas: ita similiter in infinitate successiua à parte antè si daretur, admittendum esset nihil habere prius prout requiritur ad æternitatem, & habere aliquid prius, prout requiritur ad successionem.

Contrà. Illa infinitas est categorematica, in cuius vnitatibus nulla est vltima; atqui in vnitatibus infinitatis annorum futurorum nulla est vltima: ergo est verè categorematica.

Solutio: *Illa infinitas est verè categorematica, in cuius vnitatibus actu positis nulla est vltima*, Concedo. *ponendis tantùm*, Nego. Atqui *in vnitatibus infinitatis annorum futurorum nulla est vltima*, Concedo. *actu positis*, Nego. *hodierna enim, hodie, est verè vltima actu posita, & cras crastina, & sic consequenter.*

QVINTA CONCLVSIO:

Mundus vt nunc est, non est æternùm duraturus.

MVNDVS, vt nunc est, includit generationes hominum, & animalium alias aliis succedentes: atqui huiusmodi generationes non sunt æternùm duraturæ: ergo mundus vt nunc est, non est æternùm duraturus.

Minor pr. Quod intra certum numerum annorum finietur non est æternùm duraturum; atqui intra certum annorum numerum generationes hominum, & animalium aliæ aliis sibi succedẽtes finientur: ergo non sunt duraturę ęternùm.

Minor pr. Dies extremi iudicij futurus est intra certum numerum annorum; atqui huiusmodi generationes finientur in die extremi iudicij ex Scriptura, & SS. PP. ergo & intra certum numerum annorum.

SEXTA CONCLVSIO:

Mundus vt nunc est posset durare æternùm.

NIHIL aliud mundi vt nunc est dici potest non duraturum æternùm, quàm generationes hominum, & animalium; atqui generationes hominum, & animalium possent æternùm durare: ergo & mundus vt nunc est.

Minor pr. Perseuerantibus principiis actiuis, & passiuis generationum possunt, & ipsæ perseuerare; atqui principia actiua, & passiua generationum hominum, & animalium possunt ęternùm perseuerare: ergo & ipsę generationes æternùm durare.

Minor pr. Principia actiua, & passiua generationum sunt res permanentes, homines scilicet, aut animalia; atqui res permanentes ex secunda conclusione possunt æternùm perseuerare: ergo & principia actiua, & passiua generationum.

Obijcies. Mundus vt nunc est includit genera-

tiones hominum, & animalium; atqui illę non sunt duraturę æternùm: ergo neque mundus vt nunc est.

Minor pr. Generationes non sunt plus duraturę, quàm ipsarum principia actiua, & passiua cum sufficientibus viribus ad ipsas ponendas; atqui ipsarum principia actiua, & passiua cum sufficientibus viribus ad ipsas ponendas non sunt duratura æternùm: ergo neque ipsę,

Minor pr. Vires requisitæ in principijs actiuis, & passiuis generationum sunt certa ætas, & determinata magnitudo; atqui non possent perseuerare æternùm attingentia semper huiusmodi ætatem, & magnitudinem: ergo neque cum sufficientibus viribus ad ponendas generationes

Minor pr. Illa non deb ent dici posse semper attingere huiusmodi ætatem, & magnitudinem, quorũ ætas, & magnitudo semper decrescet, donec omnino finiatur; & cesset; atqui ætas, & magnitudo principiorum actiuorum, & passiuorum generationis hominum v. g. semper decrescet, donec tandem omnino cesset, & pereat: ergo principia actiua, & passiua huiusmodi generationum, non possent perseuerare æternùm attingentia semper huiusmodi ætatem, & magnitudinem.

Minor pr. Non minùs ætas hominum, & magnitudo semper decrescet, quàm decreuerit; atqui semper decreuit: ergo & semper decrescet.


Minor pr. Ætas, & magnitudo, quæ fuit maior duobus primis mille annis mũdi, quàm paulò post diluuium, & paulo post diluuium, quàm ante adventum Christi, & tempore Christi Do-

mini, quàm nunc, semper decreuit; atqui ita se habuit ætas, & magnitudo hominum: ergo ætas, & magnitudo hominum semper decreuit.

Solutio: *Neganda est minor, & dicendum verum quidem esse ætatem hominum initio mundi, & paulo post diluuium, fuisse maiorem quàm nunc sit, sed hoc fuisse ex peculiari Dei prouidentia, vt sic faciliùs, & citius multiplicari posset genus humanum, qui finis cùm iam cessarit multiplicatis adeo hominibus, mirum esse non debet quòd desierit illa prouidentia in protrahendis adeò illorum annis, qui tamen vt liquet ex historiis non sunt minores in multis, quàm fuerint in iis, qui viuebant tempore Christi. Dixi suprà ætatem, quia certum videtur magnitudinem nullo modo iam imminutam. Cùm enim illa Christi Domini esse debeat regula aliarum, etiam illius Adami, & primorum hominum, & aliunde constet multos ex iis, qui nunc viuunt illam attigisse, clarum est magnitudinem hominum non decreuisse.*

Ex dictis inferes primò, certiores nos esse de tẽpore incœptionis mundi, quàm de eo desitionis eiusdem. Sacræ enim paginæ quæ subministrant nobis varia, ex quibus colligi potest primũ: eædem asserunt Deum ignotum nobis voluisse esse secundum, cùm pronuntiantem Christum inducunt neminem scire diem extremi iudicij, per quem terminabitur duratio mundi.

Secundò, æternitatem Dei in hoc differre ab æternitate creaturæ productæ ab æterno, & in æternum conseruandæ, quòd ista sit non tantùm dependens, sed præterea accidens: diuina verò sit independens, & substantialis.



DISPVTATIO II.

De natura Cœli, eiúsque proprietatibus.

SECTIO I.

An cælum sit corpus simplex, vel compositum.

PRIMA CONCLVSIO:

Cælum est corpus compositum ex materia, & forma.



CORPVS naturale est compositum ex materia, & forma; atqui cœlum est corpus naturale: ergo cœlum est corpus compositum ex materia, & forma.

Distinguunt aduersarij, *corpus naturale est compositum ex materia, & forma prout naturale significat, id, quod opponitur supernaturali*, Nego. *prout significat constans naturis*, Concedo. *& ad minorem*; atqui *cœlum est corpus naturale, prout naturale opponitur supernaturali*, Concedunt. *prout significat constans naturis*, Negant.

Contrà. Cœlum est corpus naturale, prout naturale significat constans naturis: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Illud constat naturis, in quo

dantur veræ transmutationes; atqui in cœlo dantur veræ transmutationes : ergo verè constat naturis.

Minor pr. Generatio cometarum, astrorum, &c. sunt veræ transmutationes; atqui illæ dantur in cœlis ex astronomis, & probabitur conclusione tertia : ergo in cœlo dantur veræ transmutationes.

Obijcies. Illud non est compositum ex materia, & forma, quod est corpus simplex; atqui cœlum est corpus simplex : ergo cœlum non est corpus compositum ex materia, & forma.

Minor pr. Debet esse aliquid in mundo, quod sit corpus simplex; atqui istud non potest esse nisi cœlum : ergo cœlum est corpus simplex.

Solutio: Atqui *istud esse non potest aliud quàm cœlum empyreum*, Concedo. *aliud ab empyreo*, Nego. ergo *Cœlum empyreum est corpus simplex*, esto; *alij ab empyreo*, Nego.

Contrà. Quod est verè cœlum est corpus simplex; atqui alij ab empyreo sunt verè cœli: ergo sunt corpus simplex.

Maior pr. Quod est quinta substātia simplex, est verè corpus simplex; atqui quod est verè cœlum, est quinta substantia simplex ex Aristotele : ergo quod est verè cœlū est corpus simplex.

Solutio: *Quod est quinta substantia simplex, est verè corpus simplex per exclusionem compositionis ex materia, & forma*, Nego. *per exclusionem mixtionis primarum qualitatum, aut combinationis*, Concedo. *Ratio est, quia quauis simplicitas non excludit omnem compositionem, ac proinde licèt in cœlo admittatur aliqua, illa non est cen-*

ſenda excludere magis compoſitionem ex materia, & forma, quàm ex partibus integrantibus, quam omnes ei tribuunt, neque per hoc coguntur negare contra Ariſtotelem cœlum eſſe corpus ſimplex.

SECVNDA CONCLVSIO:

Materia cœlorum eſt eiuſdem ſpeciei cum ſublunari.

ILLA materia eſt eiuſdem ſpeciei cum ſublunari, quæ eſt ſuſceptiua formarum, quas illa ſuſcipit; atqui materia cœlorum eſt ſuſceptiua formarum, quas ſuſcipit materia ſublunaris: ergo materia cœlorum eſt eiuſdem ſpeciei cum ſublunari.

Minor pr. Formæ, quas ſuſcipit materia ſublunaris, ſunt formæ aquæ, ignis, &c. atqui materia cœlorum ſuſcipit formam aquæ, ignis, &c. ergo eſt ſuſceptiua formarum, quas ſuſcipit materia ſublunaris.

Minor pr. Materia cœlorum eſt ſuſceptiua illarum formarum, quas in illam inductas fuiſſe ſcimus; atqui ſcimus fuiſſe inductas in illam formas aquæ, ignis, &c. ergo ſuſcipit formam aquæ, ignis, &c.

Minor pr. Initio mundi inducta fuit forma aquæ in materiam cœli, & ab aliquot annis forma ignis in eandem: ergo in materiam cœli inductæ fuêre formæ aquæ, & ignis.

Antecedens pr. Forma aquarum productarum initio mũdi erat vera forma aquæ, & forma co-

metæ

metæ vera forma ignis; atqui forma aquarum illarum, inducta fuit in materiam cœli, & etiam forma cometæ ab aliquot annis: ergo initio mundi inducta fuit forma aquæ in materiam cœli, & ab aliquot annis forma ignis in eandem.

Prima pars minoris probatur.

Forma aquarum inducta fuit in illam materiam, ex qua illam expulit forma cœli; atqui forma cœli expulit ex materia in qua est, formam aquæ: ergo forma aquarum inducta fuit in materiam cœli.

Minor pr. Forma cœli expulit formam eius compositi, ex quo productum fuit; atqui cœlum productum fuit ex aquis prima die factis: ergo expulit formam aquæ ex materia in qua est.

Antecedens pr. Cœli producti sunt ex istis aquis, vel omnino de nouo; atqui non sunt facti omnino de nouo: ergo producti sunt ex aquis prima die factis.

Minor pr. Cœli non possunt dici producti omnino de nouo, quin aquæ, in quorum loco sunt sint etiam destructæ omnino; atqui aquæ illæ non sunt omnino destructæ: ergo neque cœli facti omnino de nouo.

Minor pr. Non est probabile Deum produxisse prima die tantam molem aquarum, vt eam deinde secundo die destrueret: ergo aquæ illæ non sunt omnino destructæ.

Secunda pars minoris argumenti superioris, formam scilicet cometæ inductam fuisse in materiam cœli, probabitur sequenti conclusione.

TERTIA CONCLVSIO:

Cœli ſunt corruptibiles.

ILLVD eſt corruptibile, in quo dantur veræ tranſmutationes; atqui in cœlis dantur veræ tranſmutationes: ergo cœli ſunt corruptibiles.

Minor pr. Generationes cometarum, & aſtrorum ſunt veræ tranſmutationes; atqui in cœlis dantur huiuſmodi generationes: ergo & tranſmutationes.

Minor pr. Productio ſtellę, quæ dicitur Caſſiopeia, & cometę, qui apparuit anno 1618. ſunt veræ generationes; atqui illę dantur in cœlis: ergo in cœlis dantur verę generationes.

Prima pars minoris probatur.

In illo datur generatio cometæ, in cuius materiam inducitur forma cometę; atqui in materiam cęlorum inducitur forma cometæ: ergo in cælo datur generatio cometæ.

Minor pr. Forma cometæ qui apparuit anno 1618. inducta fuit, vel in materiam cœli, vel in materiam exhalationum; atqui non fuit inducta tantùm in materiam exhalationum: ergo forma cometæ inducitur verè in materiam cælorum.

Minor pr. Forma illius cometę inducta non fuit in materiam, qua maior erat; atqui forma illius erat longè maior materia exhalationum: ergo inducta non fuit tantùm in materiam exhalationum.

Minor pr. Quod eſt ferè æquè magnum, ac terra, eſt longè maius materia exhalationum; atqui forma cometæ illius erat æquè magna, ac terra: ergo erat longè maior materia exhalationũ,

Minor pr. Quod est longè maius luna est ferè æquè magnum, ac terra; atqui forma illius cometæ erat longè maior luna: ergo forma illius cometæ erat æquè magna, ac terra.

Minor pr Quod distat à nobis longiùs luna, & videtur illa maius per idem medium, est verè illa maius; atqui forma illius cometæ longiùs distabat à nobis quàm luna, & per idem medium videbatur longè maior; ergo erat longè maior luna.

Prima pars minoris probatur.

Quod est supra lunam longiùs distat à nobis luna; atqui ille cometa deprehensus fuit ab astrologis supra lunam: ergo longiùs distabat à nobis quàm luna.

Obijcies. Illud non est corruptibile, quod neque ab extrinseco, neque ab intrinseco dici potest corruptibile; atqui cœlum non est corruptibile, neque ab extrinseco, neque ab intrinseco: ergo non est corruptibile.

Prima pars minoris probatur, secunda enim clara est.

Illud non est corruptibile ab extrinseco, quod non habet, à quo corrumpatur; atqui cœlum non habet, à quo corrumpatur: ergo cœlum non est corruptibile ab extrinseco.

Minor pr. Illud non habet, à quo corrumpatur, quod non fugit illud, à quo dicitur corrumpi; atqui cœlum non fugit illud, à quo dicitur corrumpi: ergo non habet à quo corrumpatur.

Respondeo: *Illud non habet, à quo corrumpatur, quod non fugit illud, à quo dicitur corrumpi, si sit locus, quò possit fugere,* Concedo. *si non sit,* Nego.

atqui *cœlum non fugit illud à quo dicitur corrumpi, & est locus, quò possit fugere* · Nego. *& non est locus*, Concedo.

Contrà. Quod non habet locum, quò fugiat illud, à quo corrumpitur, frequentes & notabiles subit corruptiones; atqui cœlum non subit frequentes, & notabiles corruptiones: ergo falsum est cœlum non habere locum, quò fugiat illud, à quo dicitur corrumpi.

Respondeo: *Quod non habet locum, quò fugiat illud, à quo corrumpitur, frequentes, & notabiles subit corruptiones, si non multum resistat illis agentibus corruptiuis*, Concedo. *si valdè resistat*, Nego. atqui *cœlum non subit frequentes, & notabiles alterationes propterea quòd multum resistat agentibus corruptiuis*, Concedo. *remota illa magna resistentia*, Nego.

Contrà. Cœlum ex suppositione, quòd sit corruptibile non est valdè resistitiuum: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Ratio, quare dicatur corruptibile, est, quia in illo generantur cometę; atqui illud, in quo generantur cometæ non est valdè resistitiuum: ergo ex suppositione, quod sit corruptibile non est valdè resistitiuum.

Minor pr. Illud non est valdè resistitiuum, quod cedit actioni agentium introducentium formã cometæ; atqui illud in quo generantur cometæ, cedit actioni agentium introducentium formam cometę: ergo illud in quo generantur cometæ, non est valdè resistitiuum.

Maior pr. Agentia introducentia formam cometæ non sunt valdè actiua; atqui quod cedit

actioni eorum, quæ non sunt valdè actiua, non est valdè resistitiuum: ergo illud non est valdè resistitiuum, quod cedit actioni agentium introducentium formam cometæ.

Maior pr. Agentia introducentia formam cometæ sunt ignis, qui est in concauo lunæ; atqui ignis, qui est in concauo lunæ non est valdè actiuus: ergo neque agentia introducentia formam cometæ.

Respondent: *Agentia introducentia formam cometa sunt ignis, qui est in concauo luna solus,* Nego. *simul cum alijs astris,* Concedo. atqui *ignis, qui est in concauo luna, non est valdè actiuus solus,* Concedo. *simul cum alijs astris,* Nego.

Contrà. Alia astra non concurrunt simul cum igne ad introducendam formam cometæ: ergo nulla solutio.

Solutio: *Alia astra non concurrunt simul cum igne ad introducendam formam cometa, cùm augetur intra cœlum,* Concedo. *cùm primò producitur prope cœlum,* Nego.

Contrà. Cometa non augetur nisi vbi primò producitur; atqui non primò producitur intra cœlum: ergo cometa non augetur intra cœlum.

Maior pr. Vt augeatur vbi non producitur debet eò fuisse delatus; atqui eò non fuit delatus: ergo non augetur nisi vbi primò producitur.

Minor pr. Non potuit eò deferri nisi vel à se, vel ab alio; atqui eò non est delatus neque à se, neque ab alio: ergo non fuit eò delatus.

Respondeo *delatum fuisse ab alio.*

Contrà. Illud aliud non potest esse nisi astrum aliquod, quod ipsum eò traxerit; atqui nullum

astrum illum eò traxit : ergo non est eò delatus ab alio.

Minor pr. Cometa ille attractus intra cœlum debet esse immensæ pænè molis ; atqui dici non potest immensæ pænè molis : ergo nullum astrum illum eò traxit.

Minor pr. Cometa immensæ pænè molis attractus intra cœlum diutiùs duraret, quàm qui nobis apparet ; atqui non diutiùs durat : ergo non est eò attractus.

Solutio : *Cometa immensa pænè molis attractus intra cœlum diutiùs duraret, quàm qui nobis apparet, si non oppugnetur*, Concedo. *si oppugnetur*, Nego. atqui *non diutiùs durat quod oppugnetur*, Concedo. *si non oppugnaretur*, Nego.

Contrà Non potest dici oppugnari nisi ab iis, quæ inducunt diuersam formam à forma cometæ ; atqui non sunt ibi quæ inducant diuersam formam à forma cometæ: ergo nō oppugnatur.

Minor pr. Forma illa diuersa à forma cometæ non potest esse alia, quàm forma cœli ; atqui non potest esse forma cœli : ergo non sunt ibi, quæ inducant diuersam formam à forma cometæ.

Minor pr. Ibi non sunt agentia introductiua formæ cœli : ergo non potest esse forma cœli.

Solutio : *Negatur antecedens, quia aliæ partes cœli, & alia astra habent vim productiuam formæ cœli. Certè si est aliqua causa habens vim eius destructiuam, negandum non est, quin alia habeant vim eius productiuam, maximè cùm nouæ stellæ productæ dicantur ab astronomis.*

QVARTA CONCLVSIO:

Cœli non ſunt animati.

COELVM non eſt viuens: ergo non eſt animatum.

Minor pr. Illud non eſt dicendum viuere, de quo nullum habemus fundamentum id aſſerendi; atqui nullum habemus fundamentum dicendi cœlos viuere: ergo cœlum non eſt viuens.

Minor pr. Fundamentum ad aſſerendum aliquid viuere ſunt operationes vitæ; atqui nullum habemus indicium operationes vitæ eſſe in cœlis: ergo nec illos viuere.

Minor pr. Operationes vitæ ſunt vegetatio, ſenſatio, & intellectio; atqui in cœlis non eſt vegetatio, ſenſatio, neque intellectio: ergo nec operationes vitæ.

Obijcies. Cœlum viuit: ergo eſt animatum.

Anteced. pr. In cœlis eſt aliqua operatio vitæ: ergo viuunt.

Anteced. pr. Intellectio, & amor ſunt operationes vitæ; atqui illæ ſunt in cœlis: ergo in illis eſt aliqua operatio vitæ.

Minor pr. In illo eſt intellectio, & amor, quod amat, & intelligit; atqui cœli amant, & intelligunt: ergo in cœlis eſt intellectio, & amor.

Minor pr. Illud amat, & intelligit, à quo primus motor eſt amatus, & cognitus; atqui ex Ariſtotele primus motor eſt amatus, & cognitus à cœlis: ergo cœli amant, & intelligunt.

Solutio: *Illud amat, & intelligit à quo ſecun-*

dùm se sumpto primus motor est amatus, & cognitus, Concedo. *sumpto tantùm secundùm intelligentias, à quibus mouetur*, Nego. atqui *ex Aristotele primus motor est amatus, & cognitus à cœlis secundùm se sumptis*, Nego. *sumptis secundùm intelligentias à quibus mouentur*, Concedo.

Contrà. Cœli secundùm se amant, & intelligunt: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Cœli faciunt quod est necessarium, vt sint nobiliores leone; atqui vt sint nobiliores leone, necessarium est, vt ament & intelligant: ergo secundùm se amant, & intelligunt.

Maior pr. Cœli faciunt quod est necessarium, vt sint nobiliores omni inferiori corpore; atqui cùm faciunt quod est necessarium, vt sint nobiliores omni corpore inferiori, faciunt, vt sint nobiliores leone: ergo cœli faciunt quod est necessarium, vt sint nobiliores leone.

Maior pr. Cœli sunt nobiliores omni corpore inferiori: ergo faciunt quod est necessarium, vt sunt illo nobiliores.

Antecedens pr. Quod dat esse corporibus inferioribus est illis nobilius; atqui cœli dant esse corporibus inferioribus: ergo sunt illis nobiliores.

Solutio: *Quod dat esse corporibus inferioribus tanquam causa principalis æquiuoca est illis nobilius*, Concedo. *tanquam causa instrumentalis, aut principalis vniuoca*, Nego. atqui *cœli dant esse corporibus inferioribus, tanquam causa principalis æquiuoca*, Nego. *tanquam causa instrumentalis*, Concedo.

Contrà. Causa vniuersalis non debet dici in-

ſtrumentalis; atqui cœli ſunt cauſa vniuerſalis reſpectu corporum inferiorum : ergo non ſunt tantùm cauſa inſtrumentalis illorum.

Solutio : *Cauſa vniuerſalis, & prima non debet dici inſtrumentalis*, Concedo. *Eſt enim longè nobilior omni ſuo effectu : cauſa vniuerſalis, quæ non eſt prima, & ſortitur tantùm illam denominationem vniuerſalis, quod habeat aliquam efficientiam in multos diuerſos effectus*, Nego. Atqui *cœli ſunt cauſa vniuerſalis prima*, Nego. *non prima, & tantùm appellata vniuerſalis, quia habent aliquam efficientiam in multos effectus ſublunares*; Concedo. *Extenſio autem illa efficientiæ in varios illos effectus, nihil habet incompatibilitatis cum maiori perfectione aliquorum ex ipſis; ratione quorum proinde non eſt cauſa principalis.*

QVINTA CONCLVSIO:

Aſtra differunt inter ſe ſpecie, & à cœlo.

ILLA differunt inter ſe ſpecie, quorum vni conuenit aliquid commune intrinſecum notabiliter diuerſum, quod non conuenit alteri; atqui cœlo comparato cum aſtris, & vni aſtro comparato cum alio conuenit aliquid commune intrinſecum notabiliter diuerſum, quod non conuenit alteri : ergo aſtra differunt ſpecie inter ſe, & à cœlo.

Minor pr. Eſſe receptiuũ tantæ, aut tantæ lucis, & eſſe productiuum luminis, aut alterius effectus, eſt aliquid commune intrinſecũ notabi-

liter diuersum; atqui astra sunt receptiua maioris lucis, quàm cœlum, & vnum astrum est productiuum alicuius effectus; cuius non est productiuum aliud: ergo cœlo comparato cum astris, & vni astro comparato cum alio conuenit aliquid notabiliter diuersum, quod non conuenit alteri.

Obijcies. Cœli sunt orbes in quibus sunt astra; atqui astra ex Aristotele non differunt specie à suis orbibus: ergo astra non differunt specie inter se, & à cœlo.

Solutio: Atqui *astra ex Aristotele, non differunt specie subalterna, seu genere à suis orbibus*, Concedo. *specie infima*, Nego. ergo *astra non differunt inter se, & à cœlo specie subalterna, seu genere*, Concedo. *specie infima*, Nego.

Contrà. Astra nullo modo differunt specie: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Illa non differunt specie vllo modo, quorum accidentia non differunt specie; atqui accidentia cœlorum, & astrorum non differunt specie: ergo neque ipsa.

Solutio: *Illa non differunt specie vllo modo, quorum accidentia non differunt specie, neque simul sumpta, neque secundùm intensionem*, Concedo. *seorsim tantùm sumpta, aut secundùm entitatem*, Nego. *Ratio est, quia vt aliqua differant specie, sufficit vt vni conueniat aliquid, quod non conueniat alteri, quod verissimum reperitur cùm differunt, aut in collectione accidentium, aut in intensione eorumdem, seu vnum habeat aliqua accidentia, quæ non habet aliud, aut si habeat eadem, habet illa in maiori, aut minori intensio-

ne; atqui *accidentia cœlorum*, *& astrorum non differunt specie*, *neque simul sumpta*; *neque secundùm intensionem*, Nego. *seorsim tantùm sumpta*; *aut secundùm entitatem*, Concedo.

Contrà. Intensio non mutat speciem: ergo licèt accidentia astrorum differant secundùm intensionem, non debent inducere diuersitatem specificam in sua subiecta.

Solutio: *Intensio non mutat speciem qualitatum*, Concedo. *subiectorum*, *à quibus exigitur hac*, *& non alia*, Nego. *Intensio in qualitatibus non mutat speciem, quia tertius, & quartus gradus additi primo, & secundo sunt illis perfectè similes, arguit tamen illam mutari in subiectis, quia quod ex illis exigit magnam intensionem, non est simile illi quod exigit tantùm paruam.*

SECTIO II.

De numero, ordine, & figura cœlorum, & astrorum.

PRIMA CONCLVSIO:

Tres sunt tantùm cœli.

TOT sunt admittendi cœli, quot sunt necessarij ad explicanda ea, quæ de iis dicuntur; atqui tres sunt necessarij, & non plures ad explicanda, quæ de iis dicuntur: ergo tres tantùm sunt cœli.

Prima pars minoris probatur.

De cœlis dicitur, quòd in illis sit tertium, quòd sint sedes beatorum, quòd in illis stellę fixæ seruent semper eandem inter se distantiam, planetæ verò non; atqui vt de illis sit verum, quòd in illis detur tertium, quòd sint sedes beatorum, & quòd stellæ seruent sempe eandem inter se distantiam, planetę verò non, tres cœli sunt necessarij: ergo ad explicanda ea, quæ de iis dicuntur tres cœli sunt necessarij.

Minor probatur. Necessarium est vnum, quod sit sedes beatorum, aliud in quo stelle eandem inter se seruent distantiam, & tertium in quo planetæ eandem non seruent: ergo vt de illis sit verum quòd sint sedes beatorum, & quòd in illis stellę seruent semper inter se eandem distantiam, planetę verò non, tres cœli sunt necessarij.

Antecedens probatur. Illud quod est sedes beatorum, & dicitur empyreum, distinctum est, & ab eo, in quo sunt stellę, & ab illo, in quo sunt planetæ, & hæc duo inter se: ergo necessarium est vnum, quòd sit sedes beatorum, aliud in quo stellæ seruent semper eandem inter se distantiam, & tertium in quo planetæ eandem non seruent.

Antecedens pr. Quod est immobile, distinctum est ab iis, quæ sunt mobilia, & quod est solidum ab eo, quod est fluidum; atqui empyreũ est immobile, & alia mobilia, stellatum verò solidum, & planeticum fluidum: ergo empyreum distinctum est ab eo, in quo sunt stellæ, & ab illo, in quo sunt planetæ, & hæc duo inter se.

Prima pars minoris probatur.

Sedes eorum, qui vix, aut rarò mouentur, debet esse immobilis; atqui empyreum est sedes beatorum, qui vix aut rarò admodum mouentur: ergo empyreum est immobile.

Secunda pars minoris superioris argumenti, stellatum esse solidum, probatur.

Vt stellæ seruent eandem inter se distantiam debent motu sui cœli moueri, vel habere vnaquæque suum particularem motorem, atqui non est probabile habere vnamquamque suum particularem motorem, & vt moueantur motu sui cœli debet illud esse solidum: ergo cælum stellatum est solidum.

Prima pars minoris probatur.

Angeli sunt motores stellarum, & hæ sunt pęnè innumeræ; atqui non est probabile innumeros Angelos illis mouendis fuisse deputatos: ergo neque habere vnamquamque suum motorem particularem.

Secunda pars minoris prioris argumenti probatur.

Quę sunt intra rem fluidam, pisces v. g. intra aquam, non mouentur motu illius: ergo vt stellæ moueantur motu sui cœli: debet illud esse solidum.

Tertia pars minoris superioris argumenti, planeticum esse fluidum, probatur.

Motus irregularis planetarum requirit cœlum fluidum, aut in solido canales vacuos, aut plenos per quos ferantur; atqui non dantur huiusmodi canales in cœlo: ergo cœlum planeticum est fluidum.

Minor pr. Natura abhorret vacuum, & vacuos

canales,& præterea non apparet quo alio corpore possint repleri dum non replentur planetis: ergo non dantur huiusmodi canales.

Secunda pars minoris primi argumenti superioris improbationem conclusionis, cœlos non esse plures tribus, probatur.

Fundamentum admittendi cœlos plures tribus non potest esse aliud à multiplicitate astrorum, aut motuum ipsorum; atqui neque multiplicitas astrorum, neque varietas motuum ipsorum dici potest fundamentum sufficiens admittendi plures cœlos tribus: ergo nullum est fundamentum admittendi plures.

Minor pr. Vt multiplicitas astrorum, & varietas motuum ipsorũ sufficiens dicatur fundamẽtum admittendi cœlos plures tribus, dicendum est vnicuique astrorum tribuendum esse suum cœlum, aut motui cuiuslibet astri diuerso proprium cœlum correspondere; atqui vnicuique astro non est tribuendum suum cœlum, neque cuilibet motui diuerso astri est dicendum correspondere proprium cœlum: ergo neque multiplicitas astrorum, neque varietas motuum ipsorum dici potest fundamentum sufficiens admittendi plures cœlos tribus.

Minor pr. Cuilibet astro, & eius motui diuerso tribui non potest proprium cœlum, quin admittantur cœli plures quàm admiserint astronomi; atqui non debent admitti plures cœli quàm admiserint astronomi: ergo vnicuique astro non est tribuendum suum cœlum, neque cuilibet motui diuerso astri dicendum est correspondere debere proprium cœlum.

Minor pr. Cœlorum numerus admissus ab astronomis non excessit vnum supra denarium; atqui astra, & eorum motus diuersi excedunt vnum supra denarium: ergo admitti non debent plures cœli, quàm admiserint astronomi.

Minor pr. Astra de nouo deprehensa ab astronomis attingunt quatuor supra denarium, & eorum motus similiter: ergo excedunt vnum supra denarium.

Antecedens pr. Sydera Medicea deprehensa à Galilæo sunt quatuor supra denarium: ergo & astra de nouo deprehensa.

SECVNDA CONCLVSIO:

Cœli habent figuram sphæricam.

ILLVD quod est rotundum habet figuram sphæricam; atqui cœli sunt rotundi: ergo habent figuram sphæricam.

Minor pr. Illud est rotundum, cuius omnes partes æqualiter distant ab eo, quod circundant; atqui omnes partes cœli æqualiter distant ab eo, quod circundant: ergo cœli sunt rotundi.

Minor pr. Quod circundant est terra; atqui omnes partes cœli æqualiter distant à terra: ergo & ab eo, quod circundant.

Minor pr. Partes cœli non magis distant ab vna parte terræ, quàm ab alia: ergo æqualiter distant à terra.

Antecedens pr. Illa non magis distant ab vna parte terræ, quàm ab alia, quæ ex quacunque

regione deprehenduntur æquè remota; atqui partes cœli deprehenduntur ab astronomis ex quacumque regione æquè remota: ergo nō magis distant ab vna parte terræ, quàm ab alia.

SECTIO III.

De motu cœlorum, & astrorum.

PRIMA CONCLVSIO:
Cœli mouentur ab intelligentijs.

AB ijs cœli mouentur, qui possunt eos mouere, & communis est omnium sensus id agere; atqui intelligentiæ possunt illos mouere, & communis est sensus id agere: ergo cœli mouentur ab intelligentijs.

Probatur prima pars minoris, secunda enim clara est.

Quod habet plus virtutis, quàm requiratur ad mouendos cœlos, potest eos mouere; atqui intelligentiæ habent plus virtutis, quàm requiratur ad mouendos cœlos: ergo intelligentiæ possunt illos mouere.

Minor pr. Intelligentiæ habent plus virtutis, quā alia agentia creata; atqui alia agentia creata habent ad minimum, quantum requiritur ad cœlos mouendos: ergo intelligentię plus habēt.

Minor pr. Forma cœlorum est agens creatum; atqui illa ab eo, qui negaret cœlum moueri ab intelligentijs, habere diceretur satis virtutis ad mouendos cœlos: ergo agentia creata dicenda

etiam ſunt habere ſatis virtutis ad illos mouendos.

Minor pr. Quod de facto mouet cœlos habet ſatis virtutis ad illos mouendos; atqui illa de facto moueret cœlos : ergo haberet ſatis virtutis ad illos mouendos.

Minor pr. Vel illa moueret cœlos, vel Deus ſolus; atqui Deus ſolus non moueret: ergo illa de facto moueret cœlos.

Minor pr Deus non facit per ſe ſolum effectus qui connaturales ſunt cauſis ſecundis; atqui effectus ille connaturalis eſſet cauſę ſecundæ, & in illa ſententia formæ cœli : ergo Deus non moueret ſolus cœlos.

Obijcies. Intelligentię non producunt motum cœlorum : ergo cœli non mouentur ab intelligentiis.

Antecedens pr. Illud non producit motum cœlorum, quod non eſt quid intrinſecum cœlis; atqui intelligentiæ non ſunt quid intrinſecum cœlis : ergo intelligentiæ non producunt illum.

Maior pr Illud non producit motum naturalem; quod non eſt quid intrinſecum rei motæ; atqui motus cœlorum eſt naturalis : ergo illud non producit motum cœlorum, quod non eſt quid intrinſecum cœlis.

Maior pr. Motus, qui producitur à principio extrinſeco eſt violentus; atqui motus naturalis non eſt violentus : ergo illud non producit motum naturalem, quod non eſt quid intrinſecum rei motę.

Solutio : *Motus, qui producitur à principio extrinſeco eſt violentus, ſi ſubiectum reluctetur illi*

motui, Concedo. *si sit ad illum indifferens, aut habeat quandam quasi inclinationem*, Nego. *Cœli autem non habent vllam repugnantiam ad motum, quo cientur.*

SECVNDA CONCLVSIO:

Cœli inferiores etiam in sententia, quæ admittit vndecim, non mouentur simul ab ortu ad occasum, & ab occasu ad ortum.

QVOD mouetur simul ab occasu in ortum, & ab ortu in occasũ, mouetur simul duobus motibus contrariis; atqui cœli non mouentur simul duobus motibus contrariis: ergo non mouentur simul ab ortu ad occasum, & ab occasu in ortũ.

Minor pr. Quod mouetur simul duobus motibus contrariis accedit simul, & recedit à termino ad quem illorum motuum; atqui cœli non possunt simul accedere, & recedere à termino ad quem illorum motuum: ergo neque moueri motibus contrarijs.

Minor pr. Quod accedit simul, & recedit à termino ad quem illius motus, debet esse in duobus locis; atqui cœli non possunt esse in duobus locis: ergo neque accedere, & recedere à termino ad quem illius motus.

Maior pr. Quod simul accedit, & recedit à termino illorum motuum, est prope illum simul, & lõgè ab illo; atqui quod est simul propè, & simul longè ab illo est in duobus locis: ergo quod ac-

ædit simul, & recedit à termino ad quem illius motus, debet esse in duobus locis.

Minor probatur. Quod est prope illum est in loco, qui est illi propinquus, & quod etiam est longè ab illo est in loco, qui est distans; atqui locus propinquus ab illo, & ab eodem distans sunt duo loca: ergo quod est simul propè & longè à termino ad quem illorum motuum, est in duobus locis simul.

Sectio IV.

De lumine sydERUM, & eclipsibus.

Prima Conclusio:

Ex planetis sola luna patitur eclipsim.

Ille solus planeta patitur eclipsim, qui patitur veram luminis priuationem; atqui sola luna patitur veram luminis priuationem: ergo ex planetis sola luna patitur eclipsim.

Minor pr. Illud solum patitur veram luminis priuationem, quod priuatur lumine, quod accipit ab alijs; atqui sola luna priuatur lumine, quod accipit ab alijs: ergo sola luna patitur veram luminis priuationem.

Minor probatur. Illud, à quo accipiunt lumen planetæ, est sol; atqui sola luna priuatur lumine, quod accipit à sole: ergo & quod accipit ab alio.

Minor pr. Illud ſolum priuatur lumine, quod accipit à ſole, inter quod, & ſolem duntaxat interponitur corpus opacum; atqui inter lunam, & ſolem tantùm interponitur corpus opacum: ergo ſola luna priuatur lumine, quod accipit à ſole.

Prima pars minoris, inter ſolem & lunam interponi corpus opacum, probatur.

Terra eſt corpus opacum; atqui terra interponitur teſte experientia inter ſolem, & lunam: ergo & corpus opacum.

Secunda pars non interponi corpus opacum inter ſolem & alios planetas, probatur.

Nullum eſt fundamentum dicendi inter ſolem, & alios planetas interponi corpus opacum: ergo inter illos, & ſolem non interponitur huiuſmodi corpus.

Minor probatur. Fundamentum illud non poteſt eſſe niſi experientia aliqua aſtronomorum, qui deprehenderint aliqua aſtra priuari lumine ſolito; atqui nulla eſt huiuſmodi experientia aſtronomorum: ergo neque fundamentum.

Minor pr. Aſtronomi ſemper deprehendêre illa æquè lucida: ergo nulla eſt huiuſmodi experientia.

SECVNDA CONCLVSIO:

Eclipſis lunæ contingit tantùm in plenilunio.

TVNC tantùm contingit eclipſis lunæ, cùm

terra interponitur inter ipsam, & solem; atqui terra interponitur tantùm inter solem, & lunam in plenilunio: ergo eclipsis lunæ contingit tantùm in plenilunio.

Minor pr. Terra interponitur tantùm inter solem & lunam, cùm illa sibi è diametro opponũtur; atqui luna, & sol opponuntur sibi tantùm è diametro in plenilunio: ergo terra interponitur tantùm inter solem, & lunam in plenilunio.

Maior pr. Quod est in centro alicuius circuli non interponitur inter ea, quæ sunt in circumferentia, nisi cùm illa sibi è diametro opponuntur; atqui terra est in centro, & sol & luna in circumferentia: ergo terra interponitur tantùm inter solem, & lunam, cùm illa sibi è diametro opponuntur.

Sectio Vltima.

An cœli habeant aliqua accidentia rerum sublunarium, & an influant in hæc inferiora.

Prima Conclvsio:

Cœli habent aliqua ex accidentibus rerum sublunarium.

Qvantitas est accidens rerum sublunarium, & lumen etiam; atqui cœli habent

quantitatem, & lumen: ergo cœli habent aliqua ex accidentibus rerum sublunarium.

Mino: pr Illud habet quantitatem, & lumen, quod est quantum, & lucidum; atqui cœli sunt quanti, & lucidi: ergo cœli habent quantitatem, & lumen.

Prima pars minoris probatur.

Illud est quantum, quod penetratur propriè & in rigore; atqui cœlum penetratur propriè, & in rigore: ergo cœlum est quantum.

Minor pr. Christus penetrauit cœlos ex Scriptura & SS. Patribus proprijssimè & in rigore: ergo cœlum propriè penetratur.

Probatur secunda pars minoris secundi argumenti, cœlum esse lucidum.

Illud est lucidum, quod videmus lucere; atqui videmus lucere cœlos: ergo cœli sunt lucidi.

Secunda Conclusio:

Cœli non influunt necessariò in omnes effectus sublunares.

In illud cœli non influunt necessariò, quod potest esse sine illorum influxu; atqui multi effectus sublunares possunt esse sine influxu cœlorum: ergo cœli non influunt necessariò in omnes effectus sublunares.

Minor probatur. Productio caloris, & frigoris sunt effectus sublunares; atqui possunt esse sine influxu cœlorum: ergo & multi effectus sublunares.

Minor pr. Productio caloris, & frigoris potest esse sine iis, quæ non sunt necessaria ad complēdam ipsorum causam productiuam; atqui influxus cœlorum non est necessarius ad complendam causam productiuam caloris, & frigoris: ergo possunt esse sine illo.

Minor pr. Ignis, & aqua sunt causa completa caloris, & frigoris; atqui influxus cœlorum nihil est ignis, & aquæ; ergo non est necessarius ad complendam causam productiuam frigoris & caloris.

Obijcies. Effectus sublunares non possunt esse sine influxu cœlorum: ergo cœli influunt necessariò in omnes effectus sublunares.

Minor pr. Effectus sublunares non possunt esse sine influxu eius, quod est ipsorum causa; atqui cœli sunt causa omnium effectuum sublunarium: ergo effectus sublunares non possunt esse sine influxu cœlorum.

Minor pr. Quod est causa vniuersalis effectuum sublunarium est verè causa omnium effectuum sublunarium; atqui cœli sunt causa vniuersalis effectuum sublunarium: ergo sunt causa omnium.

Minor probatur. Illud non potest dici causa vniuersalis aliquorum effectuum, quod non est causa omnium: ergo quod est causa vniuersalis effectuum sublunarium est verè causa omnium.

Solutio: *Illud non potest dici causa vniuersalis aliquorum effectuum sublunarium, quod non est causa omnium, si sit sermo de causa prima,* Concedo. *si sit sermo de causa secunda,*

Nego. *Ratio est, quia vt aliqua causa secunda dicatur vniuersalis, sufficit vt concurrat ad multos effectus; quod verum est de cœlo respectu effectuum sublunarium, cùm plurimi pendeant ab ipso: causa autem vniuersalis sufficienter distinguitur à particulari per hoc, quòd sit productiua multorum effectuum, & diuersorum, cùm hæc productiua dicatur tantùm effectuum vnius generis.*

TERTIA CONCLVSIO:

Cœli agunt in hæc inferiora per qualitates occultas.

COELI agunt in hæc inferiora per qualitates nobis occultas, aut tantùm per notas; atqui non agunt tantùm per qualitates nobis notas: ergo agunt etiam per qualitates occultas.

Minor pr. Qualitates nobis notæ, per quas agunt cœli, sunt calor, & lux; atqui cœli agunt in hæc inferiora per alias qualitates: ergo non agunt tantùm per qualitates nobis notas.

Minor pr. Cœli non agunt per calorem, & lucem in ea, ad quæ non pertingit calor, & lux à cœlo producta; atqui calor, & lux non pertingunt ad hæc inferiora, in quæ agunt cœli: ergo agunt per alias qualitates.

Minor pr. Cœli agunt in metalla existentia in visceribus terræ; atqui lux, & calor producta à sole non pertingunt ad metalla existentia in visceribus terræ: ergo neque ad hæc inferiora in quæ cœli agunt.

Minor

Minor pr. Vt calor, & lux producta à sole pertingant ad metalla existentia in visceribus terræ, debent lux, & calor produci in partibus intermedijs terræ; atqui calor, & lux non producuntur à sole in partibus intermedijs terræ: ergo non pertingunt ad illa metalla.

Minor probatur. Lux non producitur intra corpus opacum, nec calor in corpore retinente summum frigus aut ferè summum; atqui partes intermediæ terræ sunt corpora opaca, eæque retinent summum frigus: ergo lux, & calor non producuntur à sole in partibus terræ intermedijs.

QVARTA CONCLVSIO:

Cœli non agunt directè in voluntatem humanam.

Coeli agunt tantùm indirectè in voluntatem humanam: ergo non agunt in illam directè.

Antecedens probatur. Illud agit tantùm indirectè in voluntatem humanam, quod non aliter agit in illam, quàm quia agit in illa, quæ excitant illam ad operandum; atqui cœli non aliter agunt in voluntatem humanam, quàm quia agunt in ea, quæ excitant illam ad operandum: ergo cœli agunt tantùm indirectè in voluntatem humanam.

Minor probatur. Humores excitant voluntatem ad operandum; atqui cœli non aliter agunt in voluntatem, quàm quia agunt in humores:

ergo cœli non aliter agunt in voluntatem humanam, quàm quia excitant illam ad operandum.

Minor pr. Illud non aliter agit in voluntatem, quàm quia agit in humores, quod nihil producit immediatè in volũtate; atqui cœli nihil immediatè producunt in voluntate: ergo non aliter agunt in voluntatem, quàm quia agunt in humores.

Minor pr. Agens corporeum saltem solum nihil producit immediatè in subiecto spiritali; atqui cælum est agens corporeum, & voluntas subiectum spiritale: ergo cæli nihil immediatè producunt in voluntate.

Obiicies. Cælum non minus agere potest directè in voluntatem humanam, quàm in dæmones; atqui agere potest directè in dæmones: ergo & in voluntatem humanam.

Minor pr. Astra agunt directè in dæmones: ergo & cæli.

Antecedens pr. Quod in dæmonibus producit motum, agit directè in dæmones; atqui astra in dæmonibus producunt motum: ergo agunt directè in dæmones.

Minor pr. Quod euocat dæmones ab inferis, in illis producit motum; atqui astra euocant dæmones ab inferis: ergo in illis producunt motum.

Minor pr. Quod facit, vt faciliùs euocentur dæmones ab inferis, euocat dæmones ab inferis; atqui astra certo modo coniuncta faciunt, vt dæmones faciliùs euocentur ab inferis: ergo illos euocant.

Solutio: *Quod facit physicè, seu per influxum physicum, vt dæmones faciliùs euocentur ab inferis in illis producit motum*, Concedo. *quod facit tantùm moraliter, seu tanquam signum pacti initi cum illis*, Nego. *& viceversa in minori.*

Contrà. Non minùs astra certo modo coniūcta possunt physicè, & per influxum physicum dæmones euocare ab inferis, quàm iecur piscis Tobiæ illos fugare; atqui iecur piscis Tobiæ illos fugauit physicè, seu per influxū physicū: ergo astra possūt illos physicè euocare ab inferis.

Minor pr. Illud fugat physicè dæmones, quod fugat illos per impulsum in illis productum atqui iecur illius piscis fugauit dæmones per impulsū illis impressū: ergo illos fugauit physicè.

Minor pr. Tam potuit iecur illius piscis producere in illis dæmonibus impulsum, quàm luna in plenilunio in iisdem producere dolorem; atqui luna in plenilunio producit in illis dolorem: ergo & iecur piscis produxit in iisdem impulsum.

Minor pr. Illud producit in plenilunio dolorem in dæmonibus, quod producit aliquid, quo torquentur; atqui luna producit in plenilunio aliquid, quo torquentur: ergo producit dolorem in dæmonibus.

Minor pr. Illud producit aliquid in dæmonibus, quo torquentur, quod facit vt magis torqueant energumenos in quibus sunt; atqui luna facit in plenilunio, vt magis torqueant energumenos: ergo producit in illis aliquid, quo torquentur.

Maior pr. Debet esse aliqua ratio, cur dæmo-

nes magis torqueãt energumenos in plenilunio, quàm alio tempore; atqui illa non est alia, quàm quòd producat luna in illis aliquid quo torquẽtur, quod facit vt maius torqueant ipsi energumenos: ergo illud producit aliquid in dæmonibus quo torquentur, quod facit vt ipsi magis torqueant energumenos.

Solutio: *Negatur minor. Ratio est, quia ideo dæmones magis vexant energumenos in plenilunio, quàm alio tempore, quia humores quibus vtuntur ad illam vexationem, tunc temporis sunt meliùs dispositi, & magis idonei.*

Qvinta Conclvsio:

Ex aspectu astrorum non possunt certò præcognosci effectus à nostra libertate pendentes.

Ex eo non possunt certò præcognosci effectus à nostra libertate pendentes, quod non est illorum signum infallibile; atqui aspectus astrorum non est signum infallibile effectuum à nostra libertate pendentium: ergo ex aspectu astrorum non possunt certò præcognosci effectus à nostra libertate pendentes.

Minor pr. Signum infallibile actuum nostrorum liberorum debet esse naturale, vel ex instituto; atqui aspectus astrorum non est signum illorum neque naturale, neque ex instituto: ergo non est illorum signum infallibile.

Prima pars minoris probatur.

Illud non est signum naturale alterius, inter quod, & aliud nulla est necessaria connexio: at-

qui inter aſpectum aſtrorum, & effectus noſtros liberos nulla eſt neceſſaria connexio: ergo ille non eſt ſignum naturale iſtorum.

Minor probatur. Neceſſaria connexio inter aſpectum aſtrorum, & effectus noſtros liberos, aliunde peti non poteſt, quàm ex eo, quod aſpectus ille aſtrorum ſit cauſa illorum noſtrorum effectuum liberorum, aut ipſe ſit effectus noſtrorum effectuum; atqui ipſe neque eſt cauſa noſtrorum effectuum liberorum, neque etiam effectus noſtrorum effectuum liberorum: ergo inter aſpectum aſtrorum, & noſtros effectus liberos nulla eſt neceſſaria connexio.

Prima pars minoris probatur, de ſecunda enim nemo dubitat.

Illud non eſt cauſa alterius, quod non eſt, quando eſt aliud; atqui aſpectus ille aſtrorum non eſt, cùm ſunt multi noſtri effectus liberi: ergo non eſt cauſa illorum.

Minor probatur. Aſpectus aſtrorum nihil eſt aliud, quàm aſtra certo modo coniuncta; atqui cùm ſunt illi effectus noſtri liberi, non ſunt illa aſtra certo modo coniuncta: ergo non eſt etiam ille aſpectus aſtrorum.

Minor probatur. Coniunctio eadem aſtrorum non recurrit, niſi poſt longum tempus; atqui noſtri actus liberi ſingulis ferè momentis recurrunt: ergo cùm ſunt noſtri effectus liberi non ſunt illa aſtra certo modo coniuncta.

Probatur ſecunda pars minoris ſecundi argumenti, non eſſe ſignum ex inſtituto noſtrorum actuum liberorum.

Signum ex inſtituto eſt illud, quod ſignificat

ex beneplacito agentis liberi; atqui aspectus astrorum non significant ex beneplacito vllius agentis liberi nostros effectus liberos: ergo aspectus astrorum non est signum ex instituto nostrorum effectuum liberorum.

Minor pr. Illud agens liberum non potest esse nisi Deus; atqui non significat ex beneplacito Dei: ergo neque vllius agentis liberi.

Minor probatur. Vt affectus ille significet ex beneplacito Dei nostros effectus liberos, debet illud eius beneplacitum nobis esse notum: atqui huiusmodi beneplacitum nobis notum non est: ergo non significat ex Dei beneplacito.

Minor pr Beneplacitum illud Dei non potest aliter nobis esse notum, quàm per reuelationem: atqui non est nobis notum per reuelationem: ergo non est nobis notum.

Minor probatur. Reuelatio illa non potest esse nisi priuata, vel publica: atqui non est priuata, neque publica: ergo non est notum per reuelationem.

De priuata res clara est, nullus enim eam dicitur habere, & probatur non esse publicam.

Illa reuelatio non potest esse publica, cui Ecclesia negat præbendum esse assensum: atqui ecclesia negat præbendum esse assensum huiusmodi reuelationi: ergo non potest dici esse publica.

Minor pr. Sacri Canones damnant Astrologos & prohibent assensum eorum prædictionibus: ergo ecclesia negat præbendum esse assensum huiusmodi reuelationi.

Obijcies. Ex eo certò præcognosci possunt ef-

fectus à nostra libertate pendentes, quod est signum illorum infallibile; atqui aspectus astrorum est signum infallibile effectuum nostrorum liberorum: ergo ex eo certò cognosci possunt effectus à nostra libertate pendentes.

Minor pr. Illud est signum infallibile effectuum nostrorum liberorum, quod Deus instituit in signum illorum; atqui Deus instituit aspectum astrorum in signum nostrorum effectuum liberorum: ergo aspectus astrorum est signum infallibile illorum.

Minor pr. Illud Deus instituit in signum effectuum nostrorum liberorum, quod Scriptura dicit Deum posuisse in signa illorum; atqui Geneseos 1. Scriptura dicit posita esse sydera in signa illorum: ergo Deus instituit aspectũ astrorum in signum infallibile nostrorum effectuum liberorum.

Minor pr. Posita sunt sydera in signa illorum, vel aliorum: atqui non sunt posita in signa aliorum: ergo posita sunt in signa illorum.

Minor pr. Illa alia non possunt esse nisi imbres, & tempestates: atqui non sunt posita in signa imbrium, & tempestatum: ergo neque in signa aliorum.

Minor probatur. Ideo tantùm dici possunt posita esse in signa imbrium, & tempestatum, quia ex illis certò præcognoscimus imbres, & tempestates: atqui hæc ratio nulla est: ergo non sunt posita in signa imbrium & tempestatum.

Minor probatur. Ex iis certò præcognoscuntur effectus nostri liberi: atqui ex concessis non

ſunt poſita in ſigna illorum: ergo hęc ratio nulla eſt.

Maior probatur. Illud certò præcognoſcitur ex aſpectu aſtrorum, quod ita euenit, ſicut prædicitur ab intuentibus illum; atqui effectus noſtri liberi ita eueniunt ſicut prædicuntur ab intuentibus aſpectum aſtrorum: ergo ex aſpectu aſtrorum certò præcognoſcuntur effectus noſtri liberi.

Solutio: *Illud certò præcognoſcitur ex aſpectu aſtrorum, quod ſicut prædicitur ab intuentibus illum aſpectum ita euenit per ſe, ſeu propter aliquam coniunctionem phyſicam, aut moralem quæ ſit inter illum aſpectum, & effectus noſtros liberos,* Concedo. *quod ita euenit per accidens, ſeu in pœnam ſuperſtitioſæ curioſitatis, & ratione peculiaris dæmonis cooperationis procurantis, vt eueniat quod ab iis: qui cum ipſo pactum initum prædictum fuit,* Nego. atqui *effectus noſtri liberi eo modo quo prædicuntur ab intuentibus aſpectum aſtrorum eueniunt per ſe, ſeu propter aliquam coniunctionem phyſicam, aut moralem, quæ ſit inter illum aſpectum, & effectus noſtros liberos,* Nego. *eo modo, quo prædicuntur eueniunt in pœnam ſuperſtitioſæ curioſitatis, & credulitatis, & ratione peculiaris cooperationis dæmonis procurantis, vt eueniat, quod ab iis, qui cum ipſo pactum iniere prædictum fuit,* Concedo. *Certum eſt multa euenire ex iis, quæ prædicuntur ab Aſtrologis. Verùm hoc permittit Deus exequi dæmonem, vt puniat curioſitatem eorum, qui adeunt huiuſmodi homines, vt patet multis exemplis, & deinde quia vt ora-

cula olim, ita isti tam ambiguè loquuntur, vt quidquid tandem eueniat in eum sensum trahi possit eorum responsio.



DISPVTATIO III.

De Elementis vt sunt partes mundi, & corpora grauia & leuia.



Lementa duobus modis maximè considerari possunt: primò, vt sunt partes mundi, & corpora grauia, & leuia; & secundò, vt sunt principia mixtionis. De illis hoc secundo modo spectatis agemus tractatu sequenti. In isto verò considerabimus ea priori modo, & de ijs inquiremus: Primò quænam sit eorum natura: Secundò, in quo numero sint: Tertiò, quemnam habeant inter se ordinem, & in quo loco vnumquodque sit: Quartò, quænam illis figura conueniat, & an habeant proportionem decuplam in magnitudine: Quintò, an grauitas, & leuitas, quæ sunt principia actiua motus ipsorum, sint accidentia ipsis realiter superaddita, & an nitantur efficere in illis motum cùm sunt in proprio loco. Ac tandem, quodnam sit principium motus proiectorum, & quænam sit natura impulsus.

SECTIO PRIMA.

De natura, ordine, numero, & figura elementorum.

PRIMA CONCLUSIO:

Solum elementum est corpus simplex sublunare.

NULLUM aliud corpus ab elemento est sublunare seu inferius cœlo lunæ, aut exigit tantùm duas ex primis qualitatibus: ergo solùm elementum est corpus simplex sublunare.

Antecedens pr. Illud aliud corpus non potest esse nisi cœleste, aut mixtum; atqui neutrum est: ergo nullum aliud est.

Minor pr. Quæ non sunt infra lunam, aut exigunt quatuor ex primis qualitatibus, non sunt corpora sublunaria, nec exigunt tantùm duas ex primis qualitatibus; atqui corpora cœlestia non sunt infra lunam, & mixta exigunt quatuor ex primis qualitatibus: ergo corpora cœlestia non sunt sublunaria, & mixta non exigunt tantùm duas ex primis qualitatibus.

Prima pars probatur, secunda enim clara est.

Corpora cœlestia sunt empyreum, firmamentum, & planeticum; atqui nec empyreum, nec

planeticum, nec firmamentum sunt infra lunam: ergo corpora cœlestia non sunt infra lunam.

Minor probatur. Nomine lunæ intelligitur cœlum lunæ, seu illa pars cœli planetici in qua est luna; atqui nec cœlum empyreum, nec firmamentum, nec planeticum sunt infra cœlum lunæ, seu illam partem in qua est luna: ergo nec empyreum, nec firmamentum, nec planeticum sunt infra lunam.

Minor probatur. Illa non sunt infra cœlum lunæ, quæ sunt supra illud, aut sunt ipsummet cœlum lunæ; atqui empyreum, firmamentum, & planeticum secundùm id, secundùm quod istud non est pars cœli, in qua est luna, sunt supra cœlum lunæ, & secundùm id secundùm quod vltimum est pars cœli, in qua est luna, est ipsummet cœlum lunæ: ergo nec cœlum empyreum, nec firmamentum, nec planeticum sunt infra cœlum lunæ.

Minor pr. Luna est omnium planetarum infimus: ergo empyreum, firmamentum, & planeticum non sunt infra cœlum lunæ.

SECVNDA CONCLVSIO:

Materia elementorum inter se, & materia mixtorum sunt eiusdem rationis.

ILLÆ materiæ sunt eiusdem rationis, quæ sunt susceptiuę earumdem formarũ; atqui ma-

teriæ elementorum inter se, & materiæ mixtorum sunt susceptiuæ earumdem formarum: ergo materiæ elementorum inter se, & materiæ mixtorum sunt eiusdem rationis.

Minor probatur. Illæ materiæ sunt susceptiuæ earumdem formarum, quæ ita se habent vt quarum vna est susceptiua, earum est & alia; atqui quarum formarum est susceptiua materia vnius elementi, earum quoque est susceptiua materia alterius elementi, aut etiam mixti: ergo materiæ elementorum, & mixtorum sunt susceptiuæ earumdem formarum.

Minor probatur. Certissimum signum materiam vnius elementi susceptiuam esse formarum, quarum susceptiua est materia alterius elementi, aut etiam mixti, est elementa inter se, & cum mixtis esse transmutabilia; atqui elementa inter se & cum mixtis sunt in se inuicem transmutabilia: ergo quarum formarum susceptiua est materia vnius elementi, earum quoque susceptiua est materia alterius elementi, aut etiam mixti.

Minor pr. Ea verè sunt in se inuicem, & in mixta transmutabilia, quæ quotidie videmus in ea transmutari; atqui videmus quotidie elementa transmutari in se inuicem, & in mixta: ergo elementa verè sunt transmutabilia in se inuicem & in mixta.

Minor probatur. Illa videmus quotidie transmutari, ex quorum vno videmus fieri aliud; atqui ex vno elemento fieri videmus, & aliud elementum, & mixtum: ergo videmus quotidie elemēta in se inuicem transmutari, & in mixta.

Minor probatur. Aër, & aqua sunt elementa, & homo mixtũ: atqui ex aëre valdè humido, & in cauernis refrigerato fit aqua, & ex hac cùm à nobis potatur, homo; ergo ex vno elemento fieri videmus, & aliud elementum, & mixtum.

TERTIA CONCLVSIO:

Quatuor sunt elementa.

TOT sunt elementa, quot sunt corpora inferiora cœlo lunæ, & exigentia tantùm duas ex primis qualitatibus: atqui quatuor sunt huiusmodi corpora: ergo & quatuor elementa.

Minor pr Ignis, aër, aqua, & terra sunt inferiora cœlo lunæ, & exigunt tantùm duas ex primis qualitatibus: ergo quatuor sunt huiusmodi corpora.

Prima pars minoris patet experientia, & secunda probabitur inferiùs.

Obiicitur. Ignis non est elementum: ergo sunt tantùm tria elementa.

Antecedens probatur. Corpus quod non est infra lunam non est elementum; atqui ignis non est infra lunam: ergo non est elementum.

Minor pr. Cometæ sunt propriissimè ignis: atqui sæpe sunt supra lunam, & non infra: ergo ignis non est infra lunam,

Solutio: Atqui *cometa sunt sæpe supra lunam connaturaliter, & tanquam in loco naturali*, Nego. *violenter, aut saltem præternaturaliter per attractionem scilicet alicuius astri*, Concedo. ergo. *ignis non est infra lunam, connaturaliter*, Ne-

go. *præternaturaliter, aut violenter*, Concedo. *Ad rationem autem elementi sufficit, vt eius locus connaturalis sit infra lunam.*

QVARTA CONCLVSIO:

Terra est in infimo loco.

CORPVS omnium grauissimum est in infimo loco; atqui terra est corpus omnium grauissimum: ergo terra est in infimo loco.

Minor pr. Illud corpus est omnium grauissimũ, quod superpositum aliis sponte se illis subiicit; atqui terra superposita aliis corporibus elementaribus sponte se illis subiicit teste experiẽtia: ergo terra est corpus omniũ grauissimũ.

Obijcitur. Illud elementum non est in infimo loco, quod non est in medio mundi; atqui terra non est in medio mundi: ergo neque in infimo loco.

Minor pr. Illud corpus non est in medio mundi, quod vergit magis ad vnam cœli partem, quàm ad aliam; atqui terra magis vergit ad vnam cœli partem, quàm ad aliam: ergo non est in medio mundi.

Minor pr. Quod magis vergit ad orientem, & occidentem, quàm ad zenit, magis vergit ad vnam cœli partem, quàm ad aliam; atqui terra magis vergit ad orientem, & occidentem quàm ad zenit: ergo terra magis vergit ad vnam cœli partem, quàm ad aliam.

Minor pr. Quod magis vergit ad sydera existentia in ortu, & occasu, quàm ad eadem exi-

ſtentia in zenit, magis vergit ad orientem, & occidentem, quàm ad zenit: atqui terra magis vergit ad ſydera exiſtentia in ortu, & occaſu, quàm in zenit: ergo terra magis vergit ad orientem, & occidentem, quàm ad zenit.

Minor pr. Terra magis vergit ad ſydera quæ ſunt illi propinquiora: atqui ſydera exiſtentia in ortu, & occaſu ſunt illi propinquiora, quàm exiſtentia in zenit: ergo terra magis vergit ad ſydera exiſtentia in ortu, & occaſu, quàm exiſtentia in zenit.

Minor pr. Sydera eò ſunt propinquiora terræ, quo ex ipſa conſpecta apparẽt maiora; atqui ſydera exiſtẽria in ortu, & occaſu conſpectaè terra apparent maiora, quàm exiſtentia in zenit: ergo ſydera exiſtentia in ortu, & occaſu ſunt propinquiora terrę, quàm exiſtentia in zenit.

Solutio: *Sydera eò ſunt propinquiora terra, quo ex ipſa conſpecta apparent maiora per idem medium, & eodem modo diſpoſitum*, Concedo. *per medium diuerſum, aut diuerſimodè diſpoſitum*, Nego. atqui *ſydera exiſtentia in ortu, & occaſu conſpecta è terra apparent maiora, quàm exiſtentia in zenit, & medium eſt eodem modo diſpoſitum.* Nego. *& eſt diuerſimodè diſpoſitum*, Concedo.

Contrà. Medium, per quod conſpiciuntur eſt aër: atqui aër eſt eodem modo diſpoſitus manè, & ſerò, ac in meridie: ergo medium eſt eodem modo diſpoſitum.

Solutio: *Neganda eſt minor, & dicendum diuerſam illam diſpoſitionem eſſe maiorem craſſitiem aëris qui pluribus abundat vaporibus ma-*

nè, & ſerò, quàm in meridie, ſicut enim nummus conſpectus à nobis intra aquam apparet maior, quàm conſpectus in aëre, quia illa eſt craſſior iſto; ita ſydera conſpecta à nobis manè, & ſerò, per aërem craſſiorem interpoſitum, quàm ſit in meridie, cernuntur à nobis maiora.

QVINTA CONCLVSIO:

Terra eſt immobilis.

TERRA nullo modo mouetur: ergo eſt immobilis.

Antecedens pr. Motus, quo dici poteſt moueri eſt vel à centro, vel ad centrum, vel circa centrum; atqui terra neque mouetur à centro, neque ad centrum, neque circa centrum: ergo terra nullo modo mouetur.

Prima pars minoris probatur.

Quod mouetur à centro aſcendit; atqui terra non aſcendit: ergo terra non mouetur à centro.

Minor pr. Corpus graue, & omnium grauiſſimum non aſcendit; atqui terra eſt corpus graue, & omnium grauiſſimum: ergo non aſcendit.

Secunda pars minoris ſuperioris argumenti, non moueri ad centrum, pr.

Illud non mouetur ad centrum, quod in illo eſt; atqui terra eſt in centro: ergo non mouetur ad centrum.

Minor pr. Illud eſt in centro, quod eſt in infimo loco; atqui terra eſt in infimo loco ex præcedenti concluſione: ergo terra eſt in centro,

Tertia pars minoris superioris argumenti, terram non moueri circa centrum, probatur.

Moueri circa centrum est moueri motu circulari; sed terra non mouetur motu circulari: ergo terra non mouetur circa centrum.

Minor pr. Nulla pars eius, quod mouetur motu circulari manet in eodem loco, in quo antea erat; atqui partes terræ omnes manent in eodem loco, in quo antea erant: ergo terra non mouetur motu circulari.

Minor probatur Non minùs partes terræ manent in eodem loco, in quo erāt antea, quàm cacumen montis, ex quo, vel manu, vel instrumento alio homo proiicit lapidem rectà sursum; atqui cacumen montis, ex quo homo proiicit lapidem rectà sursum manu, aut alio instrumento, manet in eodem loco, in quo erat antea: ergo partes terræ omnes manent in eodem loco, in quo erant antea.

Minor pr. Quod est locus in quem recidit lapis ille rectà sursum proiectus, manet in loco in quo erat antea cacumen illud montis; atqui cacumen illud montis est locus, in quem recidit ille lapis: ergo cacumen illud montis, ex quo homo manu, aut alio instrumento proiicit lapidem rectà sursum, manet in eodem loco, in quo antea erat.

Maior pr. Quod manet in spatio, ex quo lapis ille fuit rectà sursum proiectus, manet in loco, in quo erat antea cacumen illud montis; atqui quod est locus, in quem recidit ille lapis rectà sursum proiectus, manet in spatio, ex quo lapis ille fuit rectà sursū proiectus: ergo quod est

locus, in quem recidit ille lapis rectà sursum proiectus, manet in loco, in quo erat antea cacumen illud montis.

Minor pr. Vt quod est locus, in quem recidit ille lapis, non maneat in spatio, ex quo proiectus fuit rectà sursum ille lapis; debet aut non rectà cadere, aut aliò fuisse delatus inter ascendendum, aut descendendum: atqui & rectà cadit, & aliò non est delatus, neque inter descendendum; neque ascendendum: ergo quod est locus, in quem recidit ille lapis, manet in spatio, ex quo ille fuit rectà sursum proiectus.

Prima pars minoris probatur.

Corpus quod vi grauitatis descendit rectà descendit: atqui lapis iste vi grauitatis descendit: ergo rectà descendit.

Minor pr. Quod breuiori via descendit ad centrum rectà descendit: atqui quod descendit vi grauitatis tendit breuiori via ad centrum: ergo rectà descendit.

Vt probetur minor praecedentis argumenti,

Suppono *ventum vehementem flare in contrariam partem ei, versus quam terra debet moueri, & sic argumentor:*

Lapis non potest aliò deferri, quàm versus partem, versus quam terra mouetur: atqui versus illam non defertur: ergo aliò non defertur.

Minor pr. Versus partẽ, versus quam terra mouetur deferri nõ potest lapis ab alio, quàm vel à terra ipsa, vel ab aëre, quo ambitur, vel ab impulsu ipsi ab initio impresso, vel à grauitate cũ descendit: atqui non defertur eò neque à terra ipsa, neque ab aëre, quo ambitur, neque ab im-

pulsu ipsi ab initio impresso, neque à grauitate cùm descendit : ergo lapis non defertur versus partem, versus quam terra mouetur.

Minor probatur de terra, & aëre ambiente.

Vt lapis deferatur versus partem, versus quam terra mouetur à terra ipsa, aut aëre ipsum ambiente, necessarium est vt aër propria vi, aut impulsu à terra accepto eum eò deferat; atqui aër, neque eò defert ipsum vi propria, neque impulsu à terra accepto: ergo lapis non defertur versus partem, versus quam terra mouetur, neque à terra ipsa, neque ab aëre, quo ambitur.

Minor pr. Vt aër eò deferat lapidem propria vi, aut impulsu accepto à terra debet eò ipse moueri; atqui eò ipse non mouetur : ergo aër eò non defert lapidem, neque propria vi, neque impulsu à terra accepto.

Minor pr. Aër non mouetur versus partem, versus quam terra mouetur cùm ventus vehemens eum pellit in contrariam partem; atqui in suppositione facta ventus vehemens eum pellit in contrariam partem: ergo aër eò nō mouetur.

Minor superioris argumenti de impulsu, & grauitate probatur.

Lapis non defertur ab his versus partem, versus quam terra mouetur, quæ eum pellunt tantùm recta sursum, aut tantùm rectà deorsum; atqui impulsus ipsi ab initio impressus eum pellit tantùm rectà sursum, & grauitas eius cùm descendit tantùm rectà deorsùm : ergo lapis non defertur versus partem, versus quam terra mouetur, neque ab impulsu ipsi ab initio impresso, neque à grauitate cùm descendit.

Obijcitur. Illud non est immobile, quod mouetur motu circulari; atqui terra mouetur motu circulari circa centrum: ergo non est immobilis.

Antecedens pr. Ratio efficacior, quæ afferri potest cur terra nõ moueatur motu circulari, est quia lapis rectà sursum proiectus ex aliquo loco in eundem recidit; atqui hæc ratio nulla est: ergo terra mouetur circa cẽtrum motu circulari.

Minor pr. Vt hæc ratio sit bona, debet motus circularis terræ impedire, ne lapis ille in eundem locum possit recidere; atqui hoc impedire non debet: ergo hæc ratio nulla est.

Minor pr. Non magis motus circularis terræ debet illud impedire, quàm motus nauis ventis secundis vtentis; atqui motus nauis ventis secundis vtentis, non impedit quominus lapis rectâ sursum proiectus intra ipsam in eundem locum recidat: ergo motus circularis terræ impedire non debet, quominus lapis in eundem locum recidat.

Solutio: *Non magis motus circularis terræ debet illud impedire, cùm ventus non flat in contrariam partem, sed etiam ei fauet, quàm motus nauis secundis ventis vtentis,* esto. *cùm ventus flat in contrariam partem* Nego. ergo *motus circularis terræ impedire non debet quominus lapis in eundem locum decidat, cùm ventus non flat in cõtrariam partẽ,* esto: *cùm ventus flat in contrariã partẽ,* Nego. *Ratio est, quia in naui cùm agitetur aër, & moueatur versus partẽ, versus quam nauis mouetur, potest vtcumque intelligi quomodo lapis possit per illum versus illam eandem partem de-*

ferri, maximè cùm aër ille sit crassior, & inclusus intra cubiculum illud nauticum; at verò in terra cùm aër sæpe moueatur in contrariam partem, non apparet quomodo lapis possit deferri versus partem, versus quam terra mouetur, vt explicatum est in probatione conclusionis.

SEXTA CONCLVSIO:

Terra est rotunda.

TERRA non est plana: ergo est rotunda.

Antecedens pr. Terra non potest esse plana, nisi vel ab ortu ad occasum, vel à polo ad polum; atqui non est plana, neque ab ortu ad occasum, neque à polo ad polum: ergo non est plana.

Prima pars minoris probatur.

In terra plana ab ortu ad occasum sol non citiùs oritur iis, qui magis sunt orientales, quã ijs, qui sunt occidentaliores; atqui sol oritur citiùs ijs, qui sunt magis orientales: ergo terra non est plana ab ortu ad occasum.

Maior pr. Sol non oritur citiùs ijs, à quibus priùs non videtur; atqui in terra plana sol non videtur priùs ab ijs, qui sunt magis orientales: ergo non oritur illis citiùs.

Minor pr. In terra plana sol videtur statim ac oritur ab ijs, qui sunt magis occidentales: ergo non videtur priùs ab ijs, qui sunt magis orientales.

Antecedens pr. Sol videtur ex omni loco, ex quo ad ipsum duci potest linea recta, non impedita per corpus opacũ; atqui ex omni parte terrę

planę duci poteſt ad ſolem cùm primò oritur linea recta, non impedita per corpus opacum: ergo ſol videtur ſtatim, ac oritur ab iis, qui ſunt magis occidentales.

Secunda pars ſuperioris argumenti, terram non eſſe planam à polo ad polum, pr.

In terra plana à polo ad polum ſtellæ fixæ, quæ videntur ab iis, qui ſunt verſus vnum polum, videntur & ab aliis, qui ſunt verſus alium; atqui ſtellæ fixæ, quæ videntur ab iis, qui ſunt verſus vnũ polum non videntur ab aliis, qui ſunt verſus aliũ: ergo terra non eſt plana à polo ad polum.

Maior pr. Stellæ fixæ videntur ex omni loco, ex quo ad ipſas duci poteſt linea recta, non impedita per corpus opacum; atqui in terra plana à polo ad polum duci poteſt linea recta ad ſtellas fixas, non impedita per corpus opacum tam benè ab vno polo, quàm ab alio: ergo in terra plana à polo ad polum ſtellę fixę, quæ videntur ab iis, qui ſunt verſus vnum polum, videntur & ab aliis qui ſunt verſus alium.

Minor pr. Corpus opacum impediens productionem lineæ rectę ad ſtellas fixas ab vno polo potiùs quàm ab alio, non poteſt eſſe niſi tumor terræ; atqui in terra plana à polo ad polum nullus eſt tumor: ergo in terra plana à polo ad polum duci poteſt linea recta ad ſtellas fixas, non impedita per corpus opacum.

Maior pr. Illud corpus opacum non poteſt eſſe niſi vel aër, vel ignis vel cælum planeticum intermedium inter nos, & ſtellas fixas, vel tumor terræ; atqui non eſt neque aër, neque ignis, neque cælum planeticum: ergo dicendus eſt eſſe tumor terræ.

Minor pr. Illa non ſunt illud corpus opacum, quæ ſunt diaphana ; atqui aër, ignis, & cœlum planeticum ſunt diaphana : ergo illud corpus opacum non poteſt eſſe aër, ignis, neque cœlum planeticum.

Obÿcitur. Terra videtur à nobis ſpectantibus eam ex edito loco plana : ergo verè dici poteſt plana.

Solutio : *Terra videtur à nobis ſpectantibus eam ex edito loco, plana propter magnitudinem circuli quem efformat*, Concedo. *quod verè ita ſit*, Nego.

Contrà. Corpus ſecans aliud in rectum per ſui interpoſitionem inter illud, & noſtrum oculum, eſt verè planum ; atqui terra per ſui interpoſitionem inter ſolem, & noſtrum oculum illum ſecat in rectum : ergo eſt verè plana, & non tantùm apparenter.

Solutio : *Corpus ſecans verè aliud in rectum per ſui interpoſitionem inter illud, & noſtrum oculum eſt verè planum*, Concedo. *ſecans tantùm apparenter propter magnitudinem circuli, quem efformat*, Nego. atqui *terra per ſui interpoſitionem inter ſolem, & noſtrum oculum illum ſecat in rectum verè, & reipſa*, Nego. *apparenter tantùm propter magnitudinem circuli quem efformat*, Concedo.

Contrà. Corpus, quod ſecat aliud in rectum tantùm apparenter, & propter magnitudinem circuli, quem efformat, debet ſupponi rotundum ; atqui terra non poteſt ſupponi rotunda: ergo non ſecat ſolem in rectum propter magnitudinem circuli, quem efformat.

Minor probatur. Illud corpus dici non potest rotundum in quo ingentes, & crebræ sunt depressiones, & maximi tumores; atqui in terra ingentes, & crebræ sunt depressiones vallium, & maximi tumores montium: ergo non potest dici rotunda.

Solutio: *Illud corpus non potest dici rotundum in quo crebra sunt depressiones, & maximi tumores, si illi tumores, & depressiones notabiles sint, habita ratione magnitudinis illius corporis*, Concedo. *si non sint notabiles, & habeant se ad illud, vt se habent rima, & commissura ad pilam lusoriam*, Nego. atqui *in terra ingentes, & crebra sunt depressiones vallium, & tumores montium maximi, maioritate notabili habita ratione magnitudinis terra*, Nego. *magnitudine non notabili*, Concedo.

Certè tumores montium, & depressiones vallium, sunt quid minùs respectu magnitudinis terra, quàm rima, & commissura pila lusoria, comparata cum eius magnitudine, ac proinde sicut ista non impediunt pila rotunditatem: ita neque tumores montium censendi sunt obesse rotunditati terra.

SEPTIMA CONCLVSIO:

Centrum grauitatis terra, est idem cum centro magnitudinis vniuersi.

CENTRVM magnitudinis terræ est infimus locus; atqui centrum magnitudinis vniuersi, est etiam infimus locus: ergo centrũ grauitatis terræ,

tæ, eſt idem cum centro magnitudinis vniuerſi.

Minor pr. Centrum magnitudinis vniuerſi, eſt ille locus in vniuerſo, qui magis diſtat à circumferentia; atqui infimus magis diſtat à circumferentia: ergo centrum magnitudinis vniuerſi eſt infimus locus.

OCTAVA CONCLVSIO:

Centrum grauitatis terræ, & magnitudinis eſt etiam idem.

CENTRVM grauitatis terræ eſt infimus locus; atqui centrum magnitudinis eius eſt etiam locus infimus: ergo centrum grauitatis terræ, & magnitudinis eſt idem.

Minor pr. Infimus locus eſt ille, ad quem grauia cadentia in terram ad perpendiculum tendunt; atqui tendunt ad centrum magnitudinis terræ: ergo centrum magnitudinis terræ eſt infimus locus.

Minor pr. Illud tendit ad centrum magnitudinis terræ, quod in illam cadens diuidit illam in partes æquales; atqui grauia cadentia in terram ad perpendiculum diuidunt illam in partes æquales: ergo grauia in terram cadentia ad perpendiculum tendunt ad centrum magnitudinis terræ.

Minor pr Illud terram diuidit in partes æquales, quod in illam cadens conſtituit angulos rectos ſphærales; atqui grauia cadentia in terram conſtituunt angulos rectos ſphærales: ergo grauia cadentia in terram diuidunt illam in duas partes æquales.

Maior præcedentis argumenti probatur.

Illud diuidit terram in duas partes æquales, à quo ducta linea recta transit per centrum magnitudinis terræ; atqui linea recta ducta ab eo, quod diuidit terram in duas partes æquales, transit per centrum magnitudinis terræ: ergo illud tendit ad centrum magnitudinis terræ, quod in illam cadens diuidit illam in partes æquales.

Minor pr. Linea tantum quæ est diameter, diuidit terram in duas partes æquales; atqui diameter transit per centrum magnitudinis terræ: ergo linea recta ducta ab eo, quod diuidit terram in duas partes æquales, transit per centrum magnitudinis terræ.

Obiicitur. In corpore rotundo, quod habet partes alias alijs grauiores centrum magnitudinis, & grauitatis eius non est idem; atqui terra est rotunda, & habet partes alias aliis grauiores: ergo centrum grauitatis, & magnitudinis eius non est idem.

Solutio: *Centrum magnitudinis, & grauitatis non est idem in corpore rotundo, quod habet partes alias aliis grauiores, si partes illæ minus graues omnes sint pro vna medietate, & grauiores pro alia;* Concedo. *si non sint omnes pro vna medietate, sed earum aliqua pro vna, & alia pro alia,* Nego. *Certè globus partim ligneus, & partim laneus, sed ita, vt post vnam partem ligneam sequeretur lanea, & post hanc lignea, & post istam lanea, & sic consequenter haberet partes inæqualiter graues, & nihilominus, quia leues omnes non se tenent ex vna medietate, & graues ex alia, centrum grauitatis, & magnitudinis eius esset planè idem*

atqui *terra est rotunda*, *& habet partes alias aliis grauiores, & grauiores tenent se omnes ex vna medietate, & leuiores ex alia*, Nego. *& non se tenent omnes ex vna medietate, sed sunt permixta grauiores cum leuioribus*, Concedo.

Contrà. Partes terræ tectæ aquis, & partes eiusdem à sole exsiccatæ sunt aliæ aliis grauiores; atqui partes terræ aquis tectæ tenent se omnes ex vna medietate, & exsiccatæ à sole ex alia: ergo partes terræ grauiores tenent se omnes ex vna medietate, & leuiores ex alia.

Minor pr. Partes terræ aquis tectæ sunt illæ, quæ latent sub mari, & exsiccatæ à sole, quæ eo non teguntur; atqui partes terræ, quæ latent sub mari tenent se ex vna medietate, & quæ eo non teguntur ex alia: ergo partes terræ aquis tectæ tenent se omnes ex vna medietate, & exsiccatæ à sole ex alia.

Solutio: *Neganda est minor, quia diuidi non potest terra in duas partes æquales, vt patet satis ex globo terrestri, quin in vnaquaque quomodocunque illa fiat diuisio, sint partes aliquæ tectæ aquis, & aliæ exsiccatæ à sole, ac proinde partes omnes tectæ aquis non se tenent ex vna medietate, & exsiccatæ à sole ex alia.*

Contrà. Ita potest fieri ista diuisio in duas medietates, vt vna habeat multo plures partes tectas aqua, quàm alia: ergo nulla solutio.

Solutio: *Ita potest fieri ista diuisio terræ in duas medietates, vt vna habeat plures partes tectas aqua quàm alia, & in ista non fiet compensatio propter aquas in eius visceribus inclusas, & per eius meatus subterraneos discurrentes*, Nego.

& fiet compensatio, Concedo.

Contrà. Per aquas illas inclusas, & discurrentes non fit sufficiens compensatio: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Per aquas illas inclusas non potest fieri sufficiens compensatio, nisi illæ sint ferè æquales illis, quæ tegunt partes terræ; atqui sunt longè minores: ergo per aquas inclusas, & discurrentes non fit sufficiens compensatio.

Solutio: *Per illas aquas inclusas non potest fieri sufficiens compensatio, nisi illa sint ferè æquales illis, quæ tegunt partes terræ, si in meatibus, per quos discurrunt, & in receptaculis, quibus asservantur non sit aër sæpe multus supplens per suam leuitatem id, quod deest ad sufficientem illam compensationem*, Concedo. *si sit aër*, Nego. atqui *sunt longè minores, & non est aër in meatibus, per quos discurrunt*, Nego. *& est aër*, Concedo. *Certè meatus isti non ita coaptantur aquis fluentibus, vt omnino ab illis impleantur, nullúsque locus sit aëri, qui ad vitandum vacuum succedit vt plurimùm in spatia non occupata à terra, aut aqua.*

NONA CONCLVSIO:

Aqua secundùm superficiem conuexam est rotunda.

MARE non est planũ: ergo aqua est rotunda.

Antecedens pr. In mari plano signum in littore positum, videtur tam facilè à remotioribus, ac à propinquioribus; atqui signum positum in litore maris, non videtur tam facilè à remotiori-

bus, ac à propinquioribus : ergo mare non eſt planum.

Maior pr. Signum in littore maris poſitum videtur ex omni loco, ex quo ad ipſum duci poteſt linea recta, non impedita per corpus opacum; atqui ex loco illo maris ſi ſupponatur planum in quo exiſtunt remotiores, tam benè duci poteſt linea recta, non impedita per corpus opacum ad ſignum in littore poſitum, quàm ex loco in quo ſunt propinquiores : ergo in mari plano ſignum in littore poſitum videtur tam facilè à remotioribus, ac à propinquioribus.

Minor pr. Corpus opacum impediens ne duci poſſit linea recta ex loco, in quo exiſtunt remotiores, non poteſt eſſe niſi tumor aliquis aquæ intermediæ; atqui non eſt tumor aquæ intermediæ : ergo in mari quod ſupponitur planum ex loco in quo exiſtunt remotiores, tã benè duci poteſt linea recta, non impedita per corpus opacum, ac ex loco in quo exiſtunt viciniores.

Minor pr. Illud corpus opacum non poteſt eſſe niſi aër interiacens, aut tumor aliquis aquæ intermediæ; atqui non eſt aër interiacens : ergo eſt aliquis tumor aquæ intermediæ.

Minor pr. Illud non eſt corpus opacum quod eſt diaphanum; atqui aër interiacens eſt diaphanus : ergo non eſt aër interiacens.

Minor pr. Illud eſt diaphanum, quod non impedit ne videantur ea inter quæ interponitur; atqui aër non impedit ne videantur ea inter quæ interponitur teſte experientia : ergo aër interiacens eſt diaphanus.

DECIMA CONCLVSIO:

Aqua vnicum facit globum cum terra.

QVOD facit globum, & non facit distinctum à terra, debet facere vnum cum illa; atqui aqua facit globum, & non facit distinctum à terra: ergo facit tantùm vnicum cum illa.

Minor pr. Globus distinctus efformatus ab aqua debet esse necessariò, vel superior, vel inferior, vel æqualis globo terræ; atqui globus distinctus non potest esse; neque superior, neque inferior, neque æqualis globo terræ: ergo aqua non facit globum distinctum à terra.

Prima pars minoris non esse superiorem, probatur.

Corpus graue, quod ex globo superiori accedit ad inferiorem faciliùs, & minori vi mouetur, quàm cùm ex inferiori accedit ad superiorem; atqui corpus graue ex globo aquæ accedens ad globum terræ non faciliùs mouetur, quàm ex globo terræ accedens ad globum aquæ: ergo globus aquæ non est superior globo terræ.

Minor pr Naues sunt corpus graue; atqui naues accedentes ex globo aquæ ad globum terræ, non faciliùs mouentur, quàm ex globo terræ ad globum aquæ: ergo corpus graue ex globo aquæ accedens ad globum terræ non faciliùs mouetur, quàm ex globo terræ accedens ad globum aquæ.

Minor pr. Naues accedentes ad littus accedunt ex globo aquæ ab globum terræ, & rece-

dentes è littore accedunt è globo terræ ad globum aquæ; atqui naues non faciliùs accedunt ad littus, quàm ab eo recedunt: ergo naues accedentes ex globo aquæ ad globum terræ non faciliùs mouentur, quàm ex globo terræ ad globum aquæ.

Secunda pars minoris, globum aquæ non esse inferiorem, probatur.

Globus, qui est alio leuior, non debet eo esse inferior; atqui globus aquæ est leuior globo terræ: ergo non debet esse inferior illo.

Minor pr. Globus aquæ est leuior eo qui est omnium grauissimus; atqui globus terræ est omnium grauissimus ex tertia conclusione: ergo globus æquæ est leuior globo terrę.

Tertia pars minoris, globum aquæ non esse æqualem globo terræ, probatur.

Globus aquæ distinctus à globo terræ, isti non potest dici æqualis, quin proiiciat distinctam vmbram; atqui non proiicit distinctam vmbram: ergo non est æqualis globo terræ.

Minor pr. Globus aquæ proiicit vnam communem vmbram cum globo terræ: ergo non proiicit distinctam.

Antecedens pr. Talem vmbram proiicit globus aquæ, qualem videmus in eclipsi lunæ; atqui illa est communis cum illa globi terræ: ergo globus aquæ proiicit vnam communem vmbram cum globo terrę.

Obiicitur. Globus aquæ est distinctus à globo terræ: ergo aqua non facit vnicum globum cum terra.

Antecedens pr. Globus aquæ est superior glo-

bo terræ : ergo globus aquæ est distinctus à globo terræ.

Antecedens pr. Globus aquæ est superior omni alio globo, qui videtur eo inferior; atqui globus terræ videtur inferior globo aquæ ab omnibus, qui eam intuentur ex alto mari: ergo globus terræ est inferior globo aquæ.

Solutio : *Globus aquæ est superior omni alio globo, qui videtur eo inferior, quòd verè ita sit,* Concedo. *propterea quòd sit obscurior, & obscuriora apparere soleant depressiora*, Nego. atqui *globus terræ videtur inferior globo aquæ, quod verè ita sit*, Nego. *propterea quòd sit obscurior, & obscuriora appareant depressiora*, Concedo. *Certè pictores cùm aliquid volunt repræsentare depressius in tabella omnino æquali, non aliud adhibent quàm colorem aliquem obscuriorem eo, per quem repræsentant aliud magis elatum.*

Contrà. Globus terræ videtur inferior globo aquæ, non tantùm quòd sit obscurior; sed quòd verè, & reipsa ita se habeat : ergo est verè eo inferior.

Antecedens pr. Globus terræ est verè inferior eo, quod Deus miraculosè continet ne effundat se super globum terræ; atqui Deus miraculosè continet globum aquæ, ne se effundat super terram : ergo globus terræ est verè inferior globo aquæ.

Minor pr. Illud Deus miraculosè continet ne se effundat super terram, cui in eum finem præfigit terminos, & limites; atqui Deus in eum finem præfigit terminos aquæ, ne se effundat super terram: ergo Deus miraculosè cõtinet glo-

bum aquæ, ne se effundat super terram.

Minor pr. Deus Iob trigesimo tertio inducitur ita alloquens mare, *huc vsque venies, & infringes tumentes fluctus tuos*, & alibi de eodem dicitur, *posuisti terminos qui præteriri non poterunt*: ergo Deus præfigit terminos aquæ, ne se effundat super terram.

Solutio: *Ergo Deus præfigit terminos aquæ, ne se effundat super terram, distinctos à receptaculis, & cauitatibus terræ, intra quas Deus ab initio eam conclusit*, Nego. *non distinctos ab illis cauitatibus*, Concedo. *Ratione istarum cauitatum, verum est quòd Deus posuerit mari terminos, & dixerit*, hucusque venies, & ex his exire non poteris.

VNDECIMA CONCLVSIO.

Aër ambit terram, & aquam.

ILLVD ambit terram, & aquam quod ex omni parte est illis superius; atqui aër ex omni parte est superior terra, & aqua: ergo aër ex omni parte ambit terram, & aquam.

Minor pr. Illis aër est superior ex omni parte, cui illa superposita sponte se subiiciunt: atqui terra, & aqua vbicunque superponantur aëri, sponte ei se subiiciunt teste experientia: ergo aër omni ex parte est superior terra, & aqua.

DVODECIMA CONCLVSIO:

Ignis est in concauo lunæ.

In eo loco non est negandus esse ignis, in quo non est repugnantia eum esse, communis sensus ferè omnium dicit eum esse, & coniectura valdè probabilis id suadet; atqui nulla est repugnantia, quòd ignis sit in concauo lunæ, communis ferè omnium sensus dicit ibi esse, & coniectura valdè probabilis id suadet: ergo ignis est in concauo lunæ.

Probatur tertia pars minoris, aliæ enim claræ sũt. Coniectura valdè probabilis dicit ignem esse in magna mole alicubi; atqui illud alicubi est concauum lunæ: ergo coniectura valdè probabilis dicit ignem esse in concauo lunæ.

Maior pr. Existente elemento contrario ignis in magna mole, coniectura est valdè probabilis ipsum etiam alicubi existere in magna mole; atqui elementum contrarium ignis, aqua scilicet, existit in magna mole in mari: ergo coniectura est valdè probabilis, ignem existere alicubi in magna mole.

Maior pr. Non debet esse magnus excessus, & enormis in viribus, & actiuitate vnius elementi contrarij supra aliud; atqui existente vno elemento contrario in magna mole, aliud etiã in magna mole non existere est magnum, & enormem esse excessum virium, & actiuitatis primi supra secundum: ergo existente vno elemento contrario in magna mole, debet aliud quoque in pari mole existere.

Maior pr. Inter ea, inter quæ debet esse diuturna, & ferè cõtinua pugna, non debet esse ma-

gnus, & enormis excessus virium, & actiuitatis vnius supra aliud: atqui inter elementa contraria debet esse diuturna, & ferè continua pugna: ergo nō debet esse magnus, & enormis excessus, in viribus, & actiuitate vnius elementi contrarij supra aliud.

Maior pr. Non est diuturna, neque continua pugna inter ea, quorum vnū breui vincit aliud; atqui ex his, quorum vnum excedit valdè aliud, in viribus, & actiuitate, vnū breui vincit aliud: ergo inter ea, inter quæ debet esse ferè continua pugna; non debet esse magnus, & enormis excessus virium actiuitatis vnius supra aliud.

Minor prioris argumenti probatur.

Eo modo debet esse pugna inter elementa contraria, quo ex ea fieri debent generationes, aut mixtorum, aut alterius elementi; atqui ferè continuò ex pugna elementorum fieri debent generationes mixtorum, aut alterius elementi: ergo inter elementa contraria debet esse ferè continua pugna.

Minor pr. Mixta non generata ex semine fieri debent ex pugna elementorum contrariorum; atqui huiusmodi mixta ferè continuò fiunt: ergo generationes mixtorum ferè continuò fiunt ex pugna elementorum.

Obiicitur. Ignis non potest esse in concauo lunæ nisi in magna vi vel parua quantitate: atqui neutrum dici potest: ergo non est in concauo lunæ.

Respondeo *esse in magna quantitate.*

Contrà. Ignis in magna quantitate existens in concauo lunæ absumeret totum aërem: atqui

eum non absumit: ergo non est in magna quantitate in concauo lunæ.

Maior pr Quod est maximè actiuum, & est applicatum in magna mole aëri, debet illum totum absumere; atqui ignis est maximè actiuus, & existens in cócauo lunæ est applicatus in magna mole aëri: ergo ignis in magna mole existens in concauo lunæ, deberet absumere totum aërem.

Solutio: Atqui *ignis est maximè actiuus; cùm est in materia densa*, Concedo. *cùm est in materia valdè rara*, Nego. ergo *ignis in magna mole existens in concauo lunæ, in materia valdè densa deberet totum aërem absumere*, Concedo. *in materia valdè rara*, Nego.

Contrà. Nõ potest dici esse ignis in materia, etiã valdè rara in cõcauo lunæ: ergo nulla solutio.

Antecedens pr Ibi non debet dici esse, & perseuerare ignis vbi conseruari non potest; atqui etiam in materia valdè rara conseruari non potest in concauo lunæ: ergo ignis etiam in materia valdè rara esse, & perseuerare non potest in concauo lunę.

Minor pr. Ignis etiã in materia valdè rara conseruari non potest sine pabulo; atqui in concauo lunę nullũ habet pabulũ: ergo etiam in materia valdè rara cõseruari nõ potest in concauo lunæ.

Solutio: *Ignis etiam in materia valdè rara non potest conseruari sine pabulo si non sit in loco naturali*, Concedo. *si sit in loco naturali*, Nego. atqui *in concauo lunæ nullum habet pabulum, & concauum lunæ non est eius locus naturalis*, Nego. *& est eius locus naturalis*, Concedo.

Contrà. Concauum lunæ non est magis locus naturalis vllius alterius ignis, quàm nostratis; atqui non est locus naturalis nostratis: ergo neque vllius alterius.

Maior pr. Illud non est locus naturalis nostri ignis, quò nullus peruenit; atqui nullus noster ignis peruenit ad concauum lunæ: ergo concauum lunæ non est locus naturalis nostri ignis.

Solutio: *Illud non est locus naturalis nostri ignis, quò nullus peruenit, si non impediatur eò peruenire* Concedo. *si impediatur*, Nego. atqui *nullus noster ignis peruenit ad concauum lunæ & non impeditur peruenire*, Nego. *& impeditur à contrariis agentibus ipsum in via opprimentibus*, Concedo.

Contrà Noster ignis non impeditur eò peruenire quò non conatur peruenire; atqui non conatur peruenire ad concauum lunæ: ergo eò non impeditur peruenire.

Minor pr. Eò noster ignis non conatur peruenire, quò non exigit peruenire; atqui non exigit peruenire ad concauum lunæ: ergo eò non conatur peruenire.

Minor pr. Noster ignis non debet dici exigere eò peruenire, vbi non esset illuminatus, nec illuminatiuus; atqui in concauo lunæ non esset illuminatus, nec illuminatiuus: ergo non exigit peruenire ad concauum lunæ.

Minor pr Ignis qui dicitur esse in concauo lunæ non est illuminatus, nec illuminatiuus: ergo noster si esset in concauo lunæ non esset etiam illuminatus, nec illuminatiuus.

Prima pars minoris probatur.

Quod est illuminatum videtur à nobis cùm inter illud, & nos non interponitur corpus opacum; atqui in concauo lunæ nullus ignis videtur à nobis, licèt inter illum, & nos nullum interponatur corpus opacum : ergo in concauo lunæ nullus est ignis qui sit illuminatus.

Solutio : *Quod est illuminatum si sit densum, & habeat satis opacitatis videtur à nobis cùm inter illud, & nos non interponitur corpus opacum,* Concedo. *si sit valdè rarum & non habeat satis opacitatis*, Nego. *& concessa minori : ergo in concauo lunæ nullus est ignis, qui sit illuminatus, densus, & habens satis opacitatis ad terminandam visionem*, Concedo. *qui non habeat satis opacitatis*, Nego. *Certè aër habet plus opacitatis, quàm ignis, quippe minùs rarus, & tamen non videtur à nobis, vt patet cùm intuentes duorum montium cacumina inter qua est magna distantia, nihil existimamus ea distare, propterea quòd solus aër inter illa medius nobis pateat.*

Secunda pars minoris superioris argumenti, ignem non esse illuminatiuum, probatur.

Quod est illuminatiuum illuminat ea, quibus vicinum est; atqui ignis in concauo lunæ non illuminat ea, quibus est vicinus : ergo ignis in concauo lunæ non est illuminatiuus.

Minor pr. Ignis in concauo lunæ est vicinus lunæ; atqui non illuminat lunam : ergo non illuminat ea, quibus est vicinus.

Minor pr. Numquam magis dici potest ignis illuminare lunā, quàm in eclipsi; atqui in eclipsi non illuminat lunā: ergo non illuminat lunam.

Solutio : Atqui *in eclipsi non illuminat lunam*

ſplendore accedente ad eum, quem accipit à ſole, Concedo. *alio minori*, Nego. *& eodem modo, conſequens diſtinguendum eſt: Certè cùm luna etiam in eclipſi à nobis videatur, negandum non eſt quin habeat lumen partim à ſe, & partim ab igne vicino.*

SECTIO II.

De magnitudine elementorum.

PRIMA CONCLVSIO:

Terra eſt punctalis magnitudinis reſpectu firmamenti.

QVOD eſt minus eo, quod eſt tantùm punctalis magnitudinis reſpectu firmamenti, reſpectu eiuſdem eſt tantùm punctalis magnitudinis; atqui terra eſt minor eo, quod eſt tantùm punctalis magnitudinis reſpectu firmamenti: ergo terra eſt tantùm punctalis magnitudinis reſpectu firmamenti.

Minor pr. Terra eſt minor ſtellis; atqui illæ ſunt tantùm punctalis magnitudinis reſpectu firmamenti: ergo terra eſt minor eo, quod eſt tantùm punctalis magnitudinis reſpectu firmamenti.

Maior pr. Quod eſt minus ſole eſt minus ſtellis; atqui ex aſtronomis terra eſt longè minor ſole: ergo eſt etiam minor ſtellis.

Maior pr. Stellæ ex aſtronomis ſunt longè ma-

iores sole: ergo quod est minus sole est etiam minus stellis.

SECVNDA CONCLVSIO:

Elementa totalia non seruant inter se proportionem decuplam.

TERRA, & aqua non seruant inter se proportionem decuplam: ergo nec elementa.

Antecedens pr. Illa non seruant inter se proportionem decuplam quoad magnitudinem localem, quorum vnum non est maius alio decies; atqui aqua non est maior terra decies: ergo aqua, & terra non seruant inter se proportionem decuplam.

Minor pr. Illud non est maius alio decies, cuius diameter non est maior decies diametro alterius; atqui diameter aquæ non est maior decies diametro terræ: ergo aqua non est maior terra decies.

Minor pr. Diameter aquæ est minor diametro terræ: ergo non est maior decies.

Anteceden. pr. Profunditas maris est diameter, aut ad minus semidiameter aquæ; atqui profunditas maris est minor, quàm sit diameter, aut semidiameter terræ: ergo diameter aquæ est minor diametro terræ.

Minor probatur. Illud quod continet tantùm tria millaria est minus eo, quod continet triginta octo, aut septuaginta septem milliaria; atqui semidiameter terræ cōtinet triginta octo, & diameter septuaginta sex millaria, & pro-

funditas maris ex experientia certa nautarum, & vrinatorum tantùm tria milliaria: ergo profunditas maris est minor quàm sit diameter, aut semidiameter terræ.

Sectio III.

De virtutibus & principijs motiuis elementorum, grauitate scilicet & leuitate, déque motu naturali grauium, & leuium.

Prima Conclvsio:

Grauitas, & leuitas non sunt accidentia specialia superaddita formis elementaribus.

Gravitas nihil aliud est, quàm vis productiua motus deorsum, & leuitas sursum; atqui nulla est necessitas admittendi huiusmodi vim productiuam esse speciale accidens: ergo grauitas, & leuitas non sunt specialia accidentia.

Minor pr. Forma cum suo temperamento connaturali potest huiusmodi motus producere: ergo nulla est necessitas admittendi huiusmodi vim productiuam esse speciale accidens.

Antecedens pr. Quod potest producere vim

productiuam illius motus, potest & ipsum motum; atqui forma potest producere in sententia contraria vim illam productiuam specialem illius motus, grauitatem scilicet, & leuitatem: ergo & producere potest ipsum motum.

Obijcitur. Grauitas, & leuitas non identificantur cum forma substantiali : ergo sunt accidens speciale illi superadditum.

Antecedens pr. Conuenit aliquid grauitati, & leuitati, quod non conuenit formæ substantiali : ergo grauitas & leuitas non identificantur cum forma substantiali.

Antecedens pr. Esse intensibile, & remissibile conuenit grauitati, & leuitati; atqui non conuenit formæ substantiali : ergo conuenit aliquid leuitati, & grauitati, quod non conuenit formæ substantiali.

Maior pr. Illud est intensibile in grauitate, & leuitate, quod modò magis, modò minùs grauitat : atqui multa sunt quæ modò magis, modò minus grauitant : ergo esse intensibile, & remissibile conuenit grauitati, & leuitati.

Maior pr. Modò magis modò minus grauitare est vel esse intensibile, & remissibile in grauitate, & leuitate, vel esse productiuum modò maioris, & celerioris, modò minoris, & tardioris motus deorsum; atqui non est hoc secundum : ergo est primum.

Minor pr. Debet afferri aliqua ratio, cur illud sit productiuum modò celerioris, modò tardioris motus deorsum; atqui nulla afferri potest ratio : ergo non est hoc secundum.

Minor pr. Non potest alia afferri ratio, quàm

quòd forma modò sit productiua celerioris motus deorsum, modò tardioris: atqui forma non potest dici productiua horum motuum: ergo forma non est productiua modò celerioris motus, modò tardioris deorsum.

Minor pr. In speciebus Eucharisticis sunt illi motus; atqui non producuntur à forma: ergo forma non debet dici eorum productiua.

Solutio: Atqui *non producuntur à forma, neque ab alio supplente eius absentiam*, Nego. *non producuntur à forma, sed alio supplente eius absentiam*, Concedo, ergo *forma non debet dici eorum productiua per se tantùm*, Concedo. *per se, vel per aliud, supplens eius vices*, Nego.

Contrà. Illud supplens nō potest esse nisi Deus; atqui non est Deus: ergo hi motus non producuntur ab alio supplente.

Minor pr. Deus non supplet defectum formæ substātialis in productione motus deorsum pręsente grauitate speciali qualitate; atqui in speciebus Eucharisticis est grauitas specialis qualitas: ergo Deus non supplet defectum formæ substantialis.

Minor pr. Grauitas in multis aliis rebus est specialis qualitas: ergo & in speciebus Eucharisticis.

Antecedens pr. In multis aliis rebus mutata forma substantiali manet eadem grauitas: ergo grauitas in multis aliis rebus non est forma substantialis, sed specialis qualitas.

Solutio: *In aliis rebus mutatâ formâ substantiali manet eadem grauitas substantialis, seu in actu primo*, Nego. *accidentalis & in actu secun-*

do, Concedo. ergo *grauitas substantialis*, *seu in actu primo non est forma substantialis*, Nego. *accidentalis*, Concedo.

Contrà. Grauitas in actu primo est vis productiua motus deorsum; atqui illa vis non est forma substantialis: ergo nec grauitas in actu primo.

Minor pr. Manente forma substantiali mutatur vis illa productiua: ergo vis illa non est forma substantialis.

Solutio: *Manente forma cum suo temperamento connaturali mutatur illa vis productiua*, Nego. *sublato eius temperamento connaturali*, Concedo. ergo *vis illa*, *seu grauitas non est sola forma substantialis sine temperamento connaturali*, Concedo. *cum suo temperamento connaturali*, Nego.

Contrà. Manente forma cum suo temperamento connaturali non manet eadem grauitas: ergo grauitas non est forma substantialis cum suo temperamento connaturali.

Antecedens pr. In partibus viuentis est eadem forma substantialis, & temperamentũ ipsi connaturale; atqui non est eadem grauitas: ergo non manet eadem grauitas manente forma substantiali cum suo temperamento connaturali.

Solutio: *In partibus viuentis est eadem forma, & temperamentum idem*, Nego. *diuersum*, Concedo. *& concessa minori*: ergo *non manet eadem grauitas manente forma cum suo temperamento connaturali eodem*, Nego. *diuerso*, Concedo.

Contrà. Grauitas in homine non est anima rationalis, & eius temperamentum conna-

turale idem : ergo grauitas non est forma, & eius temperamentum connaturale quantumuis idem.

Antecedens pr. Grauitas est aliquid materiale; atqui anima rationalis non est aliquid materiale : ergo grauitas non est anima rationalis, & eius temperamentum connaturale idem.

Solutio : *Grauitas est aliquid materiale, secundùm id totum, quod dicit,* Concedo. *sumpta tantùm secundùm partem eius, quod dicit,* Nego. atqui *forma hominis non est aliquid materiale & est totum id, quod dicit grauitas*, Nego. *& est tantùm pars eius, quod dicit*, Concedo. *Aliud, quod dicit grauitas est temperamentum, quod sine dubio est materiale, & consequenter etiam totum, quod constat cum altera parte quantumuis immateriali. Totum enim quod habet vel vnam solam partem materialem est materiale, seu non habens independentiam à re impenetrabili.*

SECVNDA CONCLVSIO:

Sicut terræ conuenit grauitas simpliciter, & aquæ secundùm quid, ita leuitas conuenit igni simpliciter & aëri secundùm quid.

GRAVITAS simpliciter est descẽsus infra omnia, & grauitas secundùm quid descensus infra aliqua tãtùm; leuitas simpliciter è cõtrario, est ascensus super omnia, & leuitas secundùm quid ascensus tantùm supra aliqua; atqui terræ conuenit descensus infra omnia, & aquæ infra ali-

qua tantùm; igni verò ascensus supra omnia, & aëri ascensus supra aliqua tantùm: ergo grauitas simpliciter conuenit terræ, & aquæ secundùm quid, leuitas simpliciter conuenit igni, & aëri secundùm quid.

Minor pr. Illi verè cõuenit descensus infra omnia, quod superpositũ aliis spõte descendit infra omnia, & illi tantùm secundùm quid, quod descendit tantùm infra aliqua. Similiter ascensus super omnia proprius est illius, quod suppositum aliis sponte ascendit supra omnia, eius verò tantùm secundùm quid, quod ascendit tantùm supra aliqua; atqui terra superposita aliis, descendit infra omnia, aqua verò tantùm infra aliqua, similiter ignis suppositus aliis propria vi ascendit supra omnia, aër verò tantùm supra aliqua: ergo terræ conuenit descensus infra omnia, & aquæ infra aliqua tantùm, igni verò ascensus super omnia, & aëri ascensus supra aliqua tantùm.

Minorem probat experientia.

Obÿcitur. Aquę conuenit grauitas simpliciter: ergo non conuenit terræ.

Antecedens pr Illi conuenit grauitas simpliciter quod velociùs descendit; atqui aqua velociùs descendit quàm terra: ergo grauitas simpliciter conuenit aquæ.

Minor pr. Multum aquæ velociùs descendit quàm exiguum terræ: ergo aqua velociùs descendit quàm terra.

Solutio: *Responderi posset primò cùm aliquibus negando antecedens, cuius contrarium comprobare dicunt experientiam.*

Respondeo secundò : *Multum aqua velociùs descendit, quàm exiguum terra, & est æqualis molis*, Nego. *& est inæqualis molis, & maioris*, Concedo: ergo *aqua velociùs descendit quàm terra in æquali mole*, Nego. *in inæquali mole & maiori*. Concedo. *hoc autem non sufficit ad excessum in grauitate, sed requiritur vt sit paritas molis, & aliorum, à quibus esse potest velocitas illa maior descensus.*

TERTIA CONCLVSIO:

Elementa, nec grauitant, nec leuitant in propriis locis.

AER, ignis, aqua, & terra non grauitant, nec leuitant in proprijs locis : ergo nec elementa.

Minor pr. Proprius locus terræ est esse infra alia elementa, aquæ esse super terram, aëris supra terram, & ignis in supremo loco; atqui terra infra alia elementa non grauitat, nec etiã aqua supra terram, similiter aër supra aquam non leuitat, nec ignis in concauo lunæ : ergo in proprijs locis non grauitant, nec leuitant.

Minor pr. Grauitare est niti se subijcere corpori leuiori, leuitare verò niti supereminere grauiori; atqui terra infra alia elemẽta, & aqua supra terram non nituntur se subijcere corpori grauiori, similiter aër supra terram, & aquam, & ignis in supremo loco nõ nituntur supereminere grauiori: ergo terra infra alia elementa nõ grauitat, nec etiam aqua super terram, & aër

supra terram, & aquam, & ignis in supremo loco non leuitant.

Minor probatur. Illud non nititur se subiicere corpori leuiori, quod nullum habet infra se leuius, neque illud supereminere grauiori quod nullum habet supra se grauius; atqui terra infra alia elementa, & aqua super terram nullum habent infra se leuius, aër etiam supra aquam, & ignis in concauo lunæ nihil habent supra se grauius: ergo terra infra alia elementa, & aqua super terram non nituntur se subiicere leuiori, sicut & aër super aquam, & ignis in concauo lunæ, supereminere grauiori.

Obijcitur. Terra grauitat in proprio loco; ergo & elementa.

Minor pr. Proprius locus terrę est centrum mundi; atqui terra grauitat in centro mundi: ergo & in proprio loco.

Minor pr. Cùm terra est in centro mundi partes eius superiores grauitant: ergo & ipsa terra.

Antecedens pr. Grauitare est niti deorsum; atqui cùm terra est in centro mundi, partes eius superiores nituntur deorsum: ergo grauitant.

Minor pr. Quod distat à centro, & conatur se in illo ponere, nititur deorsum; atqui cùm terra est in centro mundi partes eius superiores distant à centro mundi, & conatur se in illo ponere: ergo cùm terra est in centro mundi, partes eius superiores nituntur deorsum.

Prima pars minoris clara est, & secunda probatur.

Quod exigit esse in centro conatur se in illo constituere; atqui partes terræ superiores exigunt

gunt esse in centro mundi : ergo conantur se in illo constituere.

Solutio : *Quod exigit esse in centro, secundùm se immediatè, conatur se in illo constituere*, Concedo. *secundùm totum quod constituit tantùm*, Nego. atqui *partes terræ superiores exigunt esse in centro secundùm se immediatè*, Nego. *secundùm totum quod constituunt*, Concedo.

Contrà. Non minùs partes superiores terræ exigunt esse in centro secundùm se immediatè, quàm inferiores; atqui inferiores hoc exigunt: ergo superiores etiam idem exigunt.

Minor probatur. Inferiores non sunt indifferentes, vt sint in centro : ergo exigunt esse in illo.

Solutio : *Negandum est antecedens, quia & superiores, & inferiores nihil aliud exigunt, quàm vt totum quod constituunt, sit in centro mundi; inferiores enim si essent superiores, & superiores inferiores æquè contenta essent, & nulla fieret ipsis violentia.*



SECTIO IV.

De motu proiectorum, & natura impulsus.

PRIMA CONCLVSIO:

Proiecta mouentur à qualitate ipsis intrinseca, quæ vocatur vis impressa, aut impulsus.

PROIECTA mouentur vel ab illa qualitate, vel à proijciente, vel ab aëre, seu medio, vel à cœlo, vel à Deo solo; atqui non mouentur à proiiciente, neque ab aëre, seu medio, neque à cœlo, neque à Deo solo: ergo mouentur à qualitate ipsis intrinseca, quæ dicitur vis impressa, aut impulsus.

Prima pars minoris probatur.

Proiecta non mouentur ab eo, quod non magis concurrit ad illum motum, quàm si non esset; atqui proijciens non magis concurrit ad illum motum, quàm si non esset: ergo non mouentur à proijciente.

Minor probatur. Ille non magis concurrit ad illum motum, quàm si non esset, qui tunc interiisse potest, aut otiari, aut non esse illi approximatus; atqui proijciens potest tunc interiisse, otiari, & illi non esse approximatus teste experientia; ergo proijciens non magis concurrit

ad illum motum, quàm si non esset.

Secunda pars minoris superioris argumenti, proiecta non moueri ab aëre, probatur.

Aër non aliter dici potest causa illius motus, quàm quod eius partes vehant lapidem, eúmque trahant; atqui falsum est aërem trahere, & vehere lapidem: ergo proiecta non mouentur ab aëre.

Minor probatur. Partes aëris non possunt vehere, & trahere lapidem nisi versus partem, versus quam mouentur; atqui non vehunt & trahunt illum versus partem, versus quam mouentur: ergo partes aëris non trahunt, & vehunt lapidem.

Vt probetur minor, Suppono *ventum valde vehementem impellere aërem versus orientem, & proiici lapidem versus occidentem, & sic argumentor:*

Pars, versus quam mouentur partes aëris est oriens: atqui partes aëris non vehunt, nec trahunt lapidem versus orientem: ergo partes aëres non trahunt, nec vehunt lapidem versus partem versus quam mouentur.

Minor pr. Eò partes aëris non vehunt, & trahunt lapidem, quò lapis non mouetur; atqui lapis non mouetur versus orientem: ergo partes aëris non vehunt, & trahunt lapidem versus orientem.

Minor pr. Quod mouetur versus occidentem non mouetur versus orientem; atqui lapis mouetur versus occidentem: ergo non mouetur versus orientem.

Minor pr. Eò lapis mouetur, quò proiicitur;

atqui proiicitur versus occidentem: ergo mouetur versus occidentem.

Tertia pars minoris superioris argumenti, cœlum & Deum non esse causas motus proiectorũ, pr.

Causa vniuersalis non debet dici causa effectus nisi sit aliquid, quod exigat illum ab illa produci; atqui Deus, & cœlum sunt causæ vniuersales, & nihil est, quod illum postulet ab illis produci: ergo neque cœlum, neque Deus sunt causa illius motus.

Minor probatur. Quod dici potest exigere illam productionem, est vel materia, vel forma lapidis, vel aliquod eius accidens connaturale, vel aliquid eum circunstans; atqui neque materia, neque forma lapidis, neque aliquod eius accidens connaturale, aut aliquid eum circunstans hoc exigunt: ergo nihil est quod exigat illum motum ab illis produci.

Maior pr. Illud non exigit illum motum produci, quod est indifferens ad illum, & multo minus id, cui ipse est contrarius; atqui materia lapidis, & quæ eum circunstant, & accidentia eius connaturalia sunt indifferentia ad illum motum: ipse verò est sæpè contrarius formæ lapidis: ergo neque materia, neque forma lapidis, neque aliquod eius accidens connaturale, aut aliquid eum circunstans hoc exigunt.

Obiicies ex Aristotele. Medium est causa motus lapidis proiecti; atqui medium non est qualitas impressa: ergo motus lapidis proiecti non est à qualitate impressa.

Solutio ex Aristotele. *Medium est causa sæpè adiuuans motus lapidis proiecti*, Concedo, *causa te-*

talis, & adæquata. Nego. *& concessa minori* ergo *motus lapidis proiecti non est à qualitate impressa semper vt à causa totali, & adæquata, cum qua nihil aliud concurrit*, Concedo. *vt à causa præcipua*, Nego.

Contrà. Aër ordinariè est medium per quod proiicitur lapis; atqui aër est causa totalis,& adæquata motus lapidis proiecti : ergo & mediũ.

Minor pr. Partes aëris trahunt lapidem proiectum per aërem : ergo aër est causa totalis, & adæquata motus lapidis proiecti per aërem.

Antecedens pr. Non minùs partes aëris debent dici trahere lapidem proiectum per aërẽ, quàm corpora quæque grauissima in periculo vacui; atqui partes aëris trahunt corpora quæque grauissima in periculo vacui ; ergo trahunt etiam lapidem proiectum.

Solutio : *Neganda est maior, quia quando trahitur lapis per aërem non est periculum vacui, vnde licèt aër habeat vim cùm est huiusmodi periculum trahendi corpora quæque grauissima, cùm illud non est, similis vis non est ei concedenda.*

Contrà. Lapis proiectus per aërem trahitur ab aliquo ; atqui nihil est aliud á quo trahi possit commodiùs extra vacui periculum,quàm ab aëre: ergo trahitur ab aëre etiam extra periculum vacui.

Minor pr. Ille à quo trahi potest commodiùs, vel est quid intrinsecum, vel extrinsecum lapidi ; atqui neutrum dici potest : ergo nihil est à quo trahi possit commodiùs.

Respondeo *esse quid intrinsecum*.

Contrà Motus lapidis proiecti per aëra nõ est

à principio intrinseco: ergo id à quo trahitur non est ipsi intrinsecum.

Antecedens pr. Motus qui est à principio intrinseco est naturalis; atqui motus lapidis proiecti per aëra non est naturalis: ergo non est à principio intrinseco.

Solutio: *Motus qui est à principio intrinseco subordinato formæ mobilis, & eius naturæ conformi est naturalis*, Concedo. *à principio intrinseco aduentitio præternaturali, & minimè subordinato formæ mobilis*, Nego. *& concessa minori.* ergo *non est à principio intrinseco subordinato formæ mobilis, & eius naturæ conformi*, Concedo. *à principio intrinseco aduentitio præternaturali, & minimè subordinato formæ mobilis*, Nego. *Impulsus enim non subordinatur formæ mobilis. Illam siquidem mouet in contrariam partem ei, ad quam est eius inclinatio.*

SECVNDA CONCLVSIO:

Impulsus distinguitur specie à grauitate, & leuitate.

SVBSTANTIA, & accidens distinguuntur specie; atqui grauitas, & leuitas sunt ex parte substantiæ, ex prima conclusione sectionis tertiæ, & impulsus merum accidens: ergo distinguuntur specie.

Obijcitur. Potentiæ ordinatæ ad eumdem actum non distinguuntur specie; atqui impulsus, & grauitas, & leuitas sunt potentiæ ordinatæ ad eumdem actum: ergo non distinguuntur specie.

Solutio: *Potentiæ ordinatæ ad eumdem actum*

adæquatum non distinguuntur specie, transeat. *ad eumdem actum inadæquatum*, Nego. atqui *impulsus, & grauitas, & leuitas sunt potentiæ ordinatæ ad eumdem actum adæquatum*, Nego. *inadæquatum*, esto.

Contrà. Actus adæquatus grauitatis est motus deorsum; atqui actus adæquatus impulsus mouentis deorsum est etiam motus deorsum: ergo impulsus, & grauitas, & leuitas sunt potẽtiæ ordinatæ ad eumdem actum adæquatum.

Minor pr. Impulsus ille non potest mouere sursum, neque ad latera: ergo eius actus adæquatus est motus deorsum.

Antecedens pr. Impulsus potens mouere sursum, deorsum, & ad latus, est indifferens ad omnem motum; atqui impulsus non est indifferens ad omnem motum: ergo impulsus non potest mouere sursum, deorsum, & ad latus.

Minor pr. Quod est indifferens ad omnem motum debet habere à quo determinetur hæc eius indifferentia; atqui impulsus nihil habet à quo determinetur eius indifferentia: ergo impulsus non est indifferens ad omnem motum.

Minor pr. Illud, à quo determinetur hæc eius indifferentia non potest esse nisi inflexio manus, aut instrumenti, quo res proiicitur; atqui non est inflexio manus, aut instrumenti, quo res proiicitur: ergo impulsus nihil habere potest, à quo determinetur eius indifferentia.

Minor pr. Illud non determinat indifferentiam impulsus, quod non facit vt moueat potiùs in vnam partem, quã in aliã; atqui inflexio manus, aut instrumenti non facit vt impulsus mo-

ueat potiùs in vnam partem, quàm in aliam: ergo quod determinat indifferentiam impulsus non est inflexio manus.

Minor pr. Illud non facit vt impulsus moueat potiùs in vnam partem, quàm in aliam, quo posito impulsus mouet in contrariã partem; atqui posita tali manus inflexione, aut instrumẽti impulsus mouet in contrariam partem: ergo inflexio manus aut instrumenti nõ facit, vt impulsus moueat potiùs in vnam partem, quàm in aliam.

Minor pr. Cùm pila lusoria verbi gratia, proiecta incurrit in corpus durum, mouetur in contrariam partem ei, in quam mouebatur; atqui tunc est posita talis manus, aut instrumẽti inflexio: ergo posita tali manus, aut instrumenti inflexione impulsus mouet in contrariam partem.

Solutio: Atqui *tunc est posita talis inflexio manus, aut instrumenti, & non superuenit ei aliud contrarium determinatiuum illius impulsus*, Nego. *& superuenit*, Concedo. ergo *posita tali inflexione manus, aut instrumenti impulsus mouet in contrariam partem, si non superueniat aliud contrarium aquè determinatiuum illius impulsus*, Nego. *si superueniat*, Concedo. *Contrarium illud superueniens est occursus corporis illius duri, in quod incurrit.*

Contrà Occursus corporis, in quod incurrit, non determinat vt moueat in contrariam partem: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Impulsus ab Angelo impressus mouet in vnam partem, potiùs quàm in aliam; atqui occursus corporis, aut inflexio manus illum non determinat, vt moueat potiùs in hanc

partem quàm in aliam: ergo occursus corporis aut inflexio manus, non determinat impulsum vt moueat potiùs in vnam partē quàm in aliā.

Solutio; Atqui *occursus corporis aut inflexio manus non determinat illum, vt moueat potiùs in hanc partem quàm in aliam, neque aliquid Angeli illis æquiualens*, Nego. *& aliquid Angeli illis æquiualens*, Concedo. ergo *occursus corporis aut inflexio manus non determinat impulsum, vt moueat in hanc partem potiùs, quàm in aliam, cùm non adest aliud illis æquiualens, quod hoc faciat*, Nego. *cùm adest, & ipsa non sunt*, Concedo. *Illud autem, quod in Angelo facit determinationem illam, est illud; quod contraria sententia dicit facere, vt producatur diuersus specie impulsus, voluntas scilicet Angeli certo modo applicans suam potentiam motiuam.*

Tertia Conclvsio:

Causa impulsus est vis attractiua, expulsiua, & loco motina.

Impvlsvs producitur à vi attractiua, expulsiua, & loco motina: ergo vis attractiua, expulsiua, & loco motiua est causa impulsus,

Minor pr. Vis attractiua magnetis producit impulsum in ferro, quod trahit, & vis expulsiua medicamentorum in humoribus, quos expellunt, ac tandem vis loco motiua in rebus, quas proiicit, aut loco pellit: ergo impulsus producitur à vi attractiua, expulsiua & loco motiua.

QVARTA CONCLVSIO:

Actio productiua impulsus distinguitur à motu.

ACTIO quæ habet terminum distinctum à motu, ab eo distinguitur; atqui actio productiua impulsus habet distinctum terminum à motu: ergo ab eo distinguitur.

Minor pr. Terminus motus est vbi, terminus verò actionis productiuæ impulsus, est ipse impulsus: ergo actio productiua impulsus habet distinctum terminum à motu.

QVINTA CONCLVSIO:

Actio productiua impulsus est per se instantanea.

ILLA actio est per se instantanea, quæ per se fieri potest tota simul; atqui actio productiua impulsus per se fieri potest tota simul: ergo est per se instantanea.

Minor pr. Illa actio fieri potest per se tota simul, cuius terminus non habet contrarium, neque est necessariò connexa cum aliquo, quod fieri debeat successiuè; atqui terminus actionis productiuæ impulsus non habet contrarium, nec est necessariò coniuncta cum aliquo, quod fieri debeat successiuè: ergo per se fieri potest tota simul.

Prima pars minoris probatur.

Terminus actionis productiuæ impulsus est

ipsemet impulsus; atqui impulsus non habet contrarium: ergo terminus actionis productiuæ impulsus non habet contrarium.

Minor pr. Contrarium illud deberet esse grauitas, aut leuitas; atqui grauitas, & leuitas non sunt contrariæ impulsui: ergo impulsus non habet contrarium.

Minor pr. Grauitas non est contraria illi, quod mouet deorsū, neque leuitas opposita illi, quod mouet sursum; atqui impulsus potest mouere sursum, & deorsum: ergo grauitas, & leuitas non sunt contraria impulsui.

Minor pr. Illud mouere potest sursum & deorsum, quod est indifferens ad vtrumque motum; atqui impulsus est indifferens ad vtrumque illum motum: ergo impulsus mouere potest sursum, & deorsum.

Minor pr. Nulla est necessitas admittendi vnum impulsum posse mouere tantùm sursum, & alium tantùm deorsum: ergo impulsus est indifferens ad vtrumque illum motum.

Antecedens pr. Necessitas alia fingi non potest, quā quòd non appareat, à quo determinari possit illa indifferentia impulsus; atqui non deest, à quo determinari possit illa indifferentia: ergo nulla est necessitas admittendi vnum impulsum mouere tantùm sursum, & alium tantū deorsū.

Minor pr. Inflexio manus, aut instrumenti, quo res proiicitur, aut voluntas certo modo applicās suam potentiam motiuā, sunt sufficienter determinatiua huius indifferentiæ impulsus, ex solutione obiectionis contra secundam conclusionem: ergo non deest, à quo determinari possit la indifferentia.

Secunda pars minoris secundi argumenti, scilicet actionem productiuam impulsus non esse necessariò coniunctam cum aliquo, quod fieri debeat successiuè, probatur.

Illud successiuum, cum quo coniuncta posset dici necessariò actio productiua impulsus, non est aliud, quàm motus; atqui non est motus: ergo non est necessariò coniuncta cum aliquo quod fieri debeat successiuè.

Minor pr. Illud non est necessariò coniunctũ cum motu, quod fieri potest sine motu; atqui actio productiua impulsus fieri potest sine motu: ergo non est necessariò coniuncta cũ motu.

Minor pr. Illa actio fieri potest sine motu, cuius principium cùm illi dat esse manet immotum; atqui principium actionis productiuæ impulsus cùm illi dat esse manet immotũ: ergo actio productiua impulsꝰ fieri potest sine motu.

Minor pr. Magnes est principium actionis productiuæ impulsus in ferro, quod trahit, & Angelus in alio Angelo, aut corpore quod mouet; atqui magnes manet immotus, & Angelus etiam si velit: ergo principium actionis productiuæ impulsus cũ illi dat esse manet immotũ.

SEXTA CONCLVSIO:

Impulsus destruitur per subtractionem concursus diuini conformiter ad eius exigentiam.

DEBET esse aliquis modus, quo destruatur impulsus; atqui nõ est alius modus, quo destruatur

impulsus, quàm per subtractionem diuini concursus conformiter ad eius exigentiam: ergo impulsus destruitur per subtractionem diuini concursus conformiter ad eius exigentiam.

Minor pr Alij modi destructionis rerum sunt per contrarium, defectum subiecti, aut causæ conseruantis, & desitionem termini; atqui impulsus non perit propter contrarium, defectũ subiecti, aut causæ conseruantis, neque per desitionem termini: ergo non est alius modus, quo destruatur, quàm per subtractionem diuini concursus conformiter ad eius exigentiam.

Prima pars minoris, non destrui propter contrarium, probatur.

Impulsus non habet contrarium: ergo non destruitur per contrarium.

Secunda pars minoris, non perire defectu subiecti, probatur.

Causa subiectiua impulsus est res proiecta, & conseruans Deus; atqui non deficit res proiecta, neque Deus: ergo non perit defectu subiecti, neque causæ conseruantis.

Tertia pars minoris, non perire per termini desitionem, probatur.


Sola relatio perit per desitionem termini; atqui impulsus non est relatio: ergo non perit per desitionem termini.

FINIS.

FACVLTAS R. P. PROuincialis.

EGO CLAVDIVS DELINGENDES, Præpoſitus Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Franciæ, iuxta Priuilegium eidem Societati à Chriſtianiſſimis Regibus Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. 14. Februarij 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque Superiorum permiſſione imprimant; Concedo, vt *Philoſophia per argumenta breuiter explicata*, P. GVILLELMI CHABRON, ex eadem Societate, iudicio trium eiuſdem Societatis Theologorum approbata, typis mandetur à Gaſpardo Meturas Bibliopola Pariſienſi Datum Pariſiis, die 10. Octobris 1650.

CLAVDIVS DELINGENDES.



INDEX RERVM, quæ in hoc secundo Tomo disputantur.

A.

FINIS.

